

DS
735
.A2
M37
1659
JESUITANA

MARTINI, MARTINO, S.J., 1614-1661.

18595

OCLC 43232062 RSR 4/9/02

5-1-2

α. 6. 2.

MARTINI MARTINII,
TRIDENTINI,
E SOCIETATE IESV,

SINICÆ HISTORIÆ DECAS PRIMA,

Res à gentis origine ad Chriſtum natum in extrema Aſia, ſive Magno Sinarum Imperio geſtas complexa.



AMSTELÆDAMI,
Apud JOANNEM BLAEV.
M. DC. LIX.

G $\frac{6}{2}$ x

AVGVSTISSIMO IMPERATORI LEOPOLDO I.

Hungariæ ac Bohemiæ REGI,

Archiduci Auſtriæ, &c.

Felicitatem.

AVGVSTISSIMO Parenti FERDINANDO III. deſtinata olim à Patre Martino Martinio Sinenſis Hiſtoria, Auguſtiſſimo Filio LEOPOLDO I. hereditario quodam jure debetur: qui uti ditionum ac multo magis virtutum paternarum heres, Romani quoque Imperii gubernacula felicibus auſpiciis nuper admodum ſuſcepit; ita neque hac etſi tenui acceſſione debebat eſſe maximo Parente inferior. Ac videbatur aptè omnino congruere, ut MAIESTATI VESTRÆ, quæ prima LEOPOLDI nomine Auſtriacæ familiæ Majeſtatem nobilitavit, primum quoque Sinenſis Hiſtoriæ, antehac Europæis, aut verius orbi univerſo ignotæ, opus inſcriberetur. De qua

gente cùm Domus Auſtriaca planè tota, tum Auguſtiſſimus Parens eximiè fuit meritus. Neque ad adſtruendum in eâ juvandâ ſtudium FERDINANDI III. adductis aliunde teſtibus eſt opus: ipſe P. Martinus, cùm ante annos quatuor è Sinenſi Regno in Europam Procurator appuliſſet, præter innumera liberaliſſimæ pietatis documenta maximorum beneficiorum conſcius, nuper ex Europâ Auſtriacæ atque imprimis Ferdinandææ munificentiæ ſecum pignus extulit, dona inquam, Imperatore ac Cælo digna, quibus Societas noſtra, pro Sinenſis populi ſempiternâ ſalute illic excubans, hac velut eſcâ gentem illam ad veri Numinis animíque cultum pelliceret. Hoc ingenio Auſtriaca beneficentia uſa, dum in Europâ imperio & armis regna tenet, in extremâ Aſiâ beneficiis dominatur, ac Romanam fidem ultra Romani Imperii fines latiſſimè propagat. Maximum ſanè MAIESTATI VESTRÆ decus accedet; ſi (ut glorioſum eſt, fiduciariis Regulis abundare) innumeros ad æterna cæli regna promotos olim Sinas videbit, ſuam ſalutem ac æternitatis regnum poſt divinas cauſas in humanis Auſtriacæ ac LEOPOLDI I. munificentiæ debere; quam noſtrum quoque Collegium non ita pridem expertum eſt ſingularem: ut

poſt

poſt innumeros grati animi titulos novas cauſas habeat, hoc tenue munus, quod ex Orbe altero allatum P. Martinus nobis concredidit, MAIESTATI VESTRÆ dicandi.

DEUS ter Opt. Max. MAIESTATEM VESTRAM Orbi Chriſtiano diutiſſime ſoſpitem ac felicem ſervet: quod cum Collegio noſtro Societas univerſa, & Sina omnis Catholica enixiſſime precatur: ut MAIESTAS VESTRA Parentis Auguſtiſſimi virtutes ac laudes aſſecuta, vitæ regnique feliciter adminiſtrati diuturnitate longiſſime antecedat. Vivat LEOPOLDVS I. longaque ſerie hoc Auguſtum nomen ad felicem poſteritatem per multos numeros ac ſæcula transmittat: donec poſt Albertos, Carolos, Fridericos, Ferdinandos, Leopoldos, Maximilianos, Mathias, Rudolphos, quod ex Alphabeto ſupereſt, Auſtriacis nominibus fauſtiſſima ſucceſſione ſerò tandem expleatur. Ita precatur

MAIESTATI VESTRÆ

Kal. Nov. 1658.

Devotiſſimum Collegium
Monacenſe S. I.

AD LECTOREM.

EXtremæ Aſiæ ſive magni Sinarum Imperii compendio & annorum ordine comprehenſam Hiſtoriam, Europæis adhuc ignotam, tibi repræſento, amice Lector. Vetuſtiorem, ſi ſacram excipias, &, ſi credendum Sinis, certiorem orbis non habet; id quod legenti luce meridianâ clariùs patebit. Tradit enim à gentis orgine ad Chriſtum natum non modò magna temporum intervalla & Sinenſium Imperatorum ſeriem; ſed in quovis inſuper temporum cyclo (quem Sinæ jam inde à primis retro initiis annorum ſexaginta curſu definierunt) oſtendit, quo anno Cycli tunc labentis Regum quilibet imperium adierit, quove anno res in omnem partem memorabiles geſſerit. Accedunt ſiderum obſervationes ab orbe condito antiquiſſimæ non paucæ, Dionyſio, Eratoſthene, Hipparcho priores; quæ in omni Chronologia pro temporum normâ ſemper habitæ, quippe baſes & characteres temporum naturales, ideóque certæ. Ex quibus omnibus haud dubia annorum ſeries contexitur. Et Sinicæ quidem Chronologiæ fides tantò eſt integrior, quòd Sinæ ſibi ſolis ac ſua tantùm ſcripſerint, exterarum gentium aut ignari aut contemptores. Vtcunque eſt, poſtquam nec externis placere, nec ſeſe jactare ſtudium fuit; mentiendi cauſas procùl habuere. Idque tantò minùs, quòd à vetuſtate vel ſanguinis vel temporis nulla ſit apud hanc gentem nobilitas. Pauperrimo cuique per literas patet iter ad ſumma. Hinc nullæ circa Sinenſium hiſtoriam inter ipſos controverſiæ, nulla de regiarum familiarum annorumque ſerie diſſidia, quæ tamen apud nos ita fervent, ut Chronologorum ferè quilibet à quovis diſſentiat.

Chronologiæ Sinicæ accuratio.

Nobilitas Sinica tota à ſtudiis.

Cùm

Cum igitur in omni vitæ artiumque genere incredibilis utilitas ac delectatio ſit hiſtoriæ veritate ſubnixæ; penitus confido me operam minime perditurum, quin potius iis, qui aut hiſtoriæ aut chronologiæ ſe tradunt, rem omnino gratam hoc opere me facturum. Hîc enim reperient, quæ cum temporum ſuorum ratione componant atque expendant. Deinde mirandos in remotiſſimo regno eventus ac mutationes rerum & fortunæ legent: id eſt, evaneſcentes tyrannorum technas, politiæ & gubernationis modos diverſos, imperiorum conſervationem aut ruinas, una cum interitus cauſis, familias ſubito in ſublime evectas aut everſas, heroum eximia facinora, ſingularum artium, virtutum ac vitiorum exempla deprehendent; è quibus ſeu fugiendis ſeu ſequendis, recte vivendi documenta ſumant.

Et hæc omnia uno velut intuitu perluſtrare in hac ſynopſi licebit; quam, uti dictum, ab origine Sinicæ gentis ad Chriſtum uſque natum, qua potui brevitate claritateque ex innumeris Sinicæ Hiſtoriæ libris ſtudioſe congeſſi. Quorum voluminum Scriptores conſtanti non minus fide quam labore hiſtoriam ita proſecuti ſunt, ut, etſi ea ſit una atque perpetua, plurimos tamen habeat authores, alios aliis antiquiores; à quibus ordine congeſta eſt. Neque enim Scriptori ſequentium temporum licet hiſtoriam priorem corrigere vel in dubium vocare; ſed id muneris habet, ut ex fide temporum ſuorum annales prioribus ſubtexat, eoſque Imperatoris juſſu continua ſerie proſequatur.

Hiſtoria Sinica quo pacto continuata.

In hoc itaque opere tam vaſto Herculeum laborem exantlaſſe mihi videor. Ea eſt enim Sinenſium literarum difficultas, ut earum cognitio humanas vires & ætatem ſuperare videatur. Continet characteres, aut verius hieroglyphica, ſupra ſexagies mille, omnes figurâ & ſignificatione diverſos. Nec enim, ut noſtrates, ex aliquo certo Alphabeti ordine vel methodo conſtant;

Characterum Sinicorum difficultas.

ſed res qualibet figuram habet, qua exprimatur, ab aliis diverſam, nulla arte vel norma compoſitam & velut caſu ſubjectæ rei attributam. Decem ipſos annos in hoc moleſtiſſimo ſtudio ita conſumpſi, ut præter libros, è quibus ſtatas preces recitabam, alium quam Sinicum in manus non ſumerem. Huic uni genti prodeſſe linguæ tam operoſæ peritia tunc ſtudebat animus, quod me nunquam rediturum in Europam, crederem. Poſtea vero quam reverti Majorum authoritate ſum juſſus; hoc opus aliaque ſecutura ſuſcepi, ne meus reditus Europæis non prodeſſet. Si laborem hunc meum intellexero legentibus gratum accidere; ſtimulo id mihi erit, reliquam à Chriſto Nato hiſtoriam ad hæc uſque tempora pertexendi. Neque committam, ut aliæ binæ decades diu deſiderentur. Equidem nunquam hoc opus fuiſſem aggreſſus, niſi Atlanti Extremæ Aſiæ, quem paucis abhinc annis edidi, lucem apprime neceſſariam inde acceſſuram crediſſem. Ex utroque enim Imperii Sinici, de quo tam varia tamque fabuloſa circumferuntur, exacta pendet ac vera cognitio.

Ceterum, quemadmodum Europam olim deſerui, ut Sinis ea, quæ nobis divinitus affulſit, veritatis luce carentibus, ejuſdem viam commonſtrarem; ita nunc Majorum juſſu remiſſus in Europam, maximi Imperii notitiam toties deſideratam Europæis denegare nolui. Horum enim gratia hunc laborem in ipſo reditu aggreſſus, longiſſimo duorum annorum & aliquot inſuper menſium itinere ad finem adduxi, ut ſimul utilitatem, ſimul delectationem antiquiſſimæ hiſtoriæ novitate legentibus afferrem. Quod ſi ſum conſecuturus; non hiſtoriæ, ſed bonorum omnium authorem Deum laudа, cujus beneficio inter maritimæ profectionis moleſtias moramque iſta lucubrare potui. Quæ qui leget, facile diſcet Numinis omnia rite conſtituentis ſapientiam; quæ ſibi ſemper ſimilis in orbis totius & ſingulorum re-

gnorum

gnorum gubernatione, ſemper ſumma, ſemper adoranda eſt.

Quod ad vocabulorum pronunciationem attinet; omnia quæ per ch *ſcribo, more Hiſpanico ſunt efferenda. Multa quoque per* ng *ſcribo, quæ alii per* m *expreſſere, uti Peking; ubi alii Pekim poſuere. Nam hæc litera* m *apud Sinas in fine ſyllabarum ore aperto, ut à Luſitanis efferri ſolet; alioqui Sinica pronunciatio haudquaquam exprimeretur, quæ potiùs in* ng, *quam* m *finitur.*

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS CVM PRIVILEGIO.

EGo Georgius Muglinus Societatis IESU per Germaniam ſuperiorem præpoſitus Provincialis, pro poteſtate, quam ab Adm. Reverendo P. N. Goſwino Nickel Societatis univerſæ præpoſito Generali accepi, permitto, ut Sinicæ Hiſtoriæ Decas prima, à P. Martino Martinio ejuſdem Societatis Sacerdote conſcripta, & à Patribus ad id deputatis lecta probataque, typis mandetur. Inſuper Ioanni Wagnero Bibliopolæ Monacenſi, jus Cæſarei privilegii uſurpandi concedo, quo Typographis & Bibliopolis omnibus facultas adimitur, vulgatos à Societatis IESU Patribus libros, citra Superiorum Auctorumque conſenſum recudendi; aut intra Sacri Rom. Imperii ac Provinciarum Sacræ Cæſareæ Majeſtati hereditario jure ſubjectarum fines importandi. Quorum omnium fidem mea manu, & officii Sigillo confirmo. Auguſtæ 20 Iunii Anno 1658.

GEORGIUS MUGLINUS.

MAR-

MARTINI MARTINII
è Societate JESU,
SINICÆ HISTORIÆ
LIBER PRIMUS.

OMNIUM rerum quoddam initium Sinas pleroſque ſtatuiſſe, comperio. Sed in eo ipſo explicando variæ ſunt diſcrepanteſque ſententiæ. Alii, qui ſunt è præcipuâ Philoſophorum ſectâ, omnia temere caſuque extitiſſe arbitrantur; alii ab his longe diverſi, ſed à vero æque abeuntes, mundum ab æterno conditum voluêre. Qui error una cum idolorum cultu manavit in hanc gentem ex India anno poſt Chriſtum natum ſexageſimo quinto. De ſummo ac primo rerum authore mirum apud omnes ſilentium. Quippe in tam copioſa linguâ ne nomen quidem Deus habet. Sæpe tamen utuntur voce XANGTI, quâ ſummum cæli terræque gubernatorem indigetant. Neque deſunt ſacrificia qualecunque numen placantibus: quanquam illorum præ eo, quod nunc fit, uſus olim frequentior fuit. Ad hæc in ſuis libris non raro aſſerunt, ſceleribus cruciatus, decreta virtuti præmia eſſe. Cui rei affinia tradunt multa de cælo. Quæ cum adſpectabili & è materia conſtanti ſiderum orbi tribui non poſſint; veriſimile admodum, ſupremum cæli rectorem eis dominumque hac appellatione ſignari. Et jam inde à Noëticis temporibus Dei notionem Sinas primos habuiſſe crediderim, ut illâ ætate non multo poſteriores, aut forſan etiam pares. De Angelis bonis & malis meminere paſſim; illos XIN, hos QVEI vocant. Nec pauca de tutelaribus reperio. Cujus rei argumentum, ut reliqua taceam, iſtud inprimis habeo, quod credant ſingulis civitatibus præeſſe ſingulos, CHINGHOANG à ſe dictos; quo nomine gubernationem aut imperium ſignificant, urbiumve

Quæ rerum initia ponant Sinæ.

Deum agnoſcunt Sinæ.

Sinæ Noë coævi.

Angelos bonos & malos aſſerunt.

biumve tutelam. Ajunt enim, quemadmodum urbibus provinciiſque dantur noti rectores, quos videmus; ita occultos eſſe alios, quos non videmus, queis curæ ſit, tueri rempublicam, ea item crimina ſive magiſtratus, ſive populi, quæ homines latent, ulciſci. His tutoribus in quavis urbe magnifica templa exſtruunt; in quibus magiſtratus, cum provinciam ſuam adeunt, ſolenni ſe exſecratione devinciunt, ſpiritu civitatis præſide in teſtem & vindicem vocato, nihil contra jus eſſe facturos. Nullum in iis templis antiquitus idolum viſebatur; ſed ſimplex tabella, in qua, Sinenſi linguâ literis aureis exaratum erat, *Spiritualis cuſtodis urbis ſedes.* At non multo abhinc tempore tabellæ loco ſubſtituerunt idola, quæ genii tutelaris perſonam repræſentarent, quo plus terroris incuterent jurantibus.

Sinæ diluvium affirmant.

De diluvio multa eſt apud Sinicos Scriptores mentio: de illius origine cauſaque, nulla. Quod proinde Noëticumne fuerit, an aliud Sinis peculiare, quale Ogygium olim in Attica, in Theſſalia Deucalioneum; nondum liquet. Illud pro certo compertum, Sinenſem de Diluvio hiſtoriam non multum à Noëtico abeſſe, quippe quæ ter mille circiter annis vulgarem Chriſti epocham prægreditur. Ante *Fohium* quidem Imperatorem conſtituta annalium ſuorum initia Sinæ ipſi pro ſuſpectis habent, ut quæ falſa & ridicula quam plurima complectantur. Quod in iſta gente tunc temporis ferme neceſſum, cum nulla exſtarent literarum monumenta, & homines nullis legibus mitigati, ferarum potius quam hominum ritu viverent. Ab illo tamen tempore certiſſima Sinis habentur, ea maxime, quæ ad annorum ſupputandam rationem ſpectant: qua in re mirabile Sinarum ſemper ſtudium emicuit. Hinc eſt illa continua temporum & fide optimâ deducta ſeries, etiam ante, quam annorum cyclo utebantur. Quæ cauſa mihi fuit, uti temporibus *Fohii* dicendis non cyclum ſexagenarium, ſed epocham annorum, qui Chriſtum natum anteceſſere, ſim ſecutus. Cyclorum enim epocham tum ordiar, cum ad eum Imperatorem, ſub quo illius eſt epochæ repertus uſus, me hiſtoria deducit. Vnde parebit, annis

annis ante vulgarem Chriſti epocham ter mille admodùm exſtitiſſe *Fohium*; id quod è Sinicis hiſtoriis mihi promtum, oſtendere. At enim fides penes illas eſto; ego in re tanti momenti eſſe arbiter nolim, qui cum his Chronologorum noſtrorum opinionem pugnare ſciam, lapſum à Noëtica eluvie tempus haud paullo arctiori ſpatio definientium. Tametſi nec Sinenſium videtur uſquequaque repudianda ſententia. Favent ei ex Europâ Chronologi non omnino nulli; favent ſeptuaginta interpretes, Samoſatenus, alii; nec Romanum Martyrologium aut computatio Græcorum longe diſſentiunt.

Chronologia Sinica nova Europaeorum repugnat.

Porro primum hominem, quem agnoſcunt Sinæ, *Puoncuum* nominant. Eum dicunt è chao tanquam ex ovo natum, hujus teſtam ſeu corticem in cælum, albumen in aërem, vitellum in terram abiiſſe, idque media nocte ſub illud tempus, quo aſtra per cælum penetrantia ſolſtitiali brumalique revocatione vertuntur. Primo tamen loco cælos perfectos; ſtabilitam deinde terram; tum ſpiritus, poſtremo homines exſtitiſſe. Vt jam nemo miretur, ſi etiam in Phœnicia ovum, ut imago mundi, religioſiſſime in Orgiis Bacchi colebatur. Alii tamen, quod Sinenſium notat hiſtoria, *Puoncuum* ajunt è deſerto quodam prodiiſſe, natalium ignorationem ultro faſſi. Vtut eſt, inſigni Mathematicarum rerum ſcientia valuit. Vnde credibile eſt, ortam fabulam, quæ de illius ortu & ovi natalis partitione apud Sinas invaluit. Quo autem magiſtro didicerit *Puancuus* eam doctrinam, qua Sinæ nullam habent antiquiorem, obſcurum eſt atque adeo ignotum.

Primi apud Sinas hominis ac ducis origo.

Matheſis apud Sinas antiquiſſima ſcientia.

De horis mira tradit liber quidam Sinicus, qui de Natura inſcribitur. In eo, Sinico more, plena atque perfecta dies, quam naturalem dicimus, tribuitur in horas duodecim; ex his orbis univerſi ortus & interitus conficitur, ut horis ſingulis aſſignentur anni decies mille & octingenti. Si pro annis menſes totidem ſubſtituerent, à vero fortaſſe minus aberrarent. Ceterum idem liber aſſerit, cælum hora duodecimâ, id eſt, media nocte factum; terræ natalem in horam à media nocte primam incidiſſe; hominem deinceps hora

De horis mira Sinarum opinio.





hora ſecunda conditum, ac demum *Yaum* nominatiſſimum apud Sinas Imperatorem hora ſexta ſeu meridiana noſtrate natum. Quæ temporum ratio ſi veritate ſubniteretur, Sinenſium ſe orgines ultra Ægyptiorum retro Chaldæorumque ambitioſam vetuſtatem porrigerent. Neque deſunt, qui dicant, ab orbe condito ad *Cumfucium* Philoſophum annos ter millies ducenties ſexagies ſepties mille fluxiſſe. Qua opinione ſuperârint etiam calculum eorum, qui Orientem accolunt, mundi finem poſt annos à primordio ſeptingenties mille, neſcio quâ authoritate decernentium.

Mundi finis è Sinarum opinione.


Orbis interitum admittunt.

Idem liber de Natura inſcriptus addit, horâ nonâ, quæ nobis à meridie ſexta, in orbe univerſo magnam rerum atque ordinum omnium perturbationem, ingentia bella, regnorum ſeditiones, & hinc publicas calamitates fore; donec tandem omnia ad ſuum chaos, unde exierant, revertantur. Noſtrum hoc, quod agitamus ævum ajunt horam poſt meridiem primam eſſe, vel paullo quid amplius. Sed nos præterito de Natura libro, ad noſtra redeamus.

Mira de rerum ortu opinio.

Minus abſurdè philoſophantur, qui ſaniorem Sinarum philoſophiam ſecuti, chaos rerum omnium initium faciunt & principium, ex quo materiæ expers ſeu ſpiritale ſummum procreavit id quod materiâ conſtat. Sed hoc ipſum adſtruunt in duas diviſum eſſe qualitates, quas *Yn* & *Yang* vocant. *Yn* occultum ſeu imperfectum ſonat; *Yang* vero patens ſive perfectum. Nos duo principia dicemus. Ex his autem in ſe ductis imagines ſive ſigna quatuor, inde octo formas aut ſymbola prodiiſſe. Per imagines ego quidem elementa ſeu quatuor principes qualitates notari putem. Sinæ verò patens aliud perfectum, aliud imperfectum; occultum itidem aliud perfectum, imperfectum aliud nominant. Ex octo formis quælibet peculiarem ſibi modum habet, quo pingitur; & generales quaſdam res ſignificat, ex quibus omnium ſingularium generatio pendet atque corruptio. Eæ porro ita pinguntur. Prima  cælum, ſecunda  terram, tertia  fulmina. quarta  montes, quinta  ignem, ſexta  nubes, ſeptima

ma ☵ aquas, octava ☴ ventum ſignificat. Hæ forma ut recte atque ordine conjungentur, ſciendum, Sinas occultum perfectum duplicatis duabus lineis ſcribere hac figurâ ⚌ ⚌; imperfectum vero unica lineâ diviſâ, ut hîc vides, — —; contra patens perfectum unicâ lineâ continuâ in hunc modum, —; imperfectum duplici continuâ item lineâ parallelâ, ut ſequitur, ⚌. Ex his ergo duobus principiis conjugatis octo illæ figuræ prodiere, quibus in ſe multiplicatis, quatuor conſtituuntur & ſexaginta ſymbola ſive imagines, qui numerus cujuſdam univerſitatis eſt.



Hinc dicunt ex iis qualitatibus, quas *Yn* & *Yang* paullo ſupra vocari monuimus, formas quatuor; ex his per *Yn* & *Yang* multiplicatis figuras octo; ex iſtis demum in ſe ductis amœnam rerum omnium varietatem effloruiſſe. Viſum eſt autem ex eorum libris ſexaginta quatuor ſymbola hîc apponere, prout ab ipſis pinguntur, quorum ſingula nomen habent ſingulare. Iis tamen recenſendis conſulto ſuperſedeo, ne ignotis nominibus paginam impleam. Cujuſmodi quælibet figura

gura vim habeat, ſubjecta tabula conſiderantibus pro campo curioſi laboris eſto.

Antiquiſſimus Sinarum liber.

Habent Sinæ librum *Yeking* dictum, qui totus in his figuris explicandis eſt; magni apud eos pretii ob res arcanas, quas illic latere ſibi perſuadent. Mihi quædam philoſophia myſtica videtur eſſe Pythagoricæque perſimilis, etſi multis ſeculis prior; quippe quæ initium habuit à *Fohio*, de quo dicemus infra. Multa ſunt in eo libro de generatione & corruptione, de fato, de aſtrologiâ judiciariâ, de quibuſdam principiis naturalibus. Sed ea jejune diſputantur & exiliter, abſque cauſis ac definitione rerum, quas afferunt, ad adſtruendam fidem allatis; quales reliqui omnes Sinarum ſunt libri. Idem liber numeros & figuras ante adſcriptas ad rectam reipublicæ adminiſtrationem & morum diſciplinam adhibet. Eo tamen ut plurimum utuntur hodie ad divinationes & ſortilegia, genuino illius ſenſu aut neglecto aut ignorato. Mirum quantum ei tribuant ex hoc etiam capite, quod ex illius intelligent rerum abſtruſarum eventuumque omnium prænotionem ſibi promittant.

Sinæ numeris arcana tribuunt.

Neque ſolum in lineis, ſed & in numeris explicant harum arcana figurarum, ita ut unum ſit, primum *Yang*; duo, primum *Yn*, & ſic deinceps; novem vero ſummum & perfectiſſimum *Yang*, decem maxime imperfectum *Yn* continere dicatur. Ajunt itaque cæli numerum eſſe unum, tria, quinque, ſeptem, novem; terræ duo, quatuor, ſex, octo, decem. Cælo quidem numeros aſſignant impares, qui viginti quinque conſtituunt, numerum cæli perfectum; terræ autem numeros quinque pares adſcribunt, qui juncti triginta efficiunt, numerum terræ imperfectum. Multa in eam rem alia continet liber *Yeking*; quæ, ne ſim æquo longior, viſum eſt omittere.

Secundus Sinarum Dux.

Puoncuo mortuo Sinas rexit *Thienhoangus*, & poſt illum ſucceſſores tredecim unius omnes familiæ. De hujus Ducis ævo ita Sinenſis Hiſtoricus loquitur. *Tunc temporis cæleſtis ſpiritus ubique diſcurrens, paullatim urbanos*

banos mores induxit, & abſque magno labore mortales, alioqui diſciplinæ capaces, ad humanitatem informavit, præcipue magno illo dracone (fortaſſe ad Leviathan patientis Iobi alludit) *occiſo, qui mundum omnem turbavit cælum terræ miſcendo. Eo enim peremto, ſuum res quæque gradum ac dignitatem obtinuit.*

Hic *Thienhoangus* adinvenit primus duplex illud genus literarum, è quibus poſtea Cyclum ſuum ſexagenarium efformarunt Sinæ. Inde conſtat ſcientiam primam apud Sinas Mathematicam fuiſſe, atque à Noë ad poſteros quaſi per manus propagatam. Indidem licet conjicere, omiſſis argumentis aliis, *Puoncuum* & ſocios à ceſſatione diluvii, imo ante turris Babylonicæ molitionem ad Sinas veniſſe. Cui quidem conjecturæ hactenus faverim, ſi qui revera tunc homines in Sinis fuere, & non ab Hiſtoricis potius ſuppoſiti. His autem primis temporibus uſque ad Imperatores, per familiarum capita homines regebantur, ſicut de Abrahamo & Lotho ſacris etiam literis proditum. Quare ubi Author Sinicus tredecim Principes ex eadem familia nominat; non videntur aliis ſucceſſiſſe mortuis, ſed eodem tempore diverſarum familiarum rectores vixiſſe. Ita infra uſque ad Imperatores intelligendum. Nos ad duplices illas literas redeamus.

Mathematica ſcientia apud Sinas prima.

Primi ordinis literæ ſunt decem, quas *Can* vocant; quæ ſunt, *Kia*, *Y*, *Ping*, *Ting*, *Vu*, *Ki*, *Ken*, *Sin*, *Seng*, *Guei*. Secundus literarum ordo continet duodecim diei horas, quas Sinæ non per numeros, ſed per characteres peculiares exprimunt atque indigetant. Et quoniam à media nocte incipiunt; duodecima mediæ noctis *Eſu* dicitur, ſecunda poſt mediam noctem *Cheu*, quarta *Yn*, ſexta *Mao*, octava *Chin*, decima *Su*, duodecima *V*. Secunda à meridie *Vi*, quarta *Xin*, ſexta *Yeu*, octava *Sio*, decima *Hai* appellatur. Ex his ergo literis, inter ſe coagmentatis, efformant Cyclum ſuum, primam cum prima, ſecundam cum ſecunda copulando, donec iterum ad calcem redeant, quod ſexaginta demum abſolutis annis iterum contingit. Ex iiſdem harum literarum conjugationibus non ſolum

Horarum apud Sinas ratio.

lum anni nomen & qualitatem, ſed etiam totius anni & ſingulorum dierum arcanos è cælo in hæc inferiora motus, & rerum naturalium proprietates ſcire ſe putant. Nam, ut illi quidem ajunt, ita hi characteres ſunt ordinati, ut nunquam fallente circuitu & ſiderum curſus, & elementorum qualitates ex ipſo ſolum ordine pendeant. Addunt hominibus deinceps præfuiſſe *Tiboangum* quendam; quem cæli ſiderumque curſus perite obſervantem, diem noctemque ſuis nominibus inſigniiſſe, menſem quoque triginta dierum ſpatio terminaſſe. Hunc undecim alios fuiſſe inſecutos tradunt; de quibus nihil memoria dignum, ne nomen quidem invenio.

Aureum ſeculum.

His *Ginhoangus* cum novem aliis è familia ſua ſucceſſit; qui terras ita diviſit, ut novem partes conſtituerent. Earum una ad habitandum mortalibus contributa, reliquas octo agriculturæ atque annonæ deſtinavit. Ita vagos homines ac diſperſos in unam ſedem coëgit; quod Græci Phoroneo apud Argivos tribuunt. Hoc gubernante aureum ſeculum fluxiſſe affirmant. Terra namque modico labore culta, ſponte propemodum fruges tulit; & quilibet rerum ordo, ut cum Sinica hiſtoria loquar, ſuam dignitatem obtinebat. Rex plus quam paterna charitate populos complectebatur; qui eum viciſſim ut patrem obſequentiſſimi filii colebant. Ille regis nomen, hi ſubjectorum civium munus pulchre explebant. Omnia tunc erant communia, liberi omnes, maximoque inter ſe omnes amore connexi. Ab hac vero agrorum diviſione Geometriam initium reperiſſe credibile eſt.

Geometriæ initium.

Sequitur *Yeus*, qui mortales in montium antris & ſpeluncis in hoc uſque tempus habitantes, mapalia & caſas è ligno ædificare docuit, ut à ſe ferarum injurias defenderent. Fuit autem iis temporibus magna humanorum commodorum inſcitia. Neque enim aut agri colendi præcepta idonea, aut ignis è ſilice ad parandos cibos fovendaque corpora eliciendi uſum callebant. Herbis & fructibus ſponte naſcentibus, crudiſque ferarum carnibus veſcebantur, epoto etiam earundem ſanguine, cum urgebat ſitis. Animalium pellibus

libus nullo artificio paratis, ad tegenda corpora ita utebantur, ut tamen maximam partem nudi incederent.

Hoc vita functo *Sujus* regnare cœpit. Is mirifice in Aſtronomia excelluit. Ex aſtrorum, ut & orbis noſtri contemplatione primus è Sinica Philoſophia quinque elementa eſſe docuit, metallum, lignum, aquam, terram, & ignem; quorum poſtremum eſſe in aëre deprehendit. Ligno quoque lignum atterendo primus ignem elicuit, ut nos è ſilice ſolemus; ac velut alter Prometheus flammæ radices & originem aperuit. Eam ignis extundendi artem etiamnum Sinæ in uſu habent, & pro varia tempeſtate anni ligna varia deligunt id temporis ad præbendum ignem aptiora. Et ſi neque alterum compendium ignorent, chalybe ignem è ſilice petendi. Idem *Sujus* characterum & literarum loco, funium nodos ad memoriam levandam primus invenit, & in ſcholis modum iis rite utendi edocuit. Nulla tunc pecunia, nec auri fames fuit. Nundinas tamen inſtituit, ut rerum permutationibus idoneas. Ad quæ talia felicius conſtituenda quatuor præſtantium virorum, quos ditionibus præfecerat, opera & conſilio adjutus fuit. *Elementa quinque apud Sinas.*

Verum ne Sinas, quod inter elementa lignum quoque & metalla numerent, tanquam à vero nimium aberrantes rideamus; eorum hic de elementis philoſophiam breviter apponere viſum eſt ex libro, quem *Xuking* nominant. Quinque, ait, ſunt elementa; aqua, ignis, lignum, metallum, terra. Aqua irrigat & deſcendit, ignis ſiccat & aſcendit; lignum erectum & diſtortum vocatur, metallum ductile, lævitatiſque patiens; terra ſemina capit, affertque fructus. Irrigans & deſcendens dat ſalſum; ſiccum & aſcendens dat amarum; rectum & diſtortum facit acidum; ductile & pol iturae idoneum mordax facit ſive acre; accipiens ſemina & dans fructus dulce gignit. Hæ ſunt quinque elementorum qualitates, ſeu ſapores. Atque in his elementis explicandis nihil ex meo; à Sinis omnia deſumſi, quæ dijudicanda lectori relinquo.

Præterea hæc eadem elementa Planetis applicant;

Planetis quinque elementa applicant.

Saturno terram, Iovi lignum, ignem Marti, aquam Mercurio, Veneri metallum. Quæ ſtellæ ad hæc uſque tempora iiſdem, queîs elementa, nominibus explicantur. Saturnum enim dicunt terræ ſtellam, Iovem ligni, Martem ignis, metalli Venerem, aquæ Mercurium.

Sed hactenus annos & tempora non adſcripſi: quippe Sinis quoque, nec injuria, dubitata. Et ſane multa inſunt ridicula Sinicis annalibus, ſive hominum ætatem conſideres, ſive annos regnantium. Si enim fidem illorum ſcriptoribus haberemus, ætas orbis univerſi multis annorum millibus ante diluvium extenderetur; quod paullo ſupra quoque monuimus.

Hiſtoria Sinica qua diligentia continuata.

Nunc quæ ſequuntur, ab ipſis pro indubitatis habentur, ea præcipue, quæ ad annorum rationem ſpectant; qua cura non ullam facile nationem Sinis in orbe reliquo parem invenias. Fuit enim & eſt etiamnum genti huic uſitatum, ut doctiſſimis aliquot Philoſophis Imperatoris defuncti res geſtæ conſcribendæ à ſucceſſore mandentur, fucis & adulatione omni remota. Quod munus apud ipſos cumprimis eſt honorificum, & à ſummis quibuſque viris expetitum. Hinc hiſtoria Sinica ita ſibi ſemper ſimilis continuatur, ut, quanquam ab alio ſit atque alio ſuccedentibus annis adaucta, unius tamen authoris eſſe opus videatur. Et omnino unicum eſt, non ab alio quam regio ſcriptore unquam tentata, magniſque & plurimis voluminibus contenta.

Compendium Sinicæ hiſtoriæ.

Inde ſibi Sinæ pro memoriæ ſubſidio epitomen conficiunt, qualem his ipſis libris repræſento; etſi paſſim, quo omnia ſint ad cognoſcendum apertiora, paullo longius excurram. Totam autem hiſtoriam perſcribere, multorum annorum labor foret.

Quid dubium in Sinica hiſtoria?

Illud velim animadverti, in hiſtoria Sinenſi rem unam duntaxat eſſe dubiam, à Sinicis etiam ſcriptoribus obſervatam, quo tempore natus ſit Imperator, qui proxime ſequitur. Alii namque annis ſeptuaginta & uno citius, alii totidem annis ſerius ejus natalem aſſeruere. Vnde ex poſteriori opinione vigeſimo quarto ætatis anno; at ex priori, nonageſimo ſexto imperium

perium adiit. Nos priorem ſequemur, ne juſto longius hiſtoriam extendamus. De anno autem, quo imperii habenas cepit, nihil apud Sinas ambigitur.

Quæ hactenus dicta ſunt, ea, ſi per me ſtet, ad tempora diluvio priora retulerim; quando ipſi quoque Sinæ de annis antecedentibus dubitant, nec certi quicquam habent. Hanc enim, qua de ſcribo, extremam Aſiam ante diluvium habitatam fuiſſe pro certo habeo. Verum quo pacto fuerit rerum ſervata memoria, humano genere omni, ſi à Noëtica familia diſceſſeris, penitus deleto; mihi non liquet. Niſi forte de rebus diluvio antiquioribus obſcura in poſteris fama, per manus tradita remanſit, quam ſcriptores deinceps ignoratione veri conjecturiſve magis obſcurarent; aut ſuæ gentis amore, ſtudioque illius initia ad ignotam originem revocandi, commentis ac fabulis corrumperent. Sed hæc in lectorum arbitrio ſunto; nos certiora ſequamur.

I. IMP. FOHIUS.

Regnavit annis CXV.

HIc ergo primus eſt, quem Sinæ Imperatorem, ſeu cæli filium vocant. *Thienſu* enim hoc ſonat. Quod nomen Imperatoribus ſuis tribuunt, non quod eos credant, à cælo genitos, vel inde originem duxiſſe; ſed quia putant à cælo effuſius amatos, qui aliis mortalibus prætermiſſis, ob egregias naturæ dotes ad tantam ſint fortunam evecti. Hunc *Fohium* è matre abſque patre natum memorant. Illam enim forte ad ripam lacus, à quo *Lanthien*, urbs in provincia *Xenſi*, alluitur, deambulantem, ingens hominis veſtigium in arena impreſſum calcaſſe, inde ab iride circumdatam concepiſſe, in eademque provincia *Fohium* enixam eſſe. Is anno ante vulgarem Chriſti epocham, quod ſupra indicatum, bis milleſimo, nongenteſimo, quinquageſimo ſecundo imperium auſpicatus in eadem provincia, quam natalem habuit, regiam conſtituit. Ex quo conjici poteſt, qui primi mortalium apud Sinas fuere, à regionibus, quæ magis ad Occi-

Ante vulgarem Chriſti Epocham **2952.**

Fabula Sinica.

dentem vergunt, paullatim ad Orientem progreſſos, vel ante conditam Babylonem, vel poſtquam commercio ſermonis, turriſque altius moliendæ ſpe ſublata, terrarum orbis frequentari cœptus.

Hic Imperator magnis virtutibus eluxit; & aſtrologiæ cumprimis peritus, cœleſtium juxta humanarumque rerum curam exacte habuit. Nam in cælo quidem ſiderum motus intuitus, magnos eorum orbes aliaſque è Matheſeos norma figuras primus in tabulis deſcripſit. In regno leges & ſtatuta excogitavit, quibus, ut & mœnibus, primus mortales munivit, nominaque familiis facilius diſtinguendis impoſuit. Primus itidem ſexaginta quatuor illas figuras ſupra poſitas, earumque uſum docuit, quas in draconis è lacu prodeuntis dorſo ſe obſervaſſe ajebat. Quod eum finxiſſe credibile eſt, ut noviter inventis artibus à prodigio pretium faceret, quemadmodum multi legum conditores ad Deos authores nova jura referebant. Draconi autem eò fidentius novam artem tribuit, quod id animal maximum felicitatis omen putent. Quam etiam ob cauſam Sinici Imperatores draconem non ſecus atque Romani aquilam in inſignibus oſtentant. Illud tamen admiratione dignum, in regii Draconis pedibus digitos quinos pingi à Sinis: ſi qui alii eo ſymbolo utantur, nefas & capitis pœna cautum eſt, nequis plures in pede ungues effingat quam quaternos. Sed infra plura de Sinarum circa Draconem ſuperſtitione dicam.

Draco inſigne imperii.

Characterum initium & figura.

Idem Imperator Sinicos characteres reperit, quos loco nodorum adhibuit, ſed ipſis nodis intricatiores. In quolibet enim charactere ſunt obſervanda ſex; Figura. Sonus, Vſus, Significatio, Compoſitio, Explicatio. Literæ tamen illæ à *Fohio* inventæ, ab his, quæ nunc in uſu verſantur, olim diverſæ, ad Ægyptiaca hieroglyphica accedebant, ut figura rem ſignificandam ipſo adſpectu exhiberet. Vt exemplis res magis in aperto ſit, hæc litera, 1. quæ montem ſignificat, olim ita, 2. pingebatur. Sic ſolem eo modo exprimebant, quo Mathematicis hodie circulo medioque puncto, 3. deſcribitur; nunc iſta forma, 4. effingunt. Draconis hæc, 5. olim figura erat; hodie ita, 6. forma-



6. formatur. Regis litera, ſeu nomen ſceptrum cum oculo, 7. referebat; nunc ita, 8. pingunt. Volucrem, gallinam, vel gallum, ſua, hoc eſt, nativa ſpecie, 9. 11. repræſentabant; nunc his ductibus, 10. 12. explicantur. Habeo penes me librum literis Sinicis ad ſex diverſos modos conſcriptum, opus antiquiſſimum & rarum, Sinis ob vetuſtatem raritatemque magno ſemper in pretio habitum. In eo libro antiquæ literæ formam utcunque referunt earum, quas Romæ in obeliſcis ſæpe me videre memini. Et hæc de literis Sinarum; nunc cetera perſequamur.

Ad hoc uſque temporis, mares inter ac feminas nullum erat apud Sinas in moribus ac veſte diſcrimen, nulla connubia lege firmata; ſed belluarum more temere & vaga libidine jungebantur. Vtrinque *Fohius* diſcrimen invexit. Nam & viros à feminis cultu diſtinxit, & conjugia inſtituit, tanta etiam propinquitatis reverentia, ut lege vetuerit ejuſdem cognominis puellam domum ducere; quæ lex hodieque religioſe ſervatur. Ad demulcendos dein hominum animos atque affectus, ut & honeſtam oblectationem muſicum inſtrumentum adinvenit triginta ſex chordis inſtructum.

Connubia cœpta.

Muſicum inſtrumentum excogitatum.

ctum. Adeo jam tum præſtabilis putabatur muſica; tanquam ſine concentu Sinæ non potuerint in civilem conſenſum coaleſcere.

II. Imp. XINNUNGUS:
Regnavit annis cxxxx.

Ante vulgarem Chriſti Epocham 2837.

FOhio exſtincto *Xinnungum* inſignis pietas & amœnitas morum ad imperium evexit; quod annis centum & quadraginta tenuit. Sub hoc tempus, cum ingens hominum multitudo toto diſſeminata regno, carnibus tantum & herbis ſponte naſcentibus veſceretur; feris prope omnibus abſumtis, vix alimenta deinceps ſuppetebant ſuſtentandæ vitæ neceſſaria. In ea rerum penuria Imperator naturam ferendis ultro frugibus ad mortalium alimoniam non ſuffecturam arte cultuque juvit, aratro & reliqua ruſticationi apta ſupellectili primitus inventa. Ita terra ferro ſubacta quinque frugum genera, triticum, oryzam, milium, frumentum Indicum, quod hodie Turcicum vocamus, & legumina progenuit. Hinc illi *Xinnungi*, quod ſpiritalem agricolam ſonat, nomen inditum. Herbarum quoque omnium vires in expellendis morbis expertus, non in alieno, ut multi ſolent, ſed in ſuomet corpore periculum fecit, quid in ſtomacho ad concoquendos cibos aliiſque in membris aut morbis efficerent; cui malo creando vel extinguendo ſufficerent. Et hoc tanta ſolertia ſucceſſuque fecit, ut eum vulgo oculis pluſquam lynceis crederent omnia hominum corporumque arcana perſpicere. Fama eſt, eum unius diei ſpatio ad ſexaginta venenatarum herbarum genera cum totidem earum antidotis diſtinxiſſe; quem iccirco medicorum principem & authorem nominant. Ad hæc uſque tempora certè ſimplicium medicamentorum uſum, & vires exinde callent, ab optimis eam in rem libris ita inſtructi, ut Dioſcoride vel Matthiolis non indigeant; & ne pictore quidem alienigena, quando iiſdem libris plantæ ac radices omnes nativis coloribus ac figuris adumbrantur. Hæc pacis & œconomiæ ſtudia, ut nihil in rebus humanis diuturnum, importuna

Aratri & agriculturæ inventor.

Medicorum Princeps. Libri herbarum apud Sinas antiquiſſimi.

tuna

tuna ſeditio contaminavit. *Soxatius* dynaſta quidam tributarius ad defectionem ſpectabat, *Kivenium* præfectum à concepto ſcelere amica oratione dehortantem auſus è medio tollere. De perfidia edoctus Imperator nec arma in illum, neque ultionem paravit; *Pictas arma domat.* ſed optimam vincendi rationem in clementia reponens, ſi reus intelligeret ſuum ſcelus dominantis virtute ſuperatum, hominem venia donavit. Prorſus raro Principum exemplo, qui ad veniam quandoque difficiles majeſtatem putant ſolo ferro defendi. Neque *Xinnungus* in hunc unum adeo humanus fuit, ſed, ut erat mitis ingenii, gloriam boni principis in æquitate populique charitate poſuit. Quibus rebus id effecit, ut ipſimet *Soxatii* cives acerbe ferentes tanta Imperatoris virtute regulum ſuum adeo turpiter abuti, *Soxatio* interemto tam pio Imperatori ultro ſe ſubjicerent. Nec dubitavere, qui rebelli dynaſtæ ignoviſſet, in dedititios clementem fore. Nimirum eſt quandoque, cum ad initiandum obſequio populum plus virtus, quam vis & arma valent. Exinde diuturna fuit imperii tranquillitas, imperantis moderatione ſtabilita. Poſtea vero, quam centum & quadraginta regnavit annis; ab alio regulo, qui ei deinde in imperio ſucceſſit, bello petitus & *Primum in orbe bellum.* victus occubuit. Iſta clades in monte Fano accidit eo loco, ubi nunc *Yeking*, provinciæ, cui nomen *Peking*, civitas eſt ſita; penes quam gentem ad hæc uſque tempora primi hujus, ut putatur, in orbe belli memoria ſervatur.

III. Imp. HOANGTIUS:

Regnavit annis C.

HOangtius igitur perduellione, vi & armis imperium occupavit; de cetero virtute nulli ſecundus, eleganti etiam forma & ſtatura ultra modum procera. Et ab hoc demum Imperatore, tametſi bini illum anteceſſerint, Sinæ Cyclum ſuum ſexaginta annis deſcriptum inchoant, quippe ab eo ipſo inventum. Vnde nos quoque authores Sinicos ſtudioſe ſecuti, *Ante Chriſtum 2697. Cyclo* 1. *anno* 1.

 hanc

hanc Cyclorum epocham aſſumimus; ita tamen, ut ſimul annum ante Chriſtum natum ex vulgari ejuſdem epocha ſignemus.

Hic *Hoangtius* republica ſtatutis ac legibus aucta, menſuras itidem & rerum pondera ad libram examinanda inſtituit. Primus omnium exercitum aluit; cujus armis & metu juſſa facere detrectantes in officio continuit. Neque aliud ei criminoſum fuit, quam quod perduellis peſſimo exemplo iiſdem copiis eſſet ad legitimi Imperatoris injuriam abuſus. Veruntamen regnum per ſcelus obtentum probe adminiſtravit, civium amans & patriæ; quam ut commeantium bono apertam acceſſamque faceret, montium juga & latera excidit, publicaſque vias aperuit, limitibus etiam imperii propagatis. Nam verſus Ortum illius fines extendit ad mare id, quod nos Eoum dicemus. Quod enim in hanc diem Eoum mare dictum fuit, iſtius eſt ignoratione factum. Ad Boream, veterem Tartariam, ad Auſtrum, magnum illum fluvium, quem maris filium vocant, limites poſuit. Is fluvius vulgo *Kiang* dictus, omnem Sinam, ut nunc eſt, ab occaſu ad ortum fluens, in Boream & Auſtralem dividit, iſtius quondam regni terminus. Sed de hoc in noſtro Atlante extremæ Aſiæ plura. Porro etſi Imperator in provincia, quæ *Yen* olim vocabatur, hodie *Peking*, ubi nunc *Paoting* urbs eſt ſita, regiam ſedem fixerat; nullo tamen loco diu ſubſtitit, motis identidem caſtris eo ſpectans, ut exercitum haberet militari diſciplinæ ſuoque nutui aſſuetum, ac ſimul novas res molientium conatus vel præverteret, vel certe oppimeret. Quis eum non miretur, qui, ut proſpiceret patriæ ac regni quieti, ipſe vagus, ſolis inſtar immotam terram obeuntis, tot curis inquietabatur, dum principum alibi ſtertentium cauſa tota regna fatigantur?


Primus exercitus.

Sinici imperii antiqui termini.

Inter alios regni miniſtros, ſenos habuit Præfectos, quorum opera rempublicam adminiſtravit. Primus fuit *Tanaus*, qui cyclum ſolis, quo Sinæ in hunc etiamnum diem utuntur, perfecit anno ante vulgarem Chriſti epocham bis milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo,

Cycli Sinicorum annorum inventor.

geſimo, cycli primi, ut & hujus Imperatoris vigeſimo octavo. Alter *Yumchinius* polum & ſtellas illi proprias primus obſervavit, & inſtrumento quopiam, cujus formam ſcriptores non tradunt, ſphæra utique cæli orbem repræſentante, cæleſtis orbis figuram imitatus eſt; multa præterea uſu expertus, è quibus aëris ac cæli inferioris mutationes deprehendi queant. At *Lixeus* arithmeticæ Sinenſis author facili methodo ſex genera numeros tractandi complexus, Algebræ arcana regulas falſi aut ſocietatis non attingit. Ea ſupputandi ratio globulis conſtat filo ferreo inſertis, cujus quindenæ vel vicenæ ſeries è ſumma tabula deorſum æquali intervallo factæ, per medium ducta tabella ita dividuntur, ut in ſuperiori ordine ſingula fila duos globulos capiant, quorum ſinguli quinarium valent; inferiori vero, cujus ſpatium laxius in altitudinem paret, ſingula quinos habeant, non ejuſdem æſtimationis.



Quævis enim ſphærula pro monade tantum putatur. Numerus autem apud Sinas quoque ſiniſtram verſus more noſtro in numeris creſcit. His ergo globulis huc illuc, ſurſum deorſumque, ſicut uſus poſtulat, permutatis,

tatis,

tatis, magna facilitate dexteritateque rationes ſuas expediunt. Quem computandi modum perquam expeditum, in calculo præſertim ſexagenario, non ſemel optimo ſucceſſu ipſemet uſurpavi, tantoque magis probavi, quod abſque calamo & chartarum lituris omnia, non aſpernando compendio, poſſunt ad calculum revocari.

Quartus è Præfectis *Limlunius* leges civiles, reique publicæ rite gubernandæ præcepta ſcripſit. *Yumhius* autem duodecim vaſa pro totidem anni menſium numero ex ære cyprio, mirabili artificio, fudiſſe dicitur. Iſtorum enim unumquodque neſcio, quo pulvere ſic opplevit, ut ſub finem menſis vaſi ſuo attributi, in ipſa luminarium conjunctione, ſponte ſua in nihilum vaneſceret. Hanc artem etiamnum adhibent, tunc præcipue cum obſervant, quo momento Sol gradum Aquarii decimum quintum ingrediatur. Verum non ultro pulvis iſte, ſed incidente lapide excitatus agitatur; in cujus lapſu ſimul attendunt, in quam orbis partem pulvis feratur. Inde de futura totius anni tempeſtate recte ſe ominari arbitrantur. Reipſa plebeculæ hac impoſtura illuditur. Lapis enim ad arbitrium illorum præſtigiatorum decidit, fune, unde pendet, ad lentum ignem in eúm temporis articulum paullatim aduſto, in quo cupiunt pulverem lapidis caſu excitari. Quod ſi ortum verſus nubes pulverea feratur, tunc enimvero res ſecundas annumque felicem ſibi pollicentur, ignari ab aura temere moveri, quod agi aliquo fato aut numine putant. Poſtremus horum muſicam invenit; quam olim fuiſſe apud Sinas præſtantem libri docent illius laude pleni. Hodiernam nec ipſi magnates æſtimant, eamque extra comœdias vix adhibent. Hanc vero artem interiiſſe, deplorant ipſi, eoque acerbius, quo effuſius laudatam ſciunt à *Confucio* Philoſopho, cujus exiſtimatio eis ſanctiſſima, negante abſque muſica bene geri rempublicam poſſe. Hanc tamen jacturam ſolantur inſtrumentis muſicis variis è varia materia conſtantibus. In his uſitatæ ſunt fides, è byſſo, ferro, aut ære compoſitæ. Ex ære item ad conciliandum ſonum opera efficiunt

Pulvis qui docet luminarium conjunctionem.

Et creditur anni tempeſtatem portendere.

Muſica inventa.

Inſtrumenta muſica.

ciunt alia, ut ſunt campanæ varia forma & ſono, pro magnitudinis modo, quorum concentus non inamœnus ac talis fere eſt, qualis è Belgarum turribus auditur ac templis. Præter hæc uſurpant tintinnabula, cymbala & ſonoras laminas è lapide, ut & tympana è pellibus, non admodum noſtris diſſimilia. E ligno quoque varias tabellas compingunt, quas laxius inter ſeſe connexas ad numerum digitis impellunt. Inter ea vero, quæ ſpiritu ad concentum animantur, ut ſunt tibiæ ac tubæ, organum præſtat; forma, non item magnitudine, noſtris utcunque par. Id enim parvum & è variis fiſtulis inſtar Syringis fiſtulæ, qualem Faunis appingimus, compactum, ore inflant ea gratia, ut illud tibiarum genus omnibus aliis fidium aut fiſtularum inventis antetulerim. Sed ad Imperatorem redeamus.

Variarum rerum inventor.

Is igitur primus diadema & alia ornamenta, quæ Imperatorem decerent, adſcivit, veſte cærulea uſus & lutea, ut cæli ac terræ colores geminos velut gentilitios in cultu imitaretur. E florum intuitu artem uſumque tingendi variis coloribus invenit, quos opulentis egentibuſque voluit eſſe diverſos. Figlinam & fabrilem artem cædendi dolandique ligna per ſuos Præfectos docuit; arboreſque in naviculæ formam excavatas ad flumina majora trajicienda, undis credidit, minoribus fluviis ponte junctis. Ad commercia deinde provehenda numos cudit ex ære; ad arcendam vero vim hoſtium, arma & bellicas artes non modo præceptis tradidit, ſed in uſum etiam perduxit. Ita pace belloque providens Imperator in utraque reipub. fortuna civium commodis ac ſaluti conſuluit.

Herba malorum index.

Miraculi ſpeciem habet, quod ſequitur. In ejus palatii atrio herba creviſſe fertur, cujus ea vis & ingenium, ut, ſi quis malus regiam ingrederetur, confeſtim in venientem, prona inſtar heliotropii, ſe obverteret. Quod germen ſi paſſim in hortis aut atriis magnatum creſceret, quanto plures aulis abſtinerent, qui nunc latentium ſcelerum ſecuri, hujuſmodi proditores non timent?

Ceterum *Hoangtius* mares genuit viginti quinque,

que, de quibus quatuordecim contracto matrimonio plures illi nepotes procrearunt, quos vivus aſpexit. Sinæ aſſerunt nunquam eum fuiſſe mortuum, ſed in eorum cætum aſſumtum, quos *Xinſien* appellant. Hos in jugis montium ſummis voluptatibus vacare fingunt immortalitate donatos. At enim ut hæc de illius ad perpetuam vitam tranſitu fabuloſa ſint; certe nomen ejus adhuc ob præclara facinora immortale fuit. Ab eo enim omnes Sinarum reges *Hoangtii* communi appellatione, quemadmodum apud nos à primo Cæſare Cæſares, dicuntur. Verum enim vero futurum operæ pretium arbitror, quoniam de Cyclo Sinico ſexagenario his temporibus reperto iterum hoc loco mentionem feci, ſi paucis ejus rationem expoſuero.

Sinæ aliquos homines immortales eſſe credunt.

Cyclus annorum Sinenſium qualis?

Cyclus ergo ſexaginta annorum ambitus eſt; quo ſpatio decurſo idem anni nomen redit. Et licet non eodem tempore fiat luminarium conjunctio, ſed trium fere dierum ſit diverſitas; nulla tamen intercalatione, neque cyclo noſtro novemdecennali opus habent. Nam planetarum motus in annos ſingulos denuo computant, interque ſe componunt. Non enim habent, neque adeo tolerant perpetuas ephemerides, ſed annis ſingulis novas cudunt in ſingulos dies, eaſque typis datas, magnis impenſis in univerſi regni fines differunt. Vnde unius horæ & minutorum aliquot anticipatio, quæ aureo noſtro numero novilunia inſerit, ipſis in annua computatione reponitur. Annum vero jam inde à tanto tempore Lunæ ſolarem habent. Menſes item admittunt abundantes, deficientes, atque communes. Admittunt menſes emboliſmæos, ita tamen, ut non menſem aliquem certum intercalare ſoleant, ut olim Iudæi ſecundum ſemper ad id ſepoſuere; ſed uſitato ſibi calculo inveniunt, quem faciant intercalarem. Nam duodecim ſigna Zodiaci ſic ordinata ſunt, ut Piſces ſemper in primum menſem, Aries in ſecundum, alia ſigna deinceps in alios menſes incidant; ita ut nullus à proprio ſibi ſigno vacuus abire poſſit. Quia vero altero quoque vel tertio contingit, ut menſis aliquis à ſigno ſibi attributo excidat; hinc

Menſis intercalaris pulchrum inventum.

hinc menſis ille ea ratione intercalatur, ut nomen ab antecedenti menſe capiat, ex quo dein ſignum ſubſequens in debitum menſem cadit. Totus cyclus annos emboliſmæos viginti duos continet; reliqui ſunt vel communes, vel deficientes, vel abundantes.

Annorum nomina per literas, non per nomina.

Vnius autem cujuſque anni nomen non per numeros, ſed per geminas literas explicant; quarum altera è decem *Can*, altera è duodecim horarum characteribus deſumta, ut ſupra fuit expoſitum. Dies quoque ſingulos totius anni eiſdem ſexaginta nominibus continuata ſerie inſigniunt, eorumque vim & effectus declarant per literam, unum è quinque Sinarum elementis, ſeu, quod idem eſt, è quinque planetis ſignificantem. Decem autem illæ literæ *Can* dictæ ita ſunt diſtributæ, ut uni ſemper elemento duæ reſpondeant. Hinc Chriſtiani noſtrâtes, etſi forte ob tanta locorum intervalla ephemerides annuas, ſive Kalendarium Romanum quotannis imprimi à nobis ſolitum non accipiant, nunquam tamen in cognoſcenda Dominica die falluntur. Habent enim ubique Sinicum Kalendarium, ex quo, ſi methodum ac normam à nobis vulgatam ſequi velint, haud eis operoſum feſtos Divorum ac mobiles dies dignoſcere.

Kalendarium ſæpius emendatum.

Demum addunt duodecim alias literas, quæ planetarum horas referant, è quibus omnibus inter ſe coagmentatis recteque & ordine diſpoſitis Aſtrologicas prædictiones deducunt. Non auſim tamen aſſerere, ut nihil eſt natum ſimul & perfectum, Sinas jam tum hæc omnia omnibus ſuis partibus expleta tenuiſſe, cum ſæpe deinceps Kalendarii ſit adhibita correctio. Illud tantum affirmare habeo, pleraque hoc Imperatore inventa quidem fuiſſe, at initio non ad eam perfectionem adducta, quam poſt habuere. Ex quo conjici poteſt, hac gente nullam in ejuſmodi rebus inveniendi priorem fuiſſe. Nunc ad ſeriem Imperatorum redeamus.

IV. Imp-

IV. IMP. XAOHAUUS.

Regnavit annis LXXXIV.

Cyclo 2. an. 41. ante Chriſtum 2597.

HIc Imperator omni virtutum genere & præclara indole inſignis, ab *Hoangtio* patre imperium per manus accepit. Primus ex Imperatoribus, Præfectorum gradus & dignitates per varia volucrum genera & colores diſtinxit. Quippe ſemper ita habitum eſt apud hanc gentem, muneris, quod obit, gradum in veſte oſtendere. Hinc ante & retro volucrem aut aliud ſibi proprium inſigne auro byſſoque acu phrygia pictum thoraci aſſuunt, cujus aſpectu obvius quiſque moneatur, quem è novem honorum gradibus magiſtratum obtinent. Neque una omnibus ſuorum ſymbolorum materies fuit. Ii enim, queis præfecturæ civiles obtigerant, quos nuncupant Philoſophos, pro inſignibus ſemper aves habuere; militares vero præfecti ac tribuni volucrum loco, dracones, leones, tigrides & alias ejuſmodi ferociam militarem innuentes belluas ſibi affinxiſſe, pulchrius putabant. Omnes tamen eodem ſpectant, ut ex hoc habitu non gradus modo, ſed etiam conditio ac dignitatis genus in quoque noſcatur. Aves autem *Xaohauus* ceteris animantibus idcirco prætulit, quod ſub initium imperii Solis avis apparuit, cujus adventu felicitatem regno portendi vulgo exiſtimant. Quod ſi hæc avis diu non ſit viſa, Imperatoriæ familiæ interitum & futuros bellorum motus ominantur. Quænam vero ſit hæc avis, non liquet. Eſt forma, qua eam pingunt, aquilam crederes, niſi plumarum mira & diſcolor varietas obſtaret. Phœnicem ut eſſe ſuſpicer, ejus raritas perſuadet, Sinæ *Fughoang* vocant.

Præfectorum inſignia.

Avis ſolis bonum omen.

Magus famoſus.

Poſtquam imperium multis annis ſanctiſſime habuit, cum jam ob decrepitam ætatem regni rebus minus providere poſſet; *Kieulius* impoſtor magicis artibus & lemurum ſpectrorumque terrore à veritatis tramite ad infanda ſacrificia incautam plebem adduxit, omnium fere animis fœda ſuperſtitione imbutis. Hinc iratum cælum magnis in eam gentem calamitatibus

tibus detonuit, regnumque omne concuſſit. Ita Sinarum memorant hiſtoriæ. Quæ fuerit illa, quove ſpectarit ſuperſtitio, haud equidem ſcio: crediderim tamen *Kieulium* idololatriam & greges deorum invehere conatum, uti alicubi ſectarum turbas ſub ſpecie religionis inducunt. Atqui nihil intereſt ad exitium, in numero an cultu aberres, cum de Deo agitur.

V. Imp. CHUENHIOUS.

Regnavit annis LXXVIII.

HOangtii fuit ex fratre nepos, & ob inſignem cæleſtium rerum ſcientiam ad imperii faſtigium aſcendit. Omnium primo, labefactatam priorum annorum fato religionem reſtituit, inſtaurata majorum pietate, ut unum omnes ſupremum cæli Imperatorem ſtatis ſacrorum ritibus colerent. Additum, ne cui alteri quam Imperatori ſacris fas eſſet operari. Tanti faciebant ſua ſacrificia, ut ſacerdotalem dignitatem, quæ ipſis ſumma habebatur, nonniſi cum ſceptro vellent eſſe conjunctam. Initio regni regiam in urbe, ubi nunc *Paoting* eſt, ejus provinciæ, quam *Peking* diximus, poſtmodum vero ad *Poyang* tranſtulit. Tradunt, ab eo Kalendarium toto regno publicatum receptumque. Scripſit etiam ephemerides quinq; planetarum, quos, dum imperabat, omnes in cælo conjunctos vidit eo die, quo eſt obſervata Solis & Lunæ conjunctio. Et hunc diem primum illius anni eſſe voluit, prout author Sinicarum rerum in conſtellatione *Xe* dicta indicat; quæ nunc circa gradum decimum octavum Piſcium incipiens, ad quartum uſque Arietis extenditur. Fortaſſis hæc eſt illa planetarum celebris in uno ſigno conjunctio, quam aſſerunt Europæi Chronologi Noëtica ætate fuiſſe. Quid ad hæc illi, qui annos retro pauciores ad diluvium Noëticum numerant, dicturi ſint, neſcio. Quid ego ſentiam, tum docebo, cum res ab *Yao* Imperatore geſtæ dicendæ erunt, ubi de diluvio agetur prolixius. Interea nolim arrogare tantam Sinicis Scriptoribus fidem, quæ nos cogat opinionem illam mutare, quæ breviorem diluvii

Cyclo 4. anno 5. ante Chriſt. 2513.

Imperator ſimul ſacerdos.

Kalendarium primo publicatum.

Mira omnium planetarum conjunctio.

hiſtoriam facit. Ajo tamen hanc omnino primam eſſe ſtellarum obſervationem, de qua quidem conveniat inter authores. Quid ad hæc Europæi noſtri? ego ſancte aſſevero me in Hiſtoria Sinica hanc, de qua dixi, obſervationem in iſtius Imperatoris actis inveniſſe. Et hanc gentem adhuc barbaram vocabimus, quæ jam tum adeo fuit exculta, cum nondum Europæ nomen exſtaret?

Hic ergo Imperator primum anni diem, & menſem illum deinceps haberi voluit, quo luminarium conjunctio decimo quinto gradui Aquarii proxima fieret, quod etiamnum obſervatur à Sinis. Eam ob cauſam hic Imperator merito author & parens Ephemeridum nominatur. Hoc vero potius tempore quam alio, annum ordiuntur, quod, ubi Sol circa medium Aquarii verſatur, ut ipſi dicunt, tunc primum aquæ frigore concretæ ſolvantur, vermiculi & bombyces reſurgant. Nam & cælum tunc mitius vires in hæc inferiora denuo exſerere; tunc terram herbis floribuſque amœnam; exhilarari homines, animantiaque cetera ad ſtirpis ſuæ propagationem incitari; denique novum orbi quaſi refloreſcenti nitorem gratiamque accedere.

Ephemeridum author.

Cur anni initium ſit circa medium Aquarii.

Non negaverim, apud Sinas non idem anni fuiſſe ſemper initium, ſed pro variorum Imperatorum voluntate varium; tria tamen univerſe illius initia agnovere. Tria namque præcipue puncta in horarum circulo pro illuſtrioribus habent. Mediam noctem, in qua cælum; primam à media nocte horam, in qua terram; ſecundam denique à noctis medio, in qua hominem natum memorant. Mediæ nocti Caprum aſſignant, primæ Amphoram, ſecundæ Piſcem; ita tamen, ut una hora Sinica duas noſtrates complectatur. Circulum enim horarum fixum cogitatione depingunt in cælis, quemadmodum nos circulum ſemper apparentium maximum, quem in duodecim æquas partes ſecant horaſque totidem; quas, quia circulum effingunt immobilem, ſemper eodem modo conſiſtere neceſſe eſt. Iiſdem horis zodiaci ſigna eo, quem ſupra notavimus, ordine aſſignant, quamvis alio atque apud nos nomine inſignita.

Initium anni Sinis varium fuit.

Quanta

Quanta vero pompa, quantoque ſumptu Kalendarium quotannis in hoc imperio publicetur, vix credi poteſt. Poſtquam enim à rerum cæleſtium peritis, quorum in urbe regia magnus numerus, id perfectum eſt, ſummo Matheſeos præfecto tradunt examinandum; qui ſi probarit, magno rituum præſidi tranſmittit. Tum ille multis exemplaribus tranſcriptum Regi offert. Rex autem ſtatuta die magno apparatu ac ſplendore, præſentibus totius regiæ magiſtratibus, poſt ſolitos ritus exemplar ad ſingulas regni provincias per publicos curſores mittit; ubi ſupremus tributorum magiſtratus non parvis impenſis illud impreſſum publici juris facit. Sub gravi pœna inſuper ſancitum, ne quis in eo quicquam vel addendo, vel demendo corrigat. Quin etiam privatis typis vulgatum ejus exemplar, etſi cum autographo uſquequaque conſentiens, pœna par manet, ſalutari more conſtituta; ut omnes intelligant, id unius Imperatoris eſſe beneficium, neve, quod plerumque fit, ullum in anni totius obſervatione diſcrimen alicubi ſubrepat. Et hæc æqualitas, ceu concordiæ parens, non in ephemeridum uſu tantum, ſed in rerum omnium tractatione ſervatur. Omnes enim iiſdem domi foriſque moribus, omnes iiſdem literis, & eodem corporis cultu in univerſo, quà patet, imperio etiam hodie utuntur. Vnde conjectari poteſt, quanta ſit animorum in iis conjunctio, qui adeo nulla in re ſunt inter ſe diverſi.

Qua pompa & ſumtu Kalendarium publicetur.

Cultus ac morum æqualitas.

VI. Imp. COUS.

Regnavit annis LXX.

XAohavi nepos hic fuit, *Cous*, quod ſummum ſignificat, ob ſummam virtutem dictus. Omnes enim optimi Imperatoris partes expleviſſe ſcribitur. Initio regni urbem regiam in *Honan* amœniſſimam provinciam, ubi nunc *Yenſu* civitas eſt, loci commoditatem ſecutus, tranſtulit. Quatuor uxorum conjugio novo exemplo illigatus, totidem ex iis filios ſuſcepit. Harum una concepto voto à ſupremo cæli Imperatore *Cieum* filium impetravit. Altera

Cyclo 5. anno 23 ante Chriſtum 2435.

Kium enixa eſt, quem, itidem precibus à *Xangti*, quem pro deo coli ſuprà indicavimus, matri antehac ſterili conceſſum ajunt. Tertia decimo quarto poſt conceptum menſe, viſo prius in ſomnis rubro dracone, quod magnæ felicitatis argumentum Sinis eſt, *Yaum* peperit. Quarta *Cheum* filium habuit. Hunc annis procedentibus præ reliquis pater ad imperium aſſumſit; optimæ indolis indicia in id uſque tempus præ ſe ferentem. At in eo fortunæ gradu non diu ſtetit. Nam ubi ſolus ab obitu parentis regnum obtinuit, cito modeſtiam dedidicit. Inde in licentiam vivendi nimiam prolapſum, vivus adhuc, quod nemini priorum obtigerat, imperio exuitur. Ebrietati enim ac mulierum illecebris ita ſe totum permiſit, ut nullam imperii curam haberet. Cumque à regulis ſuæ ditionis non raro ſed nequicquam officii admoneretur; gens probis in hunc diem regibus aſſueta, eique, cui ratio non imperaret, parere indignum rata, nono imperii anno, è faſtigio in exilium detrudit fratre illius *Yao* in ejus locum ſubrogato. Hic regiam fixit, ubi nunc *Cincheu* civitas eſt. Quos autem hoc loco regulos appello, erant ii dynaſtæ beneficiarii, quibus Imperatores vel ob eorum merita, vel ob conſanguinitatem partem ditionis, clientelæ jure tradebant, ad eum fere modum, quo in Europa Duces vel Comites ab Imperatoribus, aut Regibus provincias accipiunt. Horum erat, Imperatorem adverſus hoſtes tueri, & bello ingruente cum certo militum numero auxilium ferre.

Primus imperio privatus.

VII. Imp. YAUS.

Regnavit annis XC.

Cyclo 6. an. 41. ante Christum 2357.

Yaus *eximius Imperator.*

HVnc omnes libri Sinici paſſim ſanctiſſimum piiſſimumque prædicant. Et ſane ſi res ab eo geſtas recte expendas, omnes non modo Sinenſes, ſed orbis fere totius optimos quoſque reges virtute pariter & gloria vel vicit, vel æquavit. Ejus laudes liber Xù dictus, & imperante *Yao* editus celebrat hoc brevi quidem, ſed inſigni elogio. Yai *merita implevere totum*

tum orbem. Magna erat in eo diligentia; omnes debito honore proſequebatur. Intelligens, compoſitus & perſpicax; omnia virtute atque indole quadam ſibi congenitâ exſequebatur. Multa dein alia illius encomia ſequuntur, quæ conſulto præterimus. Referemus autem ea, quæ Author, quem præcipue ſequimur, de eodem commemorat, Sinicâ, quoad ejus fieri poteſt, ſervatâ phraſi. *Cæleſti,* ait, *pietate Yaus & eximiâ,* (quam *Xin*, hoc eſt, Angelicam Sinæ vocant.) *prudentia erat præditus. Advenientem omnes ceu ſolem excipiebant; ab omnibus tanto exſpectabatur deſiderio, quanto aridiſſimi campi nubes & pluvias exſpectant. Potens quidem erat, ſed ſolum juſta agens; nobilis & dives, ſed non ſuperbus; moderatus in veſtibus, equis & curribus: cibum & potum obvium capiebat. Simplicitatem etiam in ſalutationibus tituliſque amabat. Proprium illi, pretioſam ſupellectilem flocci æſtimare, gemmas & uniones non admittere, venereas cantilenas nec aure dignas ducere, ornatas & laqueatas domos non habitare, laneis veſtibus corpus tegere, & cervinis pellibus frigus arcere.* Hæc Sinicus author; quæ de religioſo potius viro, quam ethnico Imperatore dicta putes.

Ejus laudes ac virtutes.

Illud non prætermittendum, quod *Confutius* & reliqui Philoſophi hunc & ſequentem Imperatorem pro exemplo ac normâ proponant, in quam ceteri reges intueantur. Certe ab horum gubernatione Sinicam philoſophiam & illius axiomata principium habuiſſe indubitatum eſt. Nam & hac ætate ſapientes ad fidem ſuis opinionibus aut præceptis faciendam, eorum acta & modum gubernandi pro argumento indubitatio identidem citant.

Imp. Yai mores ſuere norma Sinicæ Philoſophiæ.

Per hæc tempora diebus decem non occidiſſe ſolem, orbemque conflagraturum mortales timuiſſe ſcribunt. Magna enim incendia exarſerant, ejus fortaſſe modi, cujus illud Phaëtonte rege, ad Eridanum fuit. Varia inſuper monſtra ſerpentum nata affirmant. His malis conſuetâ pietate maximaque curâ, pari civium bono ivit obviam *Yaus*, ut nihil in ullo bene de ſuis medendi genere ſit paſſus in ſe deſiderari.

Sol decem dies non occidit.

Yaus Imperat. Mathematicus.

Idem ſiderum contemplatione ſe cumprimis oble-

ctans, anni dimenſionem nonnullis erroribus obnoxiam reſtituit; menſem quoque intercalarem & abundantes ad debitum ordinem redegit. Ad quod efficiendum duorum virorum operâ uſus eſt in eâ facultate præſtantium; quorum unus *Hius*, alter *Hous* nominabatur. Eos ad aſſiduam magni cæli venerationem cohortatus, juſſit varia ad matheſin opportuna inſtrumenta conficere; lunæ quoque ſtellarumque motus diligenter obſervare; agriculturæ rite exercendæ præcepta inde ad vulgi uſum eruere; ac demum ſummâ accuratione hiemale ſolſtitium notare. Intererat enim illam ſolis converſionem à rege non ignorari, quod eo die cuncta officia miniſtris diſtribuere conſuêſſet. Interea conjugis partes erant, bombycum educationem, byſſi ac ſerici conficiendi rationem reliquas mulieres docere. Etſi enim bombycum ſoboles & opificium Sinis ante non erant ignota, ars tamen eorum telam pertexendi ut ferè in rerum omnium initiis contingit, adhuc rudis, & ſine arte fuit. Illud Sinis honorificum & fidei conſentaneum eſt, ab iis in Aſiam & Europam id genus opificii, ut à fonte dimanâſſe. Vt vero ad ſolſtitium redeamus, ajunt Sinici ſcriptores, illud iis temporibus circa primum gradum conſtellationis *Hiu* obſervatum, quæ modo initium circa decimum octavum gradum Aquarii ſumit. Quæ ratio ſi eſt approbanda, ſolſtitium ultra quadraginta & octo gradus ab ortu ſuo interea deflexiſſe neceſſum. Certe quidam ex iis qui librum *Xuking* interpretati ſunt, affirmare non dubitat, imperante *Chinæungo* è Sungæ familia, anno poſt Chriſtum natum milleſimo quinto ſolſtitium à ſuperiori obſervatione jam quadraginta duobus gradibus ab annis ter mille, trecentis quadraginta duobus mutáſſe. Prima enim illius obſervatio fuit annis ante Chriſtum bis mille trecentis triginta ſeptem. Notandum autem, Sinas longitudinem per polos mundi definire, circulumque maximum in trecentos ſexaginta quinque gradus & viginti quinque minuta dividere, quorum minutorum centena unum gradum conſtituunt.

Bombycum & ſerici antiquitas.

Supercilia vario colore tincta.

Ceterum *Yaum* ſupercilia vario tincta colore atque in

in Iridis modum micantia habuiſſe, invenio. Pacis quidem toto imperio ſtabiliendæ perpetuum ei primumque ſtudium fuit. Nec à ſtudio diſſentiebat publica tranquillitas, æquitate illius ac pietate maximè conſtituta. Hinc cum mortale genus illis præſertim locis mirum quantum augeretur; vicinæ gentes famâ tantæ virtutis excitæ, atque ſub tam laudato Principe victuræ, ad ejus ditionem velut paternum ſinum confluxerant eâ frequentiâ, ut jam vix regnum Sinenſe iis capiendis ſufficeret. Aquis enim terra magnam ſui partem caſtigata, ſuccedentibus advenis anguſtior eſſe cœpit. Eas author Sinicus ait diluvio invectas. Ego malim credere, à Noëticâ inundatione ſuperſtites in extremæ hujus Aſiæ planitie, lociſque depreſſioribus reſediſſe; aut peculiari eluvie Sinas inundatos. Niſi forte à diluvio Noëtico aquarum impetu rupti fluviorum alvei, aut aggeſto ſabulo repleti, ſtagnandi legem aquis impoſuere, cujus impatientes, extraque litora ſua effuſæ, omni ex parte Sinarum plana mergerent. Vtcunque ſit, Imperator ad eas in mare derivandas vel certe ripis & aggeribus coërcendas *Quenum* cum ampla poteſtate præfecit. Is poſtquam novem ipſis annis nihil effecit, vel quod parum eſſet harum rerum peritus, vel quod illi negotio impares vires ſuas duceret; imperatoris juſſu capite negligentiæ pœnas dedit. Inde alium operi præfecit qui & peritior, & alterius malo ad dicto parendum intentior, tandem aquis exitum aut alveum fecit. Et quoniam hoc Imperatore de aquarum corrivatione offertur mentio, quas Sinica hiſtoria diluvium vocat, & Europæi Chronologi ex certiori opinione ad hujus Imperatoris tempora Noëticum diluvium reducunt; facile conceſſerim, omnem gentis hiſtoriam ad hæc uſque tempora vel confictam fuiſſe, vel ea narrare, quæ ante Noëticam eluviem contigere, quorum in arcâ fortaſſe ſervata memoria. Nam & alia plura, quæ ad noſtra etiam ſacra ſpectant, ab oblivione & interitu inibi vindicata fuiſſe, doctorum virorum eſt opinio. Verum Sinis hæc talia perſuaſa velle, temerarium foret, ſcriptorum ſuorum fidem oraculi vicem tuentibus & ab eo, quod ſemel credidere, non

Diluvium in Sinis.

dimovendis. Mihi vero religioſum non ſit, *Yaum* hunc noſtrum eundem cum Iano dicere, ita nominum & temporum affinitate ſuadente; qui Ianus multis Noë fuiſſe creditur. Quanquam multa dein à vero procul remota Sinæ ſuppoſuere. Fatentur enim, ſuæ gentis hiſtoriam *Xuno* poſt *Yaum* imperante, uti & librum *Xuking* dictum, primum inchoatam, nec tum typo, ſed ſtylo ferreo foliis inciſam. Nondum enim vel ſub *Xuno*, vel proximis Imperatoribus typographiæ uſus exſtabat. Sed hæc omnia in aliorum judiciis relinquo.

Sex tribunalium inventio & officia.

Poſt hæc ad meliorem formam, imo novam *Yaus* revocavit rempublicam Sinicam, ſex tribunalibus cum supremâ poteſtate inſtitutis. Horum unum *Lypu* vocant, cujus eſt, magiſtratuum fidem vel errata cognoſcere, & pro cujuſque merito aut ad ampliorem dignitatem provehere, aut male uſurpatâ omnino exuere. Alterum eſt *Pingpu*, id eſt, militum ſupremum tribunal, cujus eadem de militiæ præfectis cura, quæ prioris de literatis. Tertium *Lipu* eſt (Rituum ſeu cæremoniarum tribunal diceres) in quo de templis, ſacrificiis, exterarumque gentium legatis & aliis hujuſmodi negotiis agitur. Quartum *Hupu* dicitur, quod regiam gazam & tributa curat. Quintum *Cumpu* dictum, operum publicorum rationem habet, ut regii palatii, mœnium, fluminum, regiarum navium & itinerum publicorum, necubi ad ornatum & ſecuritatem aliquid deſideretur. Sextum *Hingpu* capitalium rerum & criminum cauſas cognoſcit ſontibuſque pœnas decernit. Hæc ſena tribunalia jam inde ab *Yao* initium habent; à quibus tanquam capitibus univerſum Sinicum imperium è regia ordine gubernatur. Præter Imperatorem & Colaum agnoſcunt ſuperiorem neminem. Colaum vero illum appellant, qui ſi nominis etymon ſpectes, à nobis Imperatoris auxiliator; ſi muneris dignitatem, ſummus regni Præfectus diceretur.

Rebus ita conſtitutis, quemadmodum *Yaus* imperium ſummâ æquitate tenuit, ſic pari modeſtiâ eâque geminâ, vivus alteri ſponte ceſſit; ceſcio illône forti-

ter

ter contemto, an juſte & legitime adminiſtrato magis laudandus. In ipſa quoque abdicatione publicam utilitatem potius quam ſuorum amorem in conſilio habuit. Quippe filiis ſuis, etſi nec degeneres, nec vulgo ingrati eſſent, ultro præteritis, imperium homini detulit, in quo nihil regium præter virtutem ſuſpiceres. Forte cum magnatum uno collocutus, ſolicitum ſe ajebat, quem in tantâ negotiorum mole fortunæque varietate ſummæ rerum atque gubernaculo præficeret. Cui alter *Fangius* nomine, *In regia*, inquit, *& ſtirpe tuâ eſt, quem Sinis imponas. Filius tuus natu major* Chus *bonæ indolis, prudentiâ non modicâ, ingenio perſpicaci, te ſive patrem, ſive Imperatorem non dedecet. In eo gens univerſa præter virtutes tuas in filio tralucentes etiam ſanguinem tuum amabit. Neque ſi me audis, alteri imperium trades.* At *Yaus* loquentem interpellans, *an ignoras*, ſubjecit, *æque mihi malorum laudes atque bonorum calumnias diſplicere? Natus meus loquax & contentioſus eſt; neque facta dictis illius reſpondent; foris doctus bonum ſe ſimulare, intus à ratione aberrat.* Ita purpuratum ſugillata ſibi adulandi vanitate à ſe dimiſit, abdicationis conſilio in alium diem dilato. Tantum poteſt apud bonum Principem patriæ amor, qui cum ſincerus eſt, publicas civium utilitates ſolum reſpicit, cæcus in privatis. Nec multo poſt, cum jam annis ſeptuaginta imperaſſet, arceſſitum ad ſe *Sungoum*, fidiſſimum & maximæ authoritatis præfectum alloquens: *in te* inquit, *transferre ſceptrum cogito, cui ferendo te unum parem prudentiâ & probitate video.* Tum Sungous faſtigium illud ſerio deprecatus, negat ſe iis virtutibus adornatum, quæ majeſtatem decent; neque honorem iſtum ſe promeruiſſe, pudori ſuo gravem; neque humeros afferre tantæ moli pares. *Yaus* hominis in reſpuendo imperio conſtantiam admiratus, quod alii ultro ac per vim invadunt; rogat, ſi gravetur regnum adire, quem igitur alium honore illo dignum judicet? Hic *Sungous* in omnium magiſtratuum præfectorumque corona ita Imperatorem alloquitur. *Quando ita me de idoneo regni ſucceſſore compellas, qualem*

Dictum Yai laude dignum.

Delatum Imperium Sangous reſpuit.

Xuni agricolæ virtus digna imperio viſa.

me fore nec quidquam tibi perſuaſeras; non equidem diſſimulabo, quod è re tua regnique futurum exiſtimo. Eſt in tua ditione agricola, conjugii adhuc expers, homo omnium ſermone probus, quem ob pietatem ac morum gratiam omnis agreſtium vicinia veneratur & amat, agris etiam ſuis ac domibus ad ipſius commoda uſumque ſponte oblatis. Ab ejuſdem nutu & ore ob conceptam de illius integritate opinionem ita pendent, ut ejus in eventis omnibus conſilium ſequantur. Huic nomen Xunus *eſt. Pater illi* Cuſeus, *homo ſtolidus; mater ultra innatam feminis garrulitatem ſingulari vitio loquax; fratres ſuperbi ac pervicaces. Hos tamen obſequio & ſubmiſſione inter tam diverſa ſtudia ita continuit, ut non modo ſecum ipſis, verum etiam cum virtute tandem redirent in gratiam. Neque contentus alios facere meliores, ſeipſum quoque in dies magis caſtigans ad virtutis culmen enititur, juratus pravæ ſocietatis oſor.* Hæc *Sungoi* oratio fuit. Addunt Sinæ hunc ipſum *Xunum* toto tempore, quo ruri ſtivam ac deinceps in regia imperium rexit, nunquam deſiiſſe, ſingulorum virtutes, etiam ſuas facere. *Xuni* vero patrem antiqui *Cuſeum*, quo nomine cæcum & mutum ſignificant, eò dixere, ut parentum illius nequitiam exprimerent. Pater enim *Xunum* filium noverca inſtigante ſæpius è medio tollere parabat, niſi filii manſuetudini parentum ceſſiſſet improbitas; qua perdomita, tota denique familia ſe correxit ad frugem. Atque ab hujus *Xuni* exemplo erudita Sinenſium philoſophia geminum documentum poſterorum bono eruit. Primum, nullum patrem adeo poſſe iniquum eſſe, cui filius obſequium non debeat; deinde neminem eſſe tam ſceleratum, quin virtute ac beneficiis flecti poſſit in melius. Imperator audito *Sungoo*, experiar, inquit hominem. Nec diutius factum, & duas filias jam nubiles, quas deinde matrimonio ſibi junxit, ac novem filios ad *Xunum* in ejus obſequio & poteſtate futuros mittit; ipſi provinciæ præfecturam tantiſper commiſit: ut ejus in minori potentia virtutem exploret. Vbi ea ſe animi moderatione præbuit, ut omnibus admirationi eſſet, præcipue *Yao*. Qui tam bono ſucceſſore lætus, elapſo triennio

eum

eum imperii conſortem fecit, ipſi omni gubernatione commiſſa. Quo munere ille vivente *Yao* ipſos viginti & octo annos magno reip. bono perfunctus eſt. Atque ita, etiam regnum duos capere poteſt, ſi virtus utrique ſit comes.

VIII Imp. XUNUS.

Regnavit annis XXXIII.

HOc anno cum jam ad ultimam ſenectutem *Yaus* perveniſſet, moriens ita *Xunum* ad imperium legitime tenendum hortatur. Ades, *Xune*; ſatis ſuperque tuam fidem expertus ſum. Dictis tuis ex æquo facta reſpondent. Age igitur, ſceptrum capeſſe, virtuti ac meritis tuis debitum. Cura, ut civibus tibi ſubjectis patrem te exhibeas; & memineris non tibi à populo, ſed à te populo ſerviendum. Rex enim idcirco ſuper omnes eminet, ut unus proſpiciat omnibus. His dictis moritur *Yaus*; quem *Xunus* haud aliter, atque filius optimum parentem, luxit. Et ut dolori ſuo litare poſſet liberius, rebus imperii ſubinde Præfectorum curæ demandatis, ipſe toto triennio ab *Yai* ſepulchro nunquam diſceſſit.

Cyclo 8. *an.* 20 *ante Chriſtum* 2258.

Rex qualis eſſe debeat.

Hanc in parentes pietatem mira obſervantia etiamnum apud Sinas liberi tuentur. Tribus enim annis ita patris mortem lugent, ut ſemper ſe domi contineant, relicto quamprimum quocunque publico munere vel magiſtratu, quo tunc fungebantur. Locum quoque, cibos & ſupellectilem cum vilioribus permutant; nec niſi in humili ſcamno ſedent. Nihil vini, nihil obſonii admittunt, ſolis oleribus contenti. Veſtes rudiſſimæ ſunt, è craſſa tela conſutæ. Cubili quoque incommodiore utuntur. Quin & ipſa loquendi ratio & phraſis eſt alia, & ad luctum compoſita. Neque adeo antiqua jam eſt appellatio, alio nomine vocari volentibus. Ipſe, qui in luctu eſt, non aliud quam inobſequentis & ingrati filii nomen ſibi tribuit, ut qui neſciverit obſequio curâque debitâ parentum vitam propagare, ſed iiſdem mortem pluribus offenſis accelerarit. Nec ſermo tantum, ſed etiam charta mutatur

Sinarum luctus in morte parentum.

& ſcri-

& ſcribendi modus non rubrica, non papyrus minio imbuta ſcriptioni adhibetur. Lætioris autem coloris vicem flavus ſubit vel cæruleus. Veſtes candidæ, non ut inter Europæos, hilaritatis, ſed mœroris argumentum. Mira prorſus hæc Sinarum in parentes defunctos pietas, & imitatores alibi vix repertura, eatenus præſertim, quod cum vident ætate provectis magis neceſſaria eſſe obſequia ſua, multi è magiſtratu ejus relinquendi poteſtatem flagitent, haud aliud cauſantes, quam quod fractis ſenio parentibus omni, qua poſſint, ope ſubvenire debeant. Nec facile quis ab Imperatore in ea re fert repulſam, gnaro, in ea pietate nihil ambitionis latere.

Cur tribus annis lugeant.

Quod autem triennium in eo luctu ponant, cauſam è Sinica philoſophia non omnino inanem afferunt. Æquum enim eſſe, qui in primo vitæ triennio, ſui adhuc impotes, parentum in ſe charitatem ſint inprimis experti, tantundem temporis poſt eorum obitum ad moleſtias, quas eiſdem feciſſent, velut expiandas lamentis & mœrori à filiis impendi. Vnde non mirum, à Sinis in maximæ infelicitatis loco deputari, ſi prole careant. Intelligunt enim, neminem ſe habituros, à quo vel in declivi vita obſequium, vel poſt mortem poſſint ſolennem luctum ſperare.

Sphæra miranda a Xuno conficitur.

Abſolutis ergo tribus mœroris annis *Xunus* in demortuorum Imperatorum aula inſpecto regio theſauro ac gemmis, ſeptem planetarum ſphæram ex illis fabrefecit, è cujuſque gemmæ ingenio planetis ſingulis aptam attribuens; aliamque terræ loco in medio ſtatuit. Fuit *Xunus* eximie prudens, moribus perquam compoſitis, & omnibus charus; quod ſua viciſſim eaque ſumma in cives charitate promeruit. Enitebat in eo non umbratilis virtus, ſed ſolida & in utraque fortuna conſtans. Ferunt enim in quovis oculo geminam pupillam habuiſſe; quod inde in Phyſiognomia Sinica, cui gens hæc impenſe dedita, bene magna de ea habet volumina, variis vultuum linearumque figuris referta, inuſitatæ felicitatis argumentum haberi cœpit. Neque hoc mirandum. Vidi ipſe puerulum in oculo dextro duas pupillas habentem. Quæ res parentes

Pupilla oculorum duplex.

Sinæ Phyſiognomiæ deditі.

rentes ejus ſingulari gaudio affecit, reputantes eum congenitam futuræ proſperitatis teſſeram in oculis ferre. Nec vani auguris fuere. Filius namque cum familia univerſa Chriſtianis ſacris imbutus, non alio nomine quam iſto potuit eſſe felicior.

Porro *Xunus* remp. novis variiſque ordinibus civium ac munerum diſtinctam, ritibus inſuper ac legibus multum adauxit. Sex quoque tribunalia ſub *Yuo* inſtituta in meliorem formam redegit, adlectis multis, qui magiſtratui jus dicenti partim aſſiderent, partim Præfectorum vices communicata poteſtate ſubirent. Ditionem deinde univerſam in provincias duodecim partitus, omnes ipſe quotannis coram obibat. Tum annos quatuor in excipiendis Regulis beneficiariis explorandaque illorum fide conſumſit; quos pœnis aut præmiis, ut erant cujuſque merita, affecit. Viros doctos & ſapientes præ ceteris fovit. Præfectis per omnes provincias imperavit, ne agriculturam impedirent unquam, alio laborum genere vexando agricolas; ut largam ubique annonam procurarent, hoſpites peregre procul adventantes benigne exciperent, munia probis tantum & idoneis mandarent, virtutem præmiis excitarent, bonis fidem haberent, malos dimitterent. Quinque ſuppliciorum genera conſtituit, quibus criminum reos vel naſo, vel talo pedis, vel manu, vel capite, vel denique acerbiori quopiam mortis genere plecterent. Sin ambigerent judices de ſupplicio in conſilium adhibere jubebantur clementiam, & mitius iraſci. Exilii tres gradus pro ſceleris magnitudine ſtatuit. Graviſſimum fuit, toto Sinarum regno extorrem ad Barbaros amandari. Proximum, à patria ultra mille Sinica ſtadia exeſſe. Tertium ac mitiſſimum erat, regni duntaxat finibus proſcribi, nulla meta longinquitatis præfixa. Sed inter omnia *Xuni* imperia illud mihi palmam teneat, quo vetuit, nequis idcirco pareret, quod Imperator, ſed quod æqua juberet. Hinc forte Præfectos ſuos allocutus, *Tum demum*, inquit, *moram mihi gerite, cum, quod bonum & æquum erit, imperavero.*

Sex tribunalia reformata.

Leges Xuni perutiles.

Supplicia quinque à Xuno inventa.

Exilium triplex.

Xuni dictum memorabile.

Inter

Tartarorum prima in Sinas irruptio.

Inter hæc Tartari, de quibus prima hæc apud Sinas eſt mentio, in Sinicam ditionem infuſi, prædas agebant. Nec deinceps unquam deſtitere Sinarum terras infeſtare, uti ſuis locis docebimus. At *Xunus*, cui ſuorum ſalus cordi eſſet, in tempore ivit obviam per Præfectos ſuos graſſanti maleficio, patriæque tranquillitatem in præſens reſtituit.

Aquarum operoſæ deductiones.

Sub eadem tempora ſolicitus, quem aggerem objiceret aquis planiora Sinarum inundantibus; *Yuo Quenii*, ob hoc ipſum negotium male curatum occiſi, filio munus hoc demandat. Is patris exemplo ſapiens, tredecim annorum ſpatio tanta diligentia curavit negotium, uti tandem maximo incolarum bono ingens opus ad finem adduceret. Ajunt eum hoc annorum decurſu ſæpe ſuas ædes prætergreſſum, nunquam illic divertiſſe, nequid temporis ſibi deperiret, exſequi regia juſſa feſtinanti. Opus omnino ſtupendum, & cui, neſcio, an in toto terrarum orbe par eſſe credam. Exſtant etiamnum illius apud Sinas veſtigia. Ingentia enim & navium capacia flumina per alveos pares derivata; montes integri perfoſſi; alibi lacus & paludes exſiccatæ; alibi egeſtis aggeribus aquæ in lacum coactæ; fluvii majores in duos treſve amnes diviſi, aut in mare deducti; unde ingens terrarum planities longe lateque diffuſa emicuit.

Xunus neglectis filiis Yuo imperium tradit.

Hoc labore, uti & eximiis virtutibus, quibus *Yuus* excellebat, adeo ſibi *Xunum* demeruit, ut ſuiſmet filiis poſthabitis illum in imperii ſocietatem adſciverit. Hoc, quod rarum eſt, annos ſeptendecim concordi poteſtate tenuere. Nimirum facile duos capit regnum, quod capere virtutem poteſt.

Multa quidem alia de hoc Imperatore dici à me poſſent; ſed, quia brevitati conſulo, prætermiſſis ceteris unum referre non abs re mihi viſum eſt. *Xuni* adhuc domi verſantis è noverca frater maxima in illum mala perpetuo machinabatur, parente utroque ad id inſtigante. Inter alias ejus injurias præcipua fuit, quod *Xunus* puteum purgare juſſus, cum eo deſcendiſſet, minimo minus abfuit, quin lapidibus à fratre deſuper injectis obrueretur. Effugit tamen, meatus ſubterranei

terranei forte reperti beneficio; domumque reverſus, teſtudinem, ſtrato inſidens, pulſare cœpit. Adeſt ſubinde frater, animo ejus bona invadendi, quem à ſe peremtum nihil ambigebat. At ubi domum ingreſſus, eum fides pulſantem reperit, obſtupuit ſcilicet, conceptumque ſcelus ſucceſſu carere videns, vocem non invenit. Tum *Xunus* comiter illum affatus, *Frater*, inquit, *quæ cauſa tui adventus? tantiſper hîc mecum conſide.* Hac humanitate recreatus ille, jamque recepta voce, veniſſe ſe ait, ut fratrem viſeret, quem à multo tempore non vidiſſet. Ita *Xunus*, etſi ſciret ſe cum conſcio loqui, oblatum parricidium nec verbo ultus, cælo ſolum gratias egit, quod à familiarium ſuorum inſidiis, quæ miræ, quæ multæ fuere, toties eſſet liberatus. Tandem, ut ſupra diximus, parentes cum fratre, monitis & exemplis *Xuni* reſipuere. Tanta moderati animi vis erat. Iam, ne ſimus æquo longiores, reliqua perſequamur.

SINICÆ HISTORIÆ
LIBER SECVNDVS
De prima imperante familia HIAA.

I. IMP. YUUS.
Solus imperavit annos x.

MOrtuo *Xuno* ejus filius *Yuum* ſibi prælatum indigne ferens, cum natura imperium ſibi deberi crederet, armis illud ivit aſſertum. Sed nec conſilium, nec tentata vis quicquam profuere. *Yuus* quidem, etſi diviſa paullo ante potentia feſſus, profugerat è regia. Sed fugientis modeſtiam ſceptra ſequebantur; deſertoque ab omnibus *Xuni* filio retractus eſt ad culmen, omnino dignus, qui imperaret, quippe qui nulli tunc vel rebus geſtis, vel ingenii magnitudine ſecundus habebatur. Sinenſis tamen ſcripto-

Cyclo 9. *an.* 11. *ante Chriſtum* 2207.

Yuus regnum fugit, cui alius imminet.

ſcriptores hactenus obtrectarunt ejus laudibus, ut regem tantum, non imperatorem vocarent. Suſpicio erat in illum tanquam filiorum nepotumque ſuorum plus æquo amantem & ſolicitum, ut uni traditum imperium ad ceteros deinceps prodiret. Hinc familia *Hiaa* apud Sinas prima hereditaria dignitate imperium in poſteris propagavit. Atqui non patris ambitio filium, ſed ſuamet eum virtus rebus præpoſuit. Ab hac jam tum ubique charus, ab omnibus expetebatur. *Yuus* quidem ſucceſſorem ſibi elegerat *Yeum* quendam, jam ante in imperii ſocietatem adſcitum; at ubi diadema morte illius vacuum fuit, omnium ordinum conſenſu, *Yeo* ſpreto, ad *Yui* filium delatum eſt, utriuſque merita ſpectantium. Ita eligendi mos, ſive jus in hereditariam ſucceſſionem tranſiit. Hæc familia *Hiaa* duravit annis quadringentis quadraginta & uno, ſeptemdecim Imperatorum ſucceſſione continua rerum apud Sinas potita. Ego enim Imperatores eos deinceps vocabo, ut à regibus & regulis beneficiariis diſtinguantur. Hinc patet, quod paullo ante monui, ad hoc uſque tempus imperatoriam poteſtatem ſacerdotio annexam ab eligentium voluntate pependiſſe. Ac licet poſt hunc Imperatorem electionis ritus abolitus ſit; ſacrificii tamen haud perinde. Nam hodie quoque ſoli Sinarum Imperatori conceſſum eſt, *Xangti*, hoc eſt, ſupremo Imperatori ſacrificare, capitis pœna conſtituta iis, quibus id agere non eſſet religio. Noſtro ævo numen quoddam colunt, quod, quale ſit, plane ignorant; olim vero, quin verum Deum agnoverint, ex doctrina à Noë tradita dubium nobis nullum eſt. Imo credimus, quamplurimos olim in primæva naturæ lege ſalutem poſt mortem conſecutos. Talia enim tantaque ſunt, quæ de illorum virtutibus ac pietate ſunt ab antiquis ſcriptoribus prodita memoriæ, ut hoc perquam credibile efficiant. Faxit Deus, ut opera Societatis noſtræ, quæ adhuc non ſine ubere fructu in Sinarum cultura deſudavit, ampliſſimum hoc imperium tandem intelligat, quem veneretur! Mihi videtur veriſimile, per ſummum Imperatorem, *Xangti* dictum, Sinas olim Deum optimum maximum intellexiſſe.

Cur Yuus rex non imperator vocetur.

Electio Imperatoris in ſucceſſionem tranſiit.

Sinæ aliquam Dei notitiam habuere.

Huic

Huic enim ut ſupremo numini ſacra faciebant, fundebantque preces, nullis ad religionem exciendam ſimulacris aut ſtatuis uſi; quippe qui numen ubique præſens venerantes, illud extra ſenſus omnes poſitum, nulla crederent imagine poſſe mortalium oculis repræſentari. In montibus tamen fere templa illi ſtruxere, ubi preces eidem adhibebant. Et ſane duæ illæ ſyllabæ *Xangti* ſupremum Imperatorem ſignificare videntur, ſicut è contrario Imperatorem ſuum in terris jura dantem Sinæ *Hoangti* vocant. *Xangti quid?*

Intelligendum eſt autem, ut plus lucis habeat in annalibus noſtris ratio temporum, Imperatorum annos omnes eorum gubernationi attributos, quocunque menſe moriantur, pro completis haberi. Quamvis enim Sinæ mox eodem anno, quo quis ex Imperatoribus diem obiit, alium in vicem ſubſtituant; is tamen honor demortuo uſque ad finem anni fatalis habetur, ut ejus nomine omnia gerantur, diplomatis quoque literiſque publicis velut viventis adhuc authoritate ſignatis. Succeſſor autem initium ſequentis anni ſuo demum inſignit nomine; niſi transferatur imperium in aliam familiam. Tunc enim quo die imperium auſpicatur, nomen ſuum anno tribuit.

Yuus itaque anno ſupra notato ſolus regnaſſe dicitur, etſi ſtatim à *Xuni* exceſſu, qui in ſuperiorem annum incidit, regnare cœpit. Fuit is *Hoangtii*, præſtantis illius Imperatoris, quarto loco nominati nepos. Gaudebat maxime colore nigro; quem idcirco in omnibus vexillis ſuis voluit eſſe. Victimas tamen, queîs ſummo Imperatori faciebat, croceas ſive luteas malebat. Imperii ditionem, quæ omnis erat à *Xuno* diviſa in provincias duodecim, in novenas coërcuit. Mira de modo agrum cujuslibet tractûs utiliter colendi, ſerendique conſcripſit. Quippe glebam, fertilitatem, ſitum cujuſque ſoli penitus perſpectum habebat, cum ſuapte induſtria, tum aquarum deductione. Hinc multa & miranda de agricultura & ſtercoratione præcepta; quæ pro terræ, quæ aratur, ingenio ſunt diverſa. Fimum uſurpant varium. Alibi bovino, alibi equino aut humano excremento ſaturant agros; aliis locis contuſa *Maxima Agricultura paritio apud Sinas.*

D vacca-

vaccarum oſſa, gallinarum plumas, cineres, porcorum ſetas, & ſimiles quiſquilias pro lætamine glebæ inſpergunt. Ita nihil apud Sinas, in tanta pretioſarum rerum copia, quantumvis vile, deperit nihil, quod uſum non habeat, maximo regni totius emolumento. Ex hac autem *Yui* ſolertia patet, eum geometriam juxta & geographiam calluiſſe. Nam totam Sinarum terram non modo apte diviſit, ſed ita dimenſus eſt, ut, qua altior, qua depreſſior eſſet, illum ſcire neceſſarium fuerit ad aquas ſine noxa derivandas. Soli vero & glebæ cujuſque naturam habuiſſe cumprimis exploratum liber *Xuking*, unde iſta deſumſi, pluribus teſtatur.

Yuus geometra.

Vaſa novem geographica magnæ æſtimationis.

Exinde pro novem provinciarum numero totidem vaſa è cyprio ære fudit provincias referentia; quarum geographica deſcriptio inibi erat expreſſa. Opus fuit omnino ſtupendum, maximique ſemper à regibus fieri ſolitum, non artis tantum admiratione, ſed etiam ominis melioris gratia. Quiſquis enim penes ſe vaſa illa ſervaret, is demum Imperator habebatur; in earumque accurata cuſtodia regni ſtabilitatem eſſe ſitam credidere. Cunctas inſuper imperii terras, ſub quarum cæleſtium conſtellationum eſſent dominio, ſtudioſe obſervavit. Ejus in hac re judicium apud Sinas etiam nunc viget, vocaturque *Yui* diviſio. Conſtellationes autem Sinæ numerant viginti octo; quas noſtris Lunæ manſionibus pari numero definitis olim reſpondiſſe arbitror. Nam ſingulæ quoſdam in cælo gradus occupant, inæqualiter tamen, itaque, ut ſimul totum circulum compleant gradus trecenti & ſexaginta; licet à Sinis totus circulus dividatur in gradus trecentos & ſexaginta quinque, minuta viginti quinque, ad motum nimirum Solis annuum. Has viginti octo conſtellationes noſtro modo ad calculum vocatas, ad annum milleſimum, ſexcenteſimum, vigeſimum octavum hîc ponere viſum eſt. Pro reliquis annis illarum longitudo facile per motum ſtellarum fixarum eruetur. Terras vero illis ſubjectas non adſcribo, quod in Atlante extremæ Aſiæ ſatis id ſuperque præſtiterim.

Yuus aſtrologus.

Conſtellationes viginti octo, ſeu lunæ manſiones.

Nomen

Nomen.		Longit.		Gradus.		Signa.
Kio	♃	198.	39.	18.	39.	♎
Kang	♀	209.	14.	29.	14.	♎
Ti	♄	219.	54.	9.	54.	♏
Fang	☉	237.	48.	27.	48.	♏
Sin	☾	242.	34.	2.	34.	♐
Vi	♂	250.	7.	20.	7.	♐
Ki	☿	265.	43.	25.	43.	♐
Teu	♃	275.	3.	5.	3.	♑
Nieu	♀	298.	54.	28.	54.	♑
Niu	♄	306.	35.	6.	35.	♒
Hiu	☉	318.	14.	18.	14.	♒
Guei	☾	328.	13.	28.	13.	♒
Xe	♂	346.	20.	18.	20.	♓
Pi	☿	4.	1.	4.	1.	♈
Quei	♃	15.	32.	15.	32.	♈
Leu	♀	28.	46.	26.	46.	♈
Guei	♃	41.	46.	11.	46.	♉
Mao	☉	53.	37.	23.	37.	♉
Pie	☾	63.	16.	3.	16.	♊
Sang	♂	77.	14.	17.	14.	♊
Cu	☿	78.	35.	18.	35.	♊
Cing	♃	90.	8.	0.	8.	♋
Quei	♀	120.	33.	0.	33.	♌
Lieu	♄	125.	9.	5.	9.	♌
Sing	☉	142.	9.	22.	9.	♌
Chang	☾	150.	32.	0.	32.	♍
Ye	♂	168.	36.	18.	36.	♍
Chi u	☿	185.	36.	5.	36.	♎

Quod de hoc Imperatore ſubjungam, rarum omnino & fortaſſe inauditum æquiſſimi Principis exem- *Imperator reprehendi*

vult & monentes audit.

plum eſt. Eos qui officii ſui admonitum reprehendebant, non minori facilitate audivit, quam, ut Sinica phraſi utar, aqua deorſum fluit. Hinc ante fores palatii campanam, tympanum, tabellam lapideam, ferream & plumbeam appendi juſſit, addito edicto, quo doctis ac probis viris, qui de re aliqua monendum Imperatorem ducerent, poteſtas fiebat ex his inſtrumentis illud pulſandi, quod cuique cauſarum generi eſſet deſtinatum. Qui juſtitiæ conſultum ibant, ære campano; qui legibus ac religioni, tympano edebant ſonum. Si regni negotia forent, tabellam plumbeam; ſi injuriæ à magiſtratibus illatæ, lapideam; ſi de carcere ac vinculis querelæ, ferream pulſabant. Vtilia ſuadenti inclinato corpore magnaque honoris ſignificatione gratias agebat. Memorant uno die bis è menſa ſurrexiſſe, ut campanam impellenti aures daret; alio die ter balneum reliquiſſe, quod toties ex ipſo inſtrumenta pulſari à monitoribus audiret. Fuit tamen, ut primario cuidam Præfecto iraſceretur hanc ob cauſam. Ille Imperatoris facilitate abuſus, aliis regni proceribus coram adſtantibus, eum acerbius juſto errati arguit. Qua licentia offenſus, confeſtim in palatium ſe proripuit, iraque intumeſcens, monitorem importunum ſtatuit è medio tollere. Sed præcipiti conſilio Imperatrix feſtive atque in tempore interceſſit. Cognita enim irarum cauſa, regio cultu, quo potuit exquiſitiſſimo induta, per occaſionem maritum adiit. Is inſolentem conjugis elegantiam habitumque demiratus, rogat, ecquid ſibi veſtium nitor alieno tempore quæſitus velit? Cui illa, *Magnas uterque gratulandi nobis cauſas habemus, ob quas merito hunc, quem vides, cultum aſſumſi lætitiæ meæ teſtem. Præclare ſane nobiſcum agitur, quibus ii proceres & miniſtri obtigere, qui adulationis omnis expertes vera nobis loqui non timent. Pars maxima regiæ felicitatis eſt, habere, à quo verum diſcas; cujus libertas ſæpe metu offenſæ ſubſtringitur.* Hac ſapienti conjugis oratione aſtuque Imperatoris ira deferbuit.

Rara in regibus exempla.

Imperatrix mira arte maritum placat.

Yuus animi commiſeratione inſignis.

Erat animo ad commiſerationem proclivi. Hinc ſi forte prætervehens reum videret in judicium rapi, è curru

curru mox deſiliens, ſeque ipſum incuſans, *Me miſerum!* lacrimans ajebat, *Sub* Yao *&* Xuno *gens erat ad regum ſuorum nutum facta; nunc me regnante, neſcio quo meo fato aut culpa, cives in deteriora prolapſi, ſpreta jubentis authoritate ac doctrina, ſuis cupiditatibus obſequuntur. Nec injuria doleo, principatu meo malos reperiri, quos priorum regum pietas aut abolevit, aut meliores effecit. At meo vitio ſceleſtos me vivo inter bonos graſſari, quis mihi perſuadeat non eſſe dolendum?* Imperatorem ita ſe aliquando incuſantem purpuratorum quidam interpellans, *Pœnæ*, inquit, *æque regibus ac præmia, ſunt ad coërcendos cives neceſſariæ.* Cui Imperator nihilo ſibi placatior, *Scio*, ſubjicit; *ſed me imperante malis locum & animum peccandi eſſe, cum unica Imperatorum antecedentium virtus eadem opera bonis ad probitatem calcar, & malis à noxa retrahendis frenum eſſet, hoc eſt, quod doleo.* Cum aliquando imperii ſui ditiones ex more luſtraret; navim, qua per *Kiang* vaſtum fluvium vehebatur, ſubito piſcis draconi non abſimilis, ita ſuo dorſo impulit, ut evertenda crederetur. Quo in diſcrimine ceteris metu propemodum exanimatis, intrepidus Imperator, coloris & animi retinens, *Cælum*, exclamat, *imperium mihi dedit, ut gentem mihi ſubjectam juſtitia regerem. Id facere mihi ſemper propoſitum ſanctumque fuit; ut cauſas non habeam mortem ceu neglecti juris vindicem timendi. Si me mori neceſſe; ſcio equidem, mortalem me & peregrinum eſſe, cui diu commorari non licet in hoſpitio. Extra patriam dego, dum vivo; cujus aditum ſi mihi mors aperiat, quid mori formidem? Hoc monſtrum, quod navem invaſit, claudendo vitam, domui meæ, hoc eſt, ſepulchro me reſtituet; cujus ſi me facit inquilinum, finito tandem exilio, gaudii potius, quam mœroris materiem præbet.* His dictis bellua ſubducto tergo quo navim jactabat, evanuit; navigantibus nihil incommodi prȩter mali metum paſſis.

Præclara Yui *dicta.*

Multa alia præclare dixit, ac fecit hic Imperator, quæ liber *Xuking* complectitur. Eximia vero documenta & gnomas, quæ ad rectam gubernationem, dividenda munera, tributa imperanda pertinent ibidemque laudantur, enumerare longum foret; nos pau-

Axiomata regia.

ca libemus. *Rex*, dictitabat, *perpetuo timeat, & velut per glaciem inambulans caute agat, ne à recti tramite aberret. Regnare quippe difficilis & periculi plena provincia eſt. Præcepta & leges ne negligat. Voluptati ne immoretur; curetque, ne in ejus uſu ſit nimius. Agendi finem honeſtum ſtatuat, & quod rationi conſentaneum. Voluntatis ſuæ adverſus populi ſententiam ne ſit tenax. Intra ſe ne pigritetur, ſed animum honeſte atque utiliter occupet. Quæ facienda ſunt, perficere ne cunctetur.* Regiam habuit in provincia *Xenſi*, ubi *Pingyang* civitas eſt, ab ipſomet conſtitutam. Hoc dominante toto triduo auri arenam pluiſſe tradunt. Sub hoc etiam tempus celebris ille Sinenſium potus confici primo ex oryza cœptus eſt; cujus authorem *Ilieum* nominant. Id nectar poſtquam Imperator deguſtavit: *Quanta*, exclamat, *hæc potio damna regno inferet! male ominor meæ quoque ſtirpi perniciem & imperii jacturam hoc dulci veneno paratum iri.* Vatem in utroque *Yuum* fuiſſe poſtmodum exitus comprobavit, ut ſuo loco dicemus. Inventor deinde novæ voluptatis pœnas exilio perſolvit; gravi ſupplicio in eos decreto, qui ſe vivente auſi exinde fuiſſent id genus vini conficere. Verum utcunque novi liquoris artificem patria exeſſe juſſerit; ejus certe parandi artificium ſemel vulgatum abolere non potuit. Hoc ſucci genus etiamnum toto Sinenſi regno in gulæ & menſarum deliciis habetur. Adeo malæ artes in remp. illatæ, citius in authore plectuntur, quam deſinunt.

Aurum pluit.

Vini ſeu potus ex oryza invecti inventor.

In exilium mittitur.

II. Imp. KHIUS.

Imperavit annis IX.

Cyclo 9. an. 21 ante Christum 2197.

Matris inſtitutio proba.

KHius ab *Yuo* patre imperium hereditate accepit omnium ordinum aſſenſu ac voto. Multum ad hoc ei profuit matris feminæ ſapientiſſimæ inſtitutio. Illa enim, quæ Principis, quæ ſubditorum partes eſſent, à puero filium addocuit, paterna potiſſimum exempla inculcans. Quæ *Khius* ad vivum imitatus, ita patrem patriaſque dotes repræſentavit ſuis moribus, ut *Yui* deſiderium in ſubditorum animis olim

inex-

inexſtinctum, jam aut frigidius eſſet aut nullum. Tantum poteſt bona inſtitutio, cum in indolem incidit virtutis capacem ſimul & ſtudioſam. Sub initium regni *Khius* acri bello petebatur ab regulo, cui *Hus* nomen, beneficiario, homine nequam & per ſummum ſcelus augere fortunas ac dignitatem, civium injuriis moliente. Sed impios conatus Imperator in tempore compeſcuit; collectoque magno exercitu & ſex aliis regulis in auxilium evocatis; poſt variam belli fortunam tandem ad terras Canias prælio fudit, delevitque. Ab eo tempore pacatum habuit imperium, ſed non diuturnum. Nam poſt novennium quam regnare cœperat, exceſſit è vita. Fratres quinque ſuperſtites reliquit, quos totidem munitiſſimis arcibus præfecerat, honore regulorum ornatos, & iis opibus inſtructos, quæ regiam conditionem decerent; hactenus tamen, ut nihil ex imperandi jure ſibi arrogarent.

III. Imp. TAIKANGUS.

Imperavit annis XXIX.

TAikangus otium ab hoſte nactus, cum feris bellum geſſit, ultra, quam decebat, venationi deditus; cujus cauſa turpius inter feras quam hoſtes regnum amiſit. Virtutis paternæ avitæque contemtor, moraque diuturna regnandi ſeipſo deterior, imperium plane peſſumdediſſet; niſi à ſuiſmet Præfectis eo fuiſſet exutus. Baccho Venerique addictus, ſeipſum vino, pellicibus regiam impleverat. Venandi ſtudio inſaniens, longiſſimo tempore inter montes & agros degebat, nulla publici boni cura. Agricolarum ſegetes totis venatorum canumque gregibus proterebat, ut leporem vel corvum inſectaretur, ingenti rei plebisque ruſticæ injuriæ. Hinc populi paſſim in illum jactatæ criminationes; adeoque tandem reducta res eſt, ut, dum *Taikangus* montes oberrat, excutiendis ferarum latibulis ac ſtragi intentus, imperio exueretur. Quippe præcipuus è purpuratis, *Ys* dictus, precibus populi opem adverſus tyrannidem im-

Cyclo 9. anno 30 ante Chriſtum 2188.

plorantis commotus, accedente magnatum ceterorum auxilio, *Chungkangum* fratrem Imperatoris natu minorem ad imperium provexit, *Taikango* in exilium ejecto. Nec poſtea, quod in hujuſmodi caſu rarum, quicquam tumultuatum eſt. Deſolatus igitur ac deſertus ab omnibus nec unum quidem habuit, qui ſequi cauſam ipſius aut juvare vellet. In tantum illo ævo regum vitiis populus iraſcebatur, amabatque virtutem. Exulem regnoque jam ſpoliatum, matre comitante, quinque fratres adiere, ſimul conſolationem qualemcunque allature, ſimul exprobraturi vecordiam. Horum ſinguli Sinico ſunt eum carmine allocuti; exſtantque illa metra in antiquiſſimo libro, quem *Xuking* dici ſupra meminimus, quorum ſententiam viſum eſt hic adſcribere.

In hunc ergo modum primus exorſus eſt. *Ab* Yuo *avo noſtro hæc eſt imperanti dicta lex, Populum amandum, non ſpernendum, aut opprimendum. Hunc enim regni radicem eſſe, cujus robore & conſtantia regni quoque firmitatem niti. Aurigæ ſimilem eſſe, qui aliis præeſt; qui vero ſex equos putri fune colligat, an non ei caute agendum?*

Alterius carmen hoc erat. *Domi ardes libidine, foris venatione, nepotaris utrinque. Gaudes obſcœna muſica, tecta cælo minantia ſubſtruis civium ſanguine. Hæc qui faciat, eum ego putem, tametſi nolit, ſua ſponte ac volentem in exitium ruere.*

Tum tertius, *Iam inde,* inquit, *ab* Yai *temporibus ad nos uſque omni virtutum genere floruit regia; tu primus à majorum veſtigiis digreſſus es. In quibus eorum gubernatio feliciter conſiſtebat; illa cum tu verteris omnia, quid mirum, te quoque cecidiſſe?*

Quartus in hanc ſententiam lamentabatur. *Claros! ô claros parentes noſtros! qui vel mille regnorum potienti ſanctiſſimis legibus ac præceptis lucem ad bene regnandum aperuere. Hæc tibi nobiſque relicta, heu! quantum doleo ſpreta tibi uni fuiſſe! Merito regno excidiſti, qui ne poſteri ſuccederent, primus interceſſiſti.*

Quintus denique ita dolorem ſuum explicuit. *Heu! quo pacto domum redibimus? mœror animum exedit,*

ac con-

ac conficit meum. Taikangus, *frater noſter, eſt odium publicum populi. Ego quò me vertam? ad cujus opem ſupplex confugiam? altius deſcendit in pectus meum triſtitia, quam ut illam queam concoquere. Angor intimis ſenſibus; vultus pudore obſtupeſcit, contabeſcitque cor meum. Sed meo merito hæc patior, qui à recti tramite deflexerim, nec virtutem ducem ſecutus ſim. At enim dolendi flendique tempus nimis ſerum eſt, quod præteriit.*

IV. IMP. CHUMKANGUS.

Imperavit annis XIII.

HIc poſtquam procerum ſtudiis fratri in imperio ſuffectus eſt, etſi obtentam dignitatem iis acceptam ferret; veritus tamen, ne *Ys* ſemel ſuas vires in imperio fratri abrogando expertus, in ſuum quoque exitium fieret potentior, ei putavit non tantum fidei, quantum gratiæ debere. Authoritate præterea populique favore Imperatori vix imparem ſuſpectabat. Prudens juvenis, ac præ quam ab illa ætate ſperes. Eum proinde per ſingularis amicitiæ ſpeciem, & ut ſuis negotiis domi neceſſarium continet in regia; imperio militari, quod *Ys* in Imperatoris copias adhuc exercebat, in *Cheum* exploratæ fidei hominem transmoto. *Ys*, licet ſagacis ingenii, tam ſpecioſo tamen carcere non intellexit ante ſe teneri, quam alieni à ſe animi ſigna in Imperatore deprehendit. Quem ne magis exacerbaret, neceſſitati ac tempori obſecutus, altiſſimo ſilentio diſſimulavit, quicquam à ſe injuriæ loco haberri; clam autem totius *Hiaæ* familiæ interitum machinabatur. Et primo quidem magiſtratuum voluntates, queis poteſt obſequiis conciliare ſibi allaborat. Inde Imperatori variis lenociniis imminet, quem ſciebat in imperio ſucceſſurum patri. Ne vero ſcelus vindictæ cupidine conceptum quamprimum exſequeretur; *Chei*, qui ejus loco exercitui præerat, fides ac vires obſtabant. Omnem igitur lapidem movet, ut eum apud Imperatorem in invidiam & ſuſpicionem vocet; quo facto facilis & expedita patebat ei ad iram explendam

Cyclo 9. *anno* 59. *ante Chriſtum* 2159

Prudentia juvenis Imperatoris.

dam via. Nam quibus artibus impetraſſet, ut *Cheum* magiſtratu exueretur; iiſdem effecturum ſperabat, ut alius qui ſuarum eſſet partium ſubſtitueretur. Verum Imperator ejus technas ſubodoratus, nec invidioſe laudantem nec palam calumniantem audivit. Iterum deinde clandeſtinam cædem in *Cheum* molitus, ubi nihil procedit totus in demerendo Imperatoris filio fuit. Nec conſilio defuit fortuna. *Chungkangus* enim immatura morte decedens, filio imperium reliquit; quem *Ys* jam ante ſibi obnoxium adulando fecerat.

Eclipſis ſolis.

Memorabilis eclipſis imperante *Chunkango* accidit, dum ſol ſidus aut conſtellationem *Fang* dictam obtineret, quæ nunc temporis circa vigeſimum octavum gradum ſcorpii eſt. Eam quod Aſtrologi regii per incuriam non prædixerant, morte multati ſunt. Annum hujus eclipſis non eundem apud omnes reperio. Alii aſſerunt eam altero anno hujus Imperatoris ante Chriſtum bis milleſimo conteſimo quinquageſimo octavo contigiſſe; alii in ſextum ejuſdem annum referunt, qui foret ante Chriſtum bis milleſimus centeſimus quinquageſimus quartus. Ceterum Mathematicos alii putant necatos, quod *Yſi* clam faverent. Vtcunque eſt, quod de futurâ eclipſi præmonere neglexerint; nemini cauſa mortis inſolens apud Sinas videri debet. Eſt enim vel hodie illic in more poſitum, ut regius Mathematicus, ſi forte in munere ſuo ejuſmodi errores admittat, capite luat. Quippe Sinæ grande piaculum credunt, laboranti tunc ſoli aut lunæ, neve canis aut draco ſeſe devoret, metuenti, ſolennibus ſacrificiis, ritibus, & inprimis ingenti ſtrepitu, clangore non in tempore ſuccurriſſe. Vnde poſtquam Imperator de imminente eclipſi fuit à ſiderum peritis commonefactus, mox per curſores cunctæ imperii civitates de die & hora illius edocentur. Quo tempore Præfecti ac cives ubivis locorum eam horam ſolicite exſpectant, tympanis ac pelvibus æreis inſtructi, ut imminens alterutri periculum eâ comploſione avertant.

Mathematici ob errorem occiſi.

Et occidi ſoliti.

Superſtitio circa eclipſes.

V. IMP.

V. Imp. SIANGVS.

Imperavit annis XXVII.

Siangus à patre imperium, non item conſilium acceptit. Incautus enim adoleſcens obſequiis ac blanditiis *Yſi* jam diu irretitus exautorato Cheo, exercitui eum denuo præfecit. Qui tamen, ut infida eſt omnis poteſtas adulatione quæſita, paullo poſt ingratus ac perduellis vires in exitium Imperatoris convertit. Conciliatis ergo ſibi militum ſtudiis primo ad regia imperia obſtinate cunctatur. Dein multa in ipſum nefarie machinatus, tandem cogit è regia profugere. Aliquamdiu exul duorum regulorum ſanguine ſibi junctorum *Chinquonii* & *Chinſini* hoſpitio uſus eſt.

Cyclo 10. *an.* 12 *ante Chriſtum* 2146. *Gratiæ abuſus.*

Interea *Ys* homo verſutus nondum palam in Imperatorem inſurgit, fidem quorundam regulorum veritus, quos ſciebat à *Siango* nulla arte dimovendos. Quare ætati Imperatoris nondum à ficta adulatione vera obſequia dignoſcentis iterum illudit, ſimulans illius cauſam & regnum ſe tueri. Quod è regia fugerit, id magno ſuo dolore factum. Rediret modo; & quem fugerit, ex obſequiis porro ſuis ac fide agnoſceret. Inter hæc tamen fidiſſimos Imperatoris miniſtros confictis criminibus in ejus odium adductos aut è medio tolli, aut regno ejici jubet, ſuarum partium ſtudioſis in eorum locum ſubrogatis. Nec multo poſt, ubi omnia ſibi ad imperium prona vidit, palam ſe pro Imperatore jactavit.

Sed, ut plerumque fieri ſolet, partam ſcelere felicitatem inſperata calamitas oppreſſit. Erat *Hanzous* ex iis, quos *Ys* ad magiſtratus evexerat, facile primo apud tyrannum loco, arcanorum ante alios conſcius. Hunc præcipuis muneribus excultum, copiarum denique ducem conſtituit. Multiplex ingenium ei ac tortuoſum erat; qui ut tuto ſolus imperaret, duos imperatores necavit, alterum *Siangum* legitimum, alterum per tyrannidem ſceptrum uſurpantem *Yſim*, uno utrumque conſilio, ſcelere diverſo, in uno ingratus, in altero parricida. Primus ejus artibus

Perduellis perduellem decipit.

tibus *Ys* ſuccubuit, fide amici, ut putabat, hominis fretus ſuique ſecurus, omnes imperii per nefas obtenti curas & negotia *Hanzoo* reliquit. Ipſe licentiæ ſe totum permittens, venationem præ ceteris voluptatibus ſectabatur; arte ſagittandi antecellens omnibus. Inter hæc *Yſi* feras agitante *Hanzous* militem ſuum velut à *Siango* emiſſum in perduellem, clam ſubornat, ut *Yſim* in ſilva oberrantem, nihilque metuentem confeſtim opprimant atque obtruncent; fama interim quaquaverſum didita, *Siangi* Imperatoris juſſu eos hoc facinus aggreſſos. Nec deſtinata fefellit eventus. *Ys* enim velut talionis lege punitus, ut olim *Taikango* venanti eripuerat imperium, ita illud una cum vita venando amiſit. *Yſis* peritiam in jaciendis ſagittis inter memoranda ponunt Sinæ, ut & ingens nervorum brachiorumque robur, tam certa contentioſaque manu ſagittas librantis, ut aliquando novem aves jaculis totidem uno impetu evibratis confixerit; rara dexteritate ac prorſus admiranda.

Pœna talionis.

Sagittandi peritia & robur.

Poſt *Yſim* in hunc modum ſublatum *Hanzous Siangum* quoque ambitioni ſuæ victimam deſtinat, ut amotis æmulis imperium ipſe unus abſque metu exerceat. Erant *Yſi* duo filii, quorum natu major *Kiaus* appellabatur, animi corporiſque robore patre non inferior. Navim quidem, qua vehebatur, ferunt ſolum trahere per continentem ad alterius fluminis litus potuiſſe, ſi exſcendendum, alioque in fluvio navigandum eſſet. Hunc ſubmiſſa clanculum parte copiarum in Imperatorem armat *Hanzous*, atque ad expetendas paterni ſanguinis pœnas excitat, Imperatore ſimul ac duobus regulis è medio ſublatis. *Kiaus* tam ardore animi, quam pietate ultro ad vindictam & arma promtus, mox conſcribit exercitum, quem cum *Hanzoi* copiis conjunctum perquam numeroſum effecerat. Nec minori contentione, quanto potuit exercitu coacto *Siangus* vim vi parat repellere, adjutus regulorum, quos dixi, auxiliari manu. Ita demum ad pugnam ventum eſt; in qua victor *Kiaus* Imperatorem & utrumque regulum ſua manu, vindictæ avidus, interfecit. Neque iſta clade hoſtium contentus.

totam

totam ſtirpem *Siangi* radicitus exſciſſum ivit, eouſque felici conatu, ſola ut regina tum prægnans fuga elapſa inter montes & paſtorum mapalia latitaret. Ita vacuum imperium *Hanzous* invaſit, & ipſos quadraginta annos obtinuit. *Kiaum*, cujus periculo ac nomine pugnaverat, laudatum regulis adnumeravit, exigua regni portione beneficii loco ei attributa, cujus felicitati totum debebat.

VI. Imp. XAOKANGUS.

Imperavit annis XXII.

Cyclo II. *anno* 19. *ante Chriſtum* 2058.

X*Aokangus* hoc demum anno paternum imperium reſtauravit, tot annis amiſſum; quod ita evenit. *Siangi* uxor, quæ ſola fugiendo perduellium furorem evaſerat, intra montium latibula *Xaokangum* enixa, ſummo natalium ſilentio ibidem enutrivit. *Hanzous* tamen ea re neſcio quo indicio tandem patefacta, quamprimum homines ablegavit, qui inter paſtores latentem ad ſe pertraherent. At *Xaokangus* de periculo admonitus, relictis ſilvis in dynaſtæ cujuſdam *Yn* dicti territorium aufugit, eique aliquamdiu ignotus pro coquo ſerviit. Dynaſta hominis mores curioſe obſervans, ex agendi loquendique gratia deprehendit, ejus indolem eſſe paſtoris & coqui conditione nobiliorem. Quare *Xaokangum* aliquando aggreſſus de genere ac fortuna illius varia percontatur; ab eoque de majorum ſuorum, nec non diuturnæ calamitatis ſerie cuncta cognoſcit. Tum non jam ut coquum, ſed ut Imperatoris filium amplexatus, abſterſo culinæ cultuſque vilioris nidore filiam ei ſuam in matrimonium dedit, adjecta ditionis parte, unde pro dignitate alere familiam poſſet, ac ſimul ſpeciem daret, qualis in imperio ampliori eſſet aliquando futurus. Et mox apparuit eum regendi artes non à paſtoribus, ſed à regia indole hauſiſſe. Domi enim moderate ſuis imperabat; neque interim intermiſit artes militares in umbra & pace addiſcere. Inde ſoceri beneficio & opera illius nomen apud Præſe-

Imperator coquus.

Præfectos regni, qui olim in parentis fide rebus etiam adverſis perſtabant, ſenſim innotuit. Quem ſtatim pro *Siangi* filio agnitum & ob exploratam ſubinde ipſius indolem charum, collectis undique copiis juverunt, populo univerſo legitimum regni heredem ſibi reddi exoptante. Ita in perduelles & *Hanzoum* parricidam ducto exercitu, vario eventu initiò pugnatum; ſed poſtremo prœlio tyrannus acie victus captuſque meritas tantorum ſcelerum pœnas luit. Quo caſu *Xaokangus* paterno ſceptro potitus *Kiaum* quoque, ut *Hanzoi* ſcelera dictantis miniſtrum bello petit, miſſis in eam expeditionem Præfectis; qui cæſo *Kiai* exercitu ipſum captum obtruncarunt. Fratris necem ulturus minor natu, dum arma in Imperatorem jam victoriis aſſuetum movet, nihilo meliore ſucceſſu à *Chuo* filio ſuperatus interimitur. Ita trium proditorum interitu *Hiaa* familia propemodum exſtincta, ſed poſtliminio recreata. *Xaokangus* deinceps rebus omni ex parte tranquillis regnum gubernavit.

VII Imp. CHUUS.

Imperavit annis XVII.

Cyclo 11. *anno* 41. *ante Chriſtum* 2057.

POſt ſuperiora bella feliciter confecta, annos complures imperium Sinicum ſub auſpiciis *Hiaæ* gentis, quæ plures ex ordine imperatores dedit, alta pace fruebatur. *Chuus* autem jam ante imperium bellica gloria inſignis, &, ubi regnum adiit, virtutis & rerum geſtarum æſtimatione non minus quam armorum metu omnes facile in officio continuit, patriæ quiete nullis unquam poſt hæc bellis tentata.

VIII Imp. HOAIUS.

Imperavit annis XXVI.

Cyclo 11. *anno* 58. *ante Chriſtum* 2040.

HInc *Hoaius* à *Chuo* patre pacatum ac florentiſſimum accepit imperium. Sed longa pacis ſegnitie luxuriare cœpit Sinica felicitas, peſſimo inducto more, Sinis regibus hodieque recepto æque ac perniciofo

nicioſo. Quippe *Hoaius* imperii curis in miniſtrorum fidem contraditis, ipſe totum ſe deliciis inter feminarum ſpadonumque greges permiſit. Hinc licet apud Sinas omnia negotia per ſupplices libellos ad Imperatores referantur; illi tamen è gynecæo vix unquam egrediuntur in publicum. Verbo Imperatores, re autem vera voluptatis mancipia diceres. Quanquam in tanto dominantium luxu Imperatores quandoque Sinæ habuere optimis comparandos; ut deinceps patebit. *Vita deſes imperii corruptela.*

Hujus Imperatoris æuum tam felix admiratæ gentes exteræ Sinis finitimæ, otioque ſimul tam beato & ordinata regni gubernatione allectæ, ultro ſe tributarios allatis muneribus profeſſi ſunt. Quas inter inſularum Orientem ſpectantium populi numerantur, quorum mentionem primam ſub *Yuo* Imperatore liber *Xuking* facit. Hæ inſulæ fuerintne *Iaponia*, an *Carea* peninſula, an aliæ minores Sinicæ continenti viciniores, incertum eſt. Neque enim è Sinico ſcriptore certi aliquid eruere licet, nomen inſularum tacente. Illud tamen certum, navibus vectos advenisse; unde jam tum à Sinis navigatum fuiſſe indubitatum eſt. Sed de Sinenſium antiquiſſimis navigationibus per hoc Indicum mare infra dabitur loquendi locus. Eos enim claſſibus totam hanc Aſiam penetraſſe, & ad inſulam, quæ hodie à S. Laurentio nomen habet, perveniſſe, antiqua paſſim Sinenſium monumenta teſtantur, de quibus infra.

IX. Imp. MANGUS.

Imperavit annis XVIII.

M*Angus* patrem imperio, ut in imperandi ratione per omnia ſecutus, in hoc uno ab eo diſceſſit, quod regiam urbem in locum commodiorem à regione occidenti magis objecta ad Croceum fluvium tranſtulerit. Hoc nomen fluvio, quem Sinæ *Hoangho* vocant, ob croceum ſeu luteum colorem datum eſt, ab argilla, per quam volvitur, flaveſcenti. A montibus Amaſæis, quos *Quenlung* Sinæ vocant, per quingen- *Cyclo 12. anno 24. ante Chriſtum 2014.*

quingentas leucas & amplius ingenti aquarum mole illam orbis plagam verſus procurrit, quæ media inter Orientem & Septentrionem eſt. Inde paullatim ortum petit, Sinas Boream inter & Occcidentem alluens; ac per deſertum *Caracatayo*, ſeu *Lop* oberrans, denique curſu in Auſtrum flexo quinque Sinarum provincias irrigat, & murum illum fama tam celebrem, qui Tartarorum irruptionibus objicitur, ſubingreſſus, tandem in provincia *Nanking* prope *Hoaigan* in mare magna vi aquarum ſe exonerat, ſemper croceo, quem vehit limo turbidus. Argilla enim, quæ nomen & colorem fluvio conciliat, non, ut in limpidis aquis, ex imo tralucet; ſed undarum violento curſu identidem excitata torrentium more, pluviis intumeſcentium, totum flumen tingit, uti multiplici experimento compertum eſt. Aqua enim inde vaſa excepta ubi aliquamdiu conquievit, minutiſſimus limus tanta copia in fundum ſubſidit, ut tertiam fere partem conſtituat; quod mihi aliquoties experiri placuit. Certe cum primitus ingens hoc flumen vidi, paludem aut fluidum limum intueri me credebam; ſed ſumma, qua fluit, rapacitas aliter de ipſo ſentire me docuit. Mirum, unde tanta vis argillæ proveniat: neque enim clareſcere ac limpidus fieri unquam viſus eſt. Hinc proverbium natum Sinis, res ceu nunquam futuras explodentibus: tunc nempe quidpiam eventurum, quando Croceus fluvius clareſcet. Qui plura de hoc fluvio ſcire deſiderat, noſtrum Atlantem extremæ Aſiæ conſulat.

X. IMP. IS.

Imperavit annis XVI.

Cyclo 12. *anno* 42. *ante Chriſtum* 1996.

Reguli Sinarum clientes.

FVit *Is Mangi* filius, cui exteræ circumjacentes nationes non modo tributa pendebant, ſed earum quoque reges imperiorum ſuorum poſſeſſionem ſibi ab eo conferri glorioſum ducebant; æquitatis ac juſtitiæ fama, nec non altiſſima pace provocati, cujus fructum ſe quoque laturos ac tantæ gentis amicitia contra finitimos

timos hoſtes deinceps fore defenſos judicarunt. Ea conſuetudo ditionem ſuam auſpicio Sinenſis Imperatoris adeundi, etiamnum apud multos manet; quibuſdam tamen, ut ſunt *Iapones* & *Cochincinæ*, intermiſſa, aliis commercii potius, quam ſubmiſſionis cauſa id facientibus. Cum enim Sina ſit exteris ita clauſa ut ingreſſus non facile ulli quam legatis pateat; Turcę, Laoſii, Samarcandæ, Mogores, & Tibetani pedeſtri itinere, Siones vero & Camboji navibus advecti, Sinas ingrediuntur, ubi per ſpeciem legationis tractant privata mercimonia. Neque hi Principum, quos ſibi quiſque fingunt, ſimulati oratores munera ſuo ſumtu parata gratis apud Imperatorem profundunt. Nam longe plura receſſuri accipiunt, quam dederant; illo turpe ſibi futurum exiſtimante, ſi munerum opulentia cuiquam concedat. Quin legati omnes dum inibi commorantur, cum toto comitatu aluntur è publico, eorumque merces regio ſumtu in regiam uſque deportantur, eas quoquoverſum diſtrahendi aut novas coëmendi facta poteſtate. Vbi regno iterum excedunt, pari liberalitate ad Sinarum fines nulla ſua impenſa deducuntur, vecturis regio juſſu & ære procuratis. Id legationis genus exteris plurimum lucri affert, alieno ſumtu rem ſuam augentibus. Interea ſplendide Imperatores decepti legatorum commento à regibus ſalutantur, qui neque regnum aliquando neque vitam habuere. *Ficta ad Sinas legationes.*

XI. IMP. PUKIANGUS.

Imperavit annis LIX.

SVb hæc tempora inteſtina diſcordia domus regia laboravit, Imperatorum fratribus ac filiis inter ſe diſſidentibus, cum utraque factio traheret ad ſe imperium. Sed *Pukiangus* Imperatore proxime defuncto genitus cauſam & regnum obtinuit. De quo plura non exſtant, niſi annis eum plurimis probe Sinas gubernaſſe; hoc uno infelicem, quod rebus filii non ita providerit, ut eum regni heredem relinqueret. Eo enim mortuo ipſius frater imperium invaſit, *Cungkia Pukiangi* filio è ſucceſſionis jure per vim depulſo. *Cyclo 12. anno 58. ante Chriſtum 1980.*

XII. Imp. KUNGUS.

Imperavit annis XXI.

Cyclo 13. *anno* 57. *ante Chriſtum* 1821.

KVngus Pukiangi frater continuata, quam frater in nepotem exercuit, injuria, & ipſe regnum invaſit, *Cunkia* iterum ſemoto; qui ne feram quidem ſpem haberet, poſthabito nepote filius à *Kungo* ad imperium deſtinatur. Aliud nihil ab eo actum memoria dignum.

XIII. Imp. KINUS.

Imperavit annis XXI.

Cyclo 14. *anno* 18. *ante Chriſtum* 1800.

PAternos annos, hoc eſt, unum & viginti in imperio aſſecutus eſt, tranquillo admodum & felici. Neque de hoc quidquam memorabile habetur, niſi quod regnum non optima fide acceptum bonis artibus retinuit. Paternæ tamen virtutis commendatio nihil ſilio ad ſpem regni ac ſucceſſionem profuit. Eo enim poſt parentis obitum prӕterito, ad juſtum heredem poſtliminio regnandi ordo rediit.

XIV. Imp. CUNGKIA.

Imperavit annis XXXI.

Cyclo 14. *anno* 39. *ante Chriſtum* 1769.

TAndem imperium bis debitum totieſque prӕreptum *Cungkia*, ut *Pukiangi* filiús, obtinuit. Sed poſt tam diuturnam moram adhuc tamen citius, quam reipublicæ utilitas ferebat, regnare cœpit. Mox enim ut ſe in eo faſtigio collocatum circumſpexit, modeſtiam & frugalitatem penitus dediſcens, voluptati ſe in ipſo imperii aditu totum mancipavit, femineo nomini factis etiam conſentientibus. Ergo neglecta boni publici ac virtutis cura, negotia regiis miniſtris, ſe vero totum luxui & feminarum amoribus permiſit. Neque penſi quicquam habuit, quales eſſent, boni an mali, quorum conſuetudine gaudebat, contra quam ab ejus majoribus factitatum; ſed cujuſque merita ex adulandi artificio æſtimans, eos habuit aliis chariores,

res, qui aſſentando ipſius flagitia honeſtis nominibus tegebant. Hinc præcipua munia penes adulatores fuere. Quibus vitiis ad ſuæ ſtirpis à regno deinceps demovendæ perniciem viam aperuit. Nam plurimi è regulis beneficiariis eo contemto tanquam indigno, cui parerent, palam in eum obſequium exuere cœperunt. Neque ſic è veterno expergiſcens, nullo remedio conatus eſt eos in officio continere, voluptatum pertinax, tot annorum femina verius quam Imperator. Tandem flagitiis finem mors impoſuit. Filium habuit *Caum* nomine, tam vitiorum, quam regni heredem.

XV. Imp. CAUS.

Imperavit annis XI.

C*Aus* ergo mali corvi malum ovum, patris mores imitatus, florenti adhuc ætate ſeipſum deliciis ac nimia venere ante diem confecit, relicto titubantis imperii ſucceſſore *Fauo*. *Cyclo* 15. *anno* 10. *ante Chriſtum* 1848.

XVI. Imp. FAUUS.

Imperavit annis XIX.

F*Auus* nulla re alia fuit memorabilis, quam perditiſſimi filii *Kiei* ſucceſſione, nemini poſthac ex ea gente continuanda. Ejus enim ſcelere imperium tanto tempore in eadem familia retentum in aliam translatum eſt, uti dicemus. Vnde enim imperia niſi virtute ſubſiſtant? cui, ut ſua initia debent, ita non aliis rationibus ſervari queunt, quam quibus inchoata ſunt. *Cyclo* 15. *anno* 21. *ante Chriſtum* 1838.

XVII. Imp. KIEUS.

Imperavit annis LII.

HAbuerunt Sinæ in *Kieo* Neronem ſuum tot ſeculis ante, quam Roma ſuum execraretur; aut ſi quod aliud monſtrum ulla gens aluit. Hinc Sinæ ſi hominem omnino perditum vivis coloribus volunt *Cyclo* 15. *anno* 40. *ante Chriſtum* 1818.

Robur corporis.

deſcribere, *Kieum* appellant. Corporis robur in eo rarum fuit; animi non item. Ajunt eum facili niſu denſum funem rupiſſe, hamumque ferreum trium digitorum craſſitie, utraque manu arreptum in rectum extendiſſe. Vxor ei erat *Vihia* nomine; à qua ad omne ſcelus flectebatur. Inſaniens ejus amore, offenſamque veritus, omnia illius arbitrio facere. Cujus rei non ignara *Vihia*, quidquid libido aut ſuperbia dictabat, à *Kieo* amantium jure quaſi pro imperio exigebat. Nec iſte cunctantior in annuendo, quam illa in petendo fuit; unius mulierculæ amori omnia totius imperii commoda poſtponens. Hinc perpetuis tributis exhauſtæ populi univerſi opes; hinc aurata palatia, ſumtuoſa theatra & ſtagna marmoreo ambitu foſſiſque clauſa impendebantur ejus libidini. Memorabilis imprimis fuit ille luxus & inauditum in eum diem voluptatis genus, cum ingens terræ ſpatium in ſtagni modum excavatum naviumque capax juſſêre vino impleri; cujus in ripa tria hominum millia per circuitum prono ore canum inſtar procumbentium è lacu ad ſatietatem & vertiginem uſque ſe ingurgitarent. Ita poti ad ſilvam proximam, quam Carneam dixere, titubarunt, ut vino jam madidi epulis quoque ſe infercirent. Ex ejus enim nemoris arboribus quotidie boves, apri, cervi, aliaque id genus animalia jam aſſata pendebant eorum gulæ parata, qui è lacu bibiſſent. Alterum ſpectaculum longe nocentius excogitarunt, palatio, quod ſecretum vocabatur, in eam rem magnifice exſtructo, ut ex utroque ſexu juvenes forma præſtantes undique conquiſiti, veſte & pudore poſito nudi promiſcuè habitarent, cujus fœdiſſimæ conſuetudinis arbitri & laudatores regii conjuges aliena voluptate ſe oblectabant. Nec magis impudica, quam crudelis hæc mulier humanas carnes in deliciis habebat; quas, & maximè ſiccas oſſium medullas neſcio qua arte medicatas ad acuendam ſuam & Imperatoris libidinem adhibebat. Hæc *Vihia Kieo* in manum ita convenerat. Regulus quidam antehac rebellis ſimulate criminis veniam petiit, veteres tamen inimicitias adhuc animoſe exercens. Sed ut ad Imperato-

Mala femina quovis hoſte nocentior.

ris

ris clementiam molliret aditum ſibi; *Vibiam* præſtantiſſimæ tunc formæ puellam obtulit ei per ſpeciem obſequii, non dubitans hac una procaci puella majorem ſe cladem *Kiei* rebus quam toto exercitu illaturum. Nec eum opinio fefellit. Nam *Vibia* in cauſa fuit, ut Imperator ejus artibus everſus, poſt etiam regnum amitteret, non ſuo tantum, ſed totius *Hiaa* familiæ interitu. Et adhuc miſer inteſtinum hoſtem, ut ſuas delicias fovebat, ad omnes cohortantium voces præterquam ad Sirenis hujus pernitioſæ cantilenam ſurdus. Tantam tyrannidem exercet femina ſemel viri potens.

Ergo reguli licentia Imperatoris offenſi, paſſim deficiunt; &, quod antehac regibus nondum ad omnia ſcelera prolapſis factitarant, ſpreto jam tum illorum imperio, queis virtutem, ut regiæ dominationis teſſeram, deeſſe videbant, in hoc omnibus vitiis oppleto longe liberius auſi ſunt. Neque jam odia tantum Imperator, ſed & arma omnium in ſe converterat, ſi Præfectos aliosque magiſtratus excipias. Haud enim defuere, qui boni publici & Imperatoris amantes, leniora prius remedia malo adhibenda cenſerent. Ii variis rationibus & quodam commonendi artificio ſtuduerunt *Kieum* ad regni & ſui adeo curam excitare. Sed ubi nihil profectum, *Qualungus* inter purpuratorum præcipuos animo ſumpto intrepide in illum ita detonuit. *Meminiſſe te oportet, Imperatoris præcipuum decus modeſtiam eſſe, qua præditus pro cujuſque conditione tuis honorem & charitatem exhibeas. Non ſecus in cives pius, quam pater in filios; & fide tam integra, quam viciſſim ab iiſdem exigis. Principis enim boni eſt, ſuis recte vivendi legem non tantum dare, ſed eſſe, ſi ſolida pace velit cum ſibi ſubjectis frui. Tu vero penitus horum oblitus, homines tibi commiſſos pecudum inſtar non ut paſtor gubernas; ſed, ut latro fortunis omnibus exſpoliatos, etiam vita privas. Cave, ne ſero te facti pœniteat! poſtquam, uti cives nefarie occiſos ad vitam reducere non potes; ita nec ſuperſtites à te alienatos eſt in manu tua revocare ad obſequium. Quare te hortor atque oro, ut rebus nondum plane deſperatis mature ad frugem & Imperatoris officium*

Libertas magiſtratuum in Sinis.

officium redeas. Incenſus hac oratione Imperator, & in hoc etiam degener à virtute majorum, qui veri adhuc patientes in illa rerum inclinatione fuere, *Qualungum* occidi è veſtigio, ſe præſente, jubet. Tanti ſæpe ſtetit apud principes à vero alienos loquendi libertas. Ea cædes *Tangum* regulum è nobiliſſima *Hoangtii* familia ſuperſtitem graviter affecit; maxime vero, cum audiſſet, inhumatum abſque lamentis ſolemnibus ſepulturæ expertem, quæ ambo apud Sinas ſummæ infelicitatis loco habentur. Is igitur homines certos conſtituit, qui cadavere ſepulturæ decenter mandato, defuncti manibus ritu luctuque patrio parentarent. Ob id obſequium Imperator quem ea res latere non potuit, *Tango* graviter iratus, eum comprehendi tradique carceri mandavit. Quem tamen paullo poſt libertate donatum ditioni ſuæ reſtituit; poſtquam nemo alius eum ſuorum ſcelerum admonuit.

Modus idoneus admonendi Imperatorem.

Subinde cum Imperator excuſſa bene conſulentium importunitate, in pejus quotidie rueret; proceres omnes tantæ fœditatis ad extremum impatientes, quotquot aderant, ſimul Imperatorem adeunt, eique tabulam offerunt omnia ejus facinora graphice continentem. Tum lacrimis perfuſi rogant, ut tandem injuſtis cædibus ac rapinis modum ponat. At is, ut erat à flagitiis ferox & ſuperbus, contemta iterum hortatorum oratione, deteriora præteritis moliebatur, præcipuos magiſtratus, queis ob fidem tam conſtantem alia omnia debebat, ut factionis capita inſectans. Quæ res illi poſtremo exitium attulit. Nam proceres indignati ſe ſuaque conſilia ludibrio eſſe, omnes ſimul in ejus interitum conjurant, atque ut tyrannum regio nomine & faſtigio indignum cum ignominia imperio deturbant, advocato in auxilium *Tango* laudatæ virtutis regulo, quem ſupra diximus *Qualungi* ob admonendi libertatem occiſi funus curaſſe. Eum jubent in *Kieum* arma ſumere, eoque devicto belli jure imperium ſibi vindicare. At negat *Tangus* hoc ſibi jus eſſe, ſi *Kieus* facti pœnitens ſpem de ſe frugis exinde melioris faciat: nec aliter arma ſe, niſi ut ægrotanti neceſſariam medicinam capturum. Eo conſilio exercitum conſcribit,

bit, omnibus ad id audendum animos & vires addentibus. In eo diſcrimine *Kieus* plus animi, quam auxilii aut fortunæ habuit. Etſi enim & ipſe copias undique ad defendendum bellum contrahere nitebatur; raros tamen è toto imperio milites collegit, pleriſque caſtra illius ut virtuti & publico bono inimica deteſtantibus. Deſertus igitur à ſuis, externo præſidio res ſuas domi pene collapſas fulcire parat. Tartaris ad opem ſibi ferendam excitis ingentia præmia militiæ pollicitus, ſi adverſus cives, ut ipſe ajebat, rebelles tempeſtive ſuccurrerent. Sed & Tartari negarunt malo Imperatori ſe militaturos. Vſque adeo vel inter barbaros eſt odio nequitia. Itaque *Kieus* jam ab omnibus deſertus, ubi res ſuas ita in anguſto videt; tantiſper pœnitentiam ſimulat, *Tangum* quæſitis verbis, uti vitam ſibi condonet, obteſtans. Qui ea ſpecie reſipiſcentis motus, non modo longioris vitæ gratiam fecit; ſed plus etiam, quam ſperare audebat ſupplex, hoc eſt, imperium reſtituit. Ipſe ut rebus ex animi ſententia confectis curaque belli depoſita domum rediit; raro moderati animi exemplo. Sed & *Kieus* ſimul ad imperium, ſimul ad ingenium rediit. Mox enim cum recollectis neſcio unde viribus, *Tangum* velut perduellem laceſſit armis. Iamque in conſpectu erat uterque exercitus; cum primo ſtatim congreſſu *Kieus* à ſuis deſeritur, qui abjectis armis omnes *Tangum* ut Imperatorem amplectuntur. Is *Kieum* fugientem eouſque inſequitur, dum extra fines regni Sinenſis ejectum cogit in exilio vitæ reliquum exigere. Illic mortuus, ignobili exitu ſecum tot ſcelera ſepeliit, unaque ſtirpem ſuam; quæ prima regnare poſt ejus exilium in Sinis deſiit, à vino & venere exſtincta. Dignum eſt obſervatu, Scriptores Sinicos *Kieum* nunquam Imperatoris nomine dignari; ſed quoties illius mentio recurrit, latronem vocitare. Nec ſine cauſa. Quid enim non latronis habeat, quem inſontum civium cruor impiavit?

Kieus in exilio moritur.

SINICÆ HISTORIÆ LIBER TERTIUS

De ſecunda imperiali familia XANGA.

I. IMP. TANGUS.

Imperavit annis XIII.

Cyclo 16. *anno* 32 *ante Chriſtum* 1766.

EOdem, quo *Kieus* ejectus eſt, anno apud Sinas *Tangus* regnare cœpit, is qui primus familiam in *Xangam* Imperatoris nomen intulit, à ſua olim dynaſtia, cum regulus eſſet, attributum. Hunc etiam annum Sinenſes hiſtorici *Tangi* nomine & imperio inſigniunt, more majorum, quoties in novam ſtirpem regnum transfertur, id obſervantium. Vt enim bono Imperatori honos ille habetur, ut annum, quo ex hac vita deceſſit, ei velut adhuc viventi, aſſcribant, qui demortuo ſuccedunt; ita ſequitur illum infamia, qui ſuo ſcelere jus regnandi à poſteris alienavit. Memorant hunc Imperatorem tanto omnium applauſu lætitiaque, cum ob ſuam probitatem, tum ob *Kiei* odium, exceptum fuiſſe, ut, ad quamcunque ſe regni plagam conferret, alii alia Sinarum in ditione poſiti, interea grave ſibi ducerent, ejus ceu ſideris benigni adventu ſe adſpectuque fraudari. Quacunque incedebat, omnes extremis digitis pedum, ut Sinica phraſi utar, inſiſtentes, erectiſque capitibus venientem præſtolabantur. Exercitus ejus tanta modeſtia huc illucque commeabat, ut amicos potius mercatores, quam milites rapinis aſſuetos diceres. Hinc ſtudia populi promeriti, quacunque tranſibant, obvios paſſim civium, ac præcipue puerorum greges habuere, oryzam & ceteram annonam ultra gratiſque offerentium, & in militem tam amicum, tam abſtinentem obſequiis certantium. In tanta rerum tranquillitate unus *Lopeus* auſus eſt in *Tangum* arma movere, nulla alia cauſa, quam regnandi cupidine. At enim

Modeſtia militum grata.

enim levi prælio victus captuſque, bonorum omnium & vitæ ipſius jactura, temeritatis pœnas dedit. Rebus ita compoſitis nihil optimum Imperatorem gravius affecit, quam metus, ne apud poſteros affectati regni notam incurreret, tanquam inde legitimo ejus herede per ſcelus ejecto. Qua de re ſæpe cum proceribus colloquens, ter volebat ſe abdicare imperio. Sed nuſpiam regiæ modeſtiæ relictus eſt locus. In ſententia nihilo ſecius perſeverantem, è præcipuis purpuratorum unus denique conſolans, *Cælum*, inquit, *homines ita creavit, ut propriam cuique agendi, quæ luberet, libertatem indiderit. In qua animorum diverſitate ſi nemo ſit, cujus nutu omnes intelligant ſe gubernandos; totum orbem perpetuis diſſidentium inter ſe bellis & opinionibus turbari neceſſe eſt. Huic malo ut Cælum provideret, reges nobis dedit ſapientia & uſu rerum eximios, qui mortalium libidines, odia, contentioneſque compeſcant. Etiamnum* Kieus *regnaret, ſi virtuti apud eum locus fuiſſet. Nunc ubi privatæ potius voluptati, quam publicis regni commodis operam dedit, iniquus populi vexator, quem variis tormentis enectum aqua & igni delevit, nullius culpæ reum; Cælo placuit, illo ſublato, te virum fortem, prudentem, patriæque amantem rebus præficere, cujus virtute ſperamus regna omnia ad frugem revocanda, præſertim cum nemo ignoret,* Yui *ducis optimi præcepta, mores, ac documenta te ſequi. Noli itaque hoc decus abjicere, non à te quæſitum, ſed à nobis Cælo jubente tibi renuenti obtruſum. Quod ſi ad gentis tibi ſubjectæ utilitatem converteris; cauſam non habebis, cur famam iniqui regis in poſteris formides, qui ut tuas virtutes, ita prioris vitia ex iiſdem annalibus diſcent.* Plura in hanc rem addidit, quæ liber *Xuking* habet; ego ſtudio brevitatis omitto.

Tangus præ modeſtia vult ſe regno abdicare.

At necdum Imperator de vetere ſententia demotus reſpondit in hunc fere modum. *Eſt hæc à cæli ſupremo Imperatore generi humano impoſita atque inuſta lex, ut, qui ad naturam vivit, in ejuſque conquieſcit inſtinctu, is demum capeſſat ſceptrum reliquiſque præſit. Ego quod* Kieum *è faſtigio dejecerim, id Cælo jubente factum, cui refragari neſas duxi. Nunc ejus imperii religione exſolutus, ad alterum, qui me ſit melior,*

reſpiciatis cenſeo. Ego mea ſorte finibuſque contentus, vel idcirco ab hoc honore abhorreo, quod ei populo imperandum intelligam, in quo mali multi ſunt inter paucos bonos. Regnum eſt inſtar agri triticei, in quo frumentum multo lolio & avenâ corrumpitur, aut orizæ plurimis paleis immiſta. Igitur tantæ multitudini regendæ me imparem ſentiens, ne in cælum offendam, vereor, ſi provinciâ me illâ ſupra vires onerem. Ad imperii nomen haud ſecus atque ad ingentis præcipitii conſpectum exhorreſco. His auditis Præfecti & magiſtratus omnes eum denuo conſolari, atque adeo non alium Imperatorem ſibi deſtinaturos religioſe affirmare, ſimul omnem operam opemque polliceri. Pertinaci pietate victus denique Tangus imperium tyranno ereptum accepit virtute ac modeſtia imperantem perpetuo ſequentibus. Hinc ſummis infimiſque charus, æquitate, liberalitate, comitate omnes ſibi devinxerat. In quibus illud palmarium, quod aurifodinas in montibus, quos *Heng* appellant, qui *Peking* à provinciâ Xanſi ſeparant, repertas promiſcue populo utendas ſine tributo conceſſit, nullo inde quæſtu in ærarium ſuum redundante. Proxima cura fuit, ſanguinarias *Kiei* leges abolere, ſufficereque alias, quas etiam amarent ſubditi, Quo factum eſt, ut non hi modo, ſed & reguli omnes ea æquitatis fama commoti una cum ſuis ſe illi ultro ſubjicerent. Habuit *Tangus* inter miniſtros *Iynium* nomine, ſupremum militiæ Præfectum, qui armis juxta conſiliiſque juvans Imperatorem, magnitudine animi & fortitudine, prudentia item, & in illum fide apud Sinas eximius habebatur. Quæ de ſingulis nec ea pauca, memorare poſſem; conſulto prætereo. Porro *Tangus* initium anni Lunam primam ſolſtitio hiemali viciniorem deinceps eſſe voluit. Vt ſibi ſuiſque identidem eſſent & è re natâ præſto in palatio documenta melioris vitæ, in vaſis utenſilibus gnomas ad eam rem appoſitas inſculpi juſſit. In eâ ſupellectili ante alia pelvis erat, quam ipſe ad abluendam aqua calida, ut Sinæ ſolent, faciem adhibebat; in qua hæc epigraphe legebatur, omni hominum ordini amplectenda, *in dies te renova, & iterum eodem die te renova.*

Mos lavandi vultum.

Sed

Sed ejus pietas erga ſubditos in unâ re omnium maxime enituit. Cum enim ingens eſſet toto ſeptennio terræ ſiccitas, nullâ interim de cælo aquâ veniente; itum è ſuperſtitione gentis ad ſortem. Ea ſic decrevit, ut unius hominis precibus ac morte cælum omnium vicem placaretur & remolleſceret. Quod ubi ad *Tangum* relatum eſt, *Pluvia*, inquit, *ut commune bonum populo, cui præſum, à cælo datur. Eam ſi fata jubent ab uno pro cunctis exorari; me potiſſimum inſtans calamitas manet. Locum omnium tenenti convenit, omnium cauſam agere. Qui prodeſſe debet omnibus, nocere nemini poteſt. In me igitur incumbit culpa fatorum; quorum ictum ſi fas non eſt vitare, honeſtum erit pro publica ſalute vitam meam impendere.* Sub hæc jejunium ſibi indicit, cæſarie unguibuſque, quos promittere apud Sinas non leve nobilitatis ſignum & ornamentum eſt, præciſis, nudis pedibus corporeque cinere terraque conſperſo, hac prece ſe cælo piacularem victimam devovit. *Inſcitiam aut ſcelus meum, obſecro te ſupreme cæli Imperator, ne populus luat. Mihi te iratum habeam, modo parcas innocenti patriæ. At ſi ego forte male meos guberno, ſi domi mea luxum ſplendoremque juſto majorem tolero, ſi adulatoribus alienamque famam obtrectantibus aurem nimis patientem commodo; meum id crimen eſt, me cælum ad pœnas depoſcat.* In hunc fere modum ſexies cæli dominum obteſtabatur, cum repente ingentibus procellis effuſus imber longe lateque terras ſumma omnium lætitiâ rigare cœpit. Scires *Tangi* pietate factum, ut in imperio penes *Tangianam* exinde familiam eſſet tam diuturna ſucceſſio. Annis namque ſexcentis & quadraginta tribus eum non intermiſſa ſerie ſunt è ſua ſtirpe ſecuti ſeptem omnino & viginti, vitiis ac virtutibus promiſcue inſignes, prout cuique voluptas aut reſpublica magis cordi ſunt.

Tangi pietas in cives.

II. Imp. TAIKIAUS.

Imperavit annis XXXIII.

MAgni illius *Tangi* è filio nepos hic fuit: initiò regni avo virtutibus longe diſpar, ejus documenta

menta leges, & gubernandi rationem vel ignoravit, vel neglexit. Vtut eſt, *Iynius*, cujus opera in belli paciſque negotiis Tangum fuiſſe uſum, ſupra diximus, vir ſummæ authoritatis, ut incautum juvenem ad bonam frugem traduceret, ſæpe hujuſmodi verbis uſus eſt. *Fortunæ cæloque non ſemper fidendum; nec uni eidemque conceſſum perpetuo imperium. Id, ubi virtus abeſt, corruere neceſſe; at illa comite, quieta Imperatori erunt omnia. virtute collapſa ut plurimum ruunt imperia.* Hæc, inquam, & ſimilia liber *Xuking* nobis ſuppeditavit, ne quis conficta ſuſpicetur. Sed ad irritum cecidit hæc philoſophia, obſtinato ad meliora juvene. Tum conſilium cepit *Iynius*, in quo audaciamne magis mirer, an ſummam fidem, neſcio. Quippe veritus, ne unius ſocordia toti imperio perniciem afferret; prope avi ſepulchrum in domo ad id exſtructa Imperatorem velut captivum includit, ipſe tutelæ nomine imperium gubernat. Res mira dictu! juvenem fortunæ ſuæ ſecurum; & quicquid liberet, pro licito judicantem, ipſo triennio eoque amplius ibi detentum, & aſſidue ad avitæ virtutis imitationem incitatum adeo demum fregit, uti prioris vitæ pœnitens, avo jam moribus eſſet ſimilior quam ſibiipſi. Raro prorſus exemplo. pauci enim fiunt imperando meliores, peccandi licentia à virtutis amore abducti. Multo promtus eſt privatæ vitæ modeſtiam in nova dignitate dediſcere. At *Iynius* nulla non laude dignus, calcata dominandi libidine, cui ſi obſequeretur, facile potuiſſet ſibi regnum ex toto vendicare, Imperatori optima de ſe promittenti, imperium reſtituit, in regiam poſtliminio, applauſu omnium ordinum, deducto. Ibi tantum abfuit, ut ultionem peteret ex *Iynio*, ut eum ſummis etiam honoribus excultum, patris exinde loco diligeret. Magna dein omnium approbatione imperium habuit nuſquam ab avi veſtigiis deflectens; regulis etiam, qui ejus licentiaſi offenſi ſeceſſerant, ad officium ſua ſponte redeuntibus, poſtquam didicerunt *Taikieum* novo invento reſipuiſſe. In hunc modum reſtitutam publicam quietem longa felicitas excepit, *Iynio* cumprimis adnitente, cujus conſilio Imperator omnia moderabatur.

Inſignis fides in Imperatorem.

III.

III. Imp. VOTINGVS.

Imperavit annis xxix.

HIc ſuperioris filius nec patri virtutibus impar, ubi vidit *Iynium* decrepita jam ætate eſſe; ne nihil de tanto viro poſt ejus obitum ſupereſſet *Kieutanum* amplæ ditionis Præfectum ei committit iiſdem artibus imbuendum, quibus ipſe in eum uſque diem Imperatoribus bello ac pace tantopere profuiſſet. Nec ſpes *Votingum* nec metus fefellit. Nam & *Iynius* octavo poſt illius inaugurationem anno diem obiit ſupremum, veris Imperatoris populiq; totius lacrymis deploratus; & *Kieutanus* peritiam rerum gerendarum adeptus, felici ſucceſſione defuncti deſiderium mitigavit. Magno quidem uſui *Votingo* fuit; omnia cum domi, tum foris recte atque ordine agebantur. Tantum unius viri virtus valet, ſi in Principem inciderit, veri capacem. *Cyclo 17. anno 18. ante Chriſtum 1720.*

IV. Imp. TAIKENGUS.

Imperavit annis xxv.

TRes deinceps Imperatores ſequuntur, de quibus nihil memoria dignum reperio, quæ præter annum, quo quiſque cœpit imperare, quoque deſiit. Primus *Taikengus Votingi* filius videtur ſine prole mortuus, quippe cui defuncto frater natu minor ſucceſſiſſe ſcribitur. *Cyclo 17. anno 47. ante Chriſtum 1691.*

V. Imp. SIAOKIAUS.

Imperavit annis xvii.

T*Aikengi* frater fuit; neque aliud de ipſo extat. *Cyclo 18. anno 12. ante Chriſtum 1666.*

VI. Imp. IUNGIEUS.

Imperavit annis xii.

ET hic antecedentis frater, deficiente Sobole ſceptri hæres fuit, ex alia tamen matre natus. *Cyclo 18. anno 29. ante Chriſtum 1659.*

VII. Imp.

VII. Imp. TAIUUS.

Imperavit annis LXXV.

Cyclo 18. *anno* 41. *ante Chriſtum* 1641.

HIc *Yungyei* frater germanus fuit, cujus exordia imperii oſtentis præſignia fuere. In ipſa enim regia morus & triticum ſponte tantaque celeritate ſunt enata, ut ſeptem dierum ſpatio & morus in arborem adulta fructus proferret, & frumentum jam maturum ſpicas exhiberet. Præterea putei etiam altiſſimi præter naturæ legem ſimul exundavere. Territus ea rerum facie Imperator, ut proni ſunt Sinis ad ſuperſtitionem animi, verenſque, ne quid ſiniſtri portenderetur, è Præfectis quemdam *Cheum* nomine, jubet ex iis prodigiis in futurum conjicere. Ille prudentiſſime, nihil contra veram virtutem portenta poſſe reſpondit. *Si gentem tibi ſubjectam ex æquo bonoque gubernaveris*, inquit, *nihil erit, quod labefactet felicitatem tuam*. Digna Imperatore, digna cordato conſiliario reſponſio, Nec in irritum cecidit. Quippe ſalutare conſilium ſecutus *Taiuus*, totus in virtutem incubuit, & inſigni probitatis ac prudentiæ laude majorum ſuorum quorumcunque famam ad decus adæquavit. Illud inter ejus facinora non ultimo loco celebratur, quod ad ſuſtentandam paupérculæ plebis ſenectutem in ſingulis urbibus certam de publico annonam conſtituit. Vnde morem illum ad hæc uſque tempora fluxiſſe putem, ut in qualibet civitate Xenodochium exſtet, in quo certus ſenum numerus publico ſumtu alatur. Iuſtitia in primis ei curis erat. Quotidie ſummo mane faciles aures dare ad ſe venientibus; neque prius è tribunali ſurgere, quam omnibus, qui ſe conventum vellent, copiam feciſſet ſui. Quæ res tenuiorum præcipue fortunis & innocentiæ profuit, quæ non raro à potentioribus obteritur; & ſimul prætorum æquitatem intendit ab Imperatore vindicari timentium. Ita cum à paucis timeretur, non amorem omnium promerebatur. Et, ut Principum exempla in familiares dimanant, eximios aliquot ac præſtantes miniſtros habuit, quorum auxilio ipſos ſeptuaginta quinque annos im-

perium

perium perpetuo pacatum obtinuit. Nihil portentis in regiam virtutem audentibus; qua nullum eſt potentius adverſus omnium terrores amuletum.

VIII. Imp. CHUNGTINGUS.

Imperavit annis XIII.

HÆc Imperatorum familia regiam hucuſque ſedem in loco, cui *Mao* nomen in provincia *Xanſi* habuit. Exin ob crebras fluminis Crocei exundationes ac damna ei urbi toties illata, in provinciam *Honan* facta migratione in urbe *Hiao*, ubi nunc *Gaocam* civitas eſt, conſedit. Neque tamen à Croceo, qui tunc *Hiao* præterfluebat, diſcedere placuit, navigationis commodis retento. Et regni quidem initio ad portus muniendos ejuſque modi opera alia otium ei non defuit. Pacatiſſimum à Patre imperium acceperat. Ad ultimum tamen, ut nihil eſt inter homines perpetuum, bellum, ſed breve, ſumere coactus eſt; accolis ad Auſtrum circa *Kiang* fluvium, latronum more, provincias Sinicas invadentibus. Inter ingentes prædas multi etiam hominum abripiebantur. Quæ res cum ſemel atque iterum eis proceſſiſſet, ulterioris prædæ ſpe accenſam cupidinem ſtimulante, latrocinia ac rapinam continuant. Tum vero *Chungtingus* ad bonum publicum reſpiciens, & tantæ licentiæ obviam eundum ratus, miſſis cum milite Præfectis, impetum prædonum ita repreſſit, ut multo dein tempore nihil tentare ſint auſi.

Cyclo 19. *anno* 56. *ante Chriſtum* 1562.

IX. Imp. VAIGNIUS.

Imperavit annis XV.

V*Aignius Chungtingi* frater, quindecim annos rerum potiebatur, nulla re memorabili geſta, niſi quod omnibus charus acceptuſque fuit.

Cyclo 20. *anno* 8. *ante Chriſtum* 1549.

X. Imp.

X. Imp. HOTANKIAUS.

Imperavit annis IX.

Cyclo 20. anno 24. ante Chriſtum 1534.

HIc *Vaignii* frater natu minor ſceptrum adeptus, quod ille ſine prole exſtinctus eſſet immatura adhuc ætate; ob Crocei fluminis inundationes denuo ſedem regiam mutavit, loco editiore delecto ad *Siang*, quæ *Honanæ* provinciæ olim civitas, hodie *Kingte* appellatur. Neque hic quidquam memoria dignum geſſit; uno tantum filio, quem optimum reliquit, imperii ſucceſſore felix.

XI. Imp. ZUIEUS.

Imperavit annis XIX.

Cyclo 20. anno 33. ante Chriſtum 1525.

IS *Zuyeus* fuit, cui poſt obitum Pacifici cognomen adhæſit, ſubjectam gentem, quoad vixit, in profundiſſima pace continenti. Qua in re magno illo adjumento Colai ſummi Præfecti virtus fuit. Hoc enim nomine Colaum, quod adjutorem ſeu privatum ſignificat, Sinæ vocant. Qua voce nos etiam utemur deinceps, ut eum à ceteris ſummis item tribunalium Præfectis diſcernamus. Hujus ergo Colai, cui nomen *Hienius*, virtute ac prudentia effectum, ut reguli beneficiarii, omnes, nec pauci dynaſtæ ſummo conſenſu & amore pari *Zuyeum* ut Imperatorem amplecterentur; promtiſſimi ſemper ad reverentiam obſequii.

Etſi vero jam ſupra de regulis ac dynaſtis illata mentio eſt, quales fuerint & unde, hoc tamen loco denuo notari velim, eos omnes ex imperatoria ſtirpe vel filios, vel nepotes fuiſſe. Nam una in familia penes unum duntaxat ſuprema poteſtas erat; reliqui dignitate regulorum inſigniebantur attributa ditione & vectigalibus, quæ ſplendorem generis non offuſcarent. Sed deinceps nonnullos dicemus, quos huic ordini merita ſua extra ordinem inſeruere. Id adeo ſub hoc Imperatore factum, qui *Hienium* hac dignitate primum donavit; nunquam tamen à ſe abire paſſus, quo carere non potuerat, ſuoque regno ante omnes fideli.

XII. Imp.

XII. Imp. ZUSINIUS.

Imperavit annis XVI.

ZVſinius Zuyei filius in aditu imperii jurgiorum materies fuit; &, niſi obviam eſſet itum in tempore, jamjam in bellum gliſcentium. Magna patruos inter ac nepotes pro regno contentio fuit. Illi tanquam ætate priores affectabant imperium; hi paternam ſucceſſionem jure naturæ fulciebant. Litem diremit *Hienius* uſu rerum & authoritate pollens, & à *Zuſinio*, factione utraque omiſſâ pronunciavit. Sed his paria, imo pejora ſuis quæque locis referentur, ab una dominandi libidine, quæ nec ſanguine junctis parcit, & omnia pro utilitate diſpenſat, orta. Hujus tamen imperium, ubi cognatorum lites conſenuere, perpetua pace floruit. *Cyclo* 20. *anno* 52. *ante Chriſtum* 1506.

XIII. Imp. VOKIAUS.

Imperavit annis XXV.

HIc per vim illatis contra nepotem armis imperium obtinuit, injuſtum quidem illud, diuturnum tamen & felix. Ejus filium quem ſibi ſucceſſorem deſtinaverat, ſpei & ambitionis irritum nepos ejecit, ut ei præcluſa eſſet in præſens omnis ad imperium via. *Cyclo* 21. *anno* 8. *ante Chriſtum* 1490.

XIV. Imp. ZUTINGUS.

Imperavit annis XXXII.

ZVſinii Imperatoris filius ſecundo genitus. *Vokiai* nepos, eum patruo regnante ſe præbuit, ut ab ipſomet quamvis ſine ſpe mutuæ pietatis, & prærepto per vim imperio haud dubie infenſus adhuc ipſi, tamen diligeretur. Tanta vis eſt virtutis, ut etiam hoſtes, qui, cum diſſimulantur injuriæ, ſæpe pejores fiunt, alliciat ad diligendum. Solers & ad futura proſpicienda ſagax, ita ſuis rebus moderabatur, ut patruo mortuo mollis ei eſſet ad imperium acceſſus, ſine vi, ſine armis ſolo, uti dictum, filio ejus excluſo. Illud qua pruden- *Cyclo* 21. *anno* 33. *ante Chriſtum* 1464.

tia eſt adeptus, eadem ad finem uſque retinuit; ſummæ moderationis exemplum poſteritati relinquens. Nam cum filio dare aditum poſſet ad ſucceſſionem; procerum judicio permiſit, facerent, quod è republ. ducerent eſſe. Quo illi præterito *Nankengum Vokiai* filium ad imperium ab exilio arceſſivere.

XV. Imp. NANKENGUS.

Imperavit annis XXV.

Cyclo 22. *anno* 5. *ante Chriſtum* 1433.

QVanquam non caruit turbis ea ſucceſſio; cum magiſtratus *Nankengum* retinerent, præfecti ex adverſo *Nankengi* filium mallent. Et diſcordia in bellum exiit; in quo factio, quæ pro *Nankengo* decernebat, ſuperior fuit.

XVI. Imp. YANGKIAUS.

Imperavit annis VII.

Cyclo 22. *anno* 30. *ante Chriſtum* 1408.

Y*Angkiaus Nankengi* frater per vim & ipſe imperium invaſit, eliminatis nepotibus. Hæc dominandi libido & inter patruos ac nepotes rixæ, parum abfuit, quin agnatam huic familiæ ſucceſſionem extinguerent. Quippe belli diſſidio à ſe invicem diſtracti totum miſcebant imperium. Magiſtratus Præfectique in factiones diſceſſerant; rem ſuam quiſque gerere, atque ad eorum cauſam acclinare ſe, à quibus opes honoreſque ſperabant. Regulis quoque beneficiariis fluxa fides, cum priſcam Imperatorum ſimplicitatem deſiderarent, imperium primo timidius, mox palam aſpernantibus. Pari licentia tributa, quæ quotannis ferre ſoliti erant, jam recuſare audebant. Quare imperio in varios quaſi potentatus, qui ſui juris eſſent, diſtracto, in pejus omnia ruebant. Actum fuiſſet de Imperatrice domo, deque imperio univerſo, niſi fluentem rempubl. reſtituiſſet Imperator, quo de nunc dicendum.

XVII. Imp. PUONKENGUS.

Imperavit annis XXVIII.

P*Vonkengus* igitur *Yangkiai* frater, ubi gubernacula imperii tractare cœpit, rempublicam cognatorum maximè ambitione perculſam atque afflictam excitare aggreditur. In ambienda poteſtate à ſe quoque peccatum non diffitebatur, læſo nepotum jure; ne tamen exemplum ſuum prodiret ad alios, cavebat diligenter. Principio igitur imperii nihil prius quam de legibus actum. A *Tango* ejus proavo quondam latæ poſtquam alibi conſtituta regia, & ipſæ ſimul translatæ, velut in peregrino & ignoto ſolo elanguerunt. Ea igitur ad *Mao* denuo reducta, cives, quo pronius hanc mutationem acciperent, tum ſcripto, tum coram hortabatur. Deinde imperatoriam familiam antiquato *Xangæ* nomine *Yniam* indigetavit, à provincia, è qua prodierat ad faſtigium. Præterea totus in eo fuit, ut optimos quoſque ampliſſimis officiis quà domi, quà foris excoleret. Seditioſis nuſquam locus erat. Denique huc maxime incubuit, ut gubernandi ratio, qua uſus erat *Tangus*, ejuſque mores imitatione reviviſcerent. His conatibus prolixe fortuna favit. Nam & ad priſtinum ſtatum familia, & reguli beneficiarii dynaſtæque omnes ad obſequium atque comitia publica rediere; non alia re magis eos quam virtute Imperatoris invitante. Salutare decretum, quo cavebat in poſterum, ut Imperatorum filii ſuccederent, diſcordiis tandem finiendis, è quibus tot exſtiterant mala, ſucceſſu caruit. Cum enim ipſe nullum ſuſcepiſſet heredem; imperium fratri morte ceſſit.

Cyclo 22. *anno* 37. *ante Chriſtum* 1401.

XVIII. Imp. SIAOSINIUS.

Imperavit annis XXI.

SIaoſinius *Puonkengi* frater nulla re par illi vel conferendus, per ſocordiam rurſus imperii ſtatum jam meliorem tantum non peſſumdedit. Mollis & voluptarius, quo loco eſſet reſpublica, quidque à Præfectis

Cyclo 23. *anno* 5. *ante Chriſtum* 1373.

ageretur, adeo penſi nihil habuit, ut ne audire quidem vellet; unis voluptatibus obediens. Quibus ne à quoquam intercederetur, ſummam rerum aſſentatoribus crediderat.

XIX. Imp. SIAOYEUS.

Imperavit annis XVIII.

Cyclo 23. *anno* 26. *ante Chriſtum* 1352.

HVic *Siaoſinius* pater imperium una cum luxu, ſocordia atque deſidia quaſi per manus tradidit. Liberali quidem præceptorum diſciplina educatus eſt à puero; ſed ut primum ab iis liber & ſui juris, rei Sinicæ arbitrium obtinuit; ſalutaria monita oblitus, & tanquam laxatis libertatis habenis, veſtigia patris ingreſſus purpuratis inſuper aſſentando virtutis nondum adultæ nervos elidentibus, libidine, inertia, levitate inſignis fuit. Vſque adeo in malum proni ſumus, metu ſoluti; maxime ſi mali laudatores acceſſerint. Hujus memoriam illuſtravit utcunque filius imperii ab eo relictus heres; quo fortaſſe meliorem admirabilioremve Sinæ non habuere. Id adeo nunc videamus.

XX. Imp. UUTINGUS.

Imperavit annis LIX.

Cyclo 23. *anno* 54. *ante Chriſtum* 1324.

Pietas in defunctum patrem.

ADoleſcens patrem morte amiſit; quam inſolita triſtitia ac dolore luxit, nullum ſignum gratæ voluntatis in eum omittens. Pietas enim, ut ſupra oſtendimus, præcipue adverſus parentes mortuos Sinis ſemper ſanctiſſima fuit. *Uutingus* ergo, ut palam faceret omnibus, qua eſſet erga demortuum parentem obſervantia, Canpuono Colao ſuo ſeu adjutori tradidit imperium. Ipſe prope ſepulchrum paternum exſtructa ædicula toto triennio deliteſcens, non inerti tamen otio interim marcebat; ſed quæ optima gubernandi ratio, quæ virtutes ad eam maxime neceſſariæ, ſecreta æſtimatione penſabat. Silentio, quod mirere, tam ſevere addictus, ut ne verbum quidem eo tempore cum quoquam loqueretur. Omnis ei ſermo cum

Regis diuturnum ſilentium.

Cælo

Cælo ſolo fuit, præter virtutem ab eo nihil optanti. Sed nec ſoluto luctus obſequio in palatium reverſus loquebatur. Cujus ſilentii pertinaciam demirati ordines atque magiſtratus denique alloquendum cenſuere. Adeunt igitur ad illum una omnes; è quibus unus omnium loco hac oratione uſus, *Sapientes*, inquit, *& alta quadam mente præditos, virtute velut humanæ vitæ regula cumprimis decet, aliis rectà vivendi ſpeciem eſſe. Quod eo magis, Imperator, tibi faciendum, quo altiore ſolio emines, virtute ac ſapientia ſingulari, & à Cælo data conſpicuus, optimo publico, ſumma tui nominis commendatione. Sed hanc laudem factis adhuc, non perinde dictis implevisti. Loqui te oportet, quod unum deeſt laudibus tuis. Qui præeſt omnibus, quomodo dicto audientem habebit populum, ſi tacet ipſe ſemper, & cuncta diſſimulat? Facta tua quamvis uſquequaque clara, niſi animentur voce, nec vim nec imitationem habent. Ergo tandem loquere; ab ore tuo pendemus omnes, & optamus ſimul, ut, quemadmodum factis adhuc, ita in poſterum dictis exemplum nobis fias.*

His auditis Imperator conticuit. Non quaſi offenderetur; ſed quia morem ſuum ſequebatur, ut ſcripto reſponderet. Illud autem erat hujuſmodi. *Scio meas partes eſſe, ut recte atque ordine omnia diſpenſem ac diſponam. At veritus, ne imbecillitas mea longe deflexiſſet à majorum meorum virtute; ſimul & ſcientia recti, obſtinatior fui ad ſilentium. Interea cum à ſupremo Imperatore ſupplex contenderem, ut ea ſuggereret mihi, quæ ad rempub. bene adminiſtrandam ſunt neceſſaria; obſecrationem meam haud aſpernari viſus eſt, oblata per ſomnum ſpecie hujuſmodi. Videbam enim hominem forma ſtata, cujus imago tam fideliter animo infixa hæret, ut ſi quem ſimilia lineamenta gerentem obviam habeam, facile agniturus ſim. Illum ſupremum Præfectum cooptare monitus, eouſque indixi ſilentium mihi, quoad eum invenero. En ejus figuram in tabella depictam eo prorſus modo, quo à cælo eſt objecta mihi, vobis repræſento. Ite, ac certos homines, qui eum conquiſite veſtigent, quoquoverſum dimittite.* Dictum factum. Denique repertus in pago quodam *Fu* dicto faber cæmentarius *Yeus* nomine, pictam fa-

ciem ad vivum exhibuit. Hic ergo ad Imperatorem adductus, & in experimentum prudentiæ variis quæſtionibus tentatus ſtatim oſtendit, quam longe corporis habitum animi bona ſuperarent. Nihil vulgare, nihil medium in eo cerneres. Iuſſus enim aliquid pro publico dicere, de bene morato & bene conſtituto imperio, de negotiorum ac munerum diverſitate, de Regis & civium officiis mutuis diſerte perquam atque enucleate diſputavit. Quibus magna cum voluptate auditis Imperator illum affatur in hunc modum. *Euge, quod bene vertat,* Yee *inter omnes præfectos & magiſtratus meos tu primus eſto. Accipe dignitatem, quæ manifeſto Cæli judicio & favore contigit tibi. Præceptoris loco mihi eris, nec à meo unquam latere diſcedes. Hortare, doce, quoties opportunum tibi videbitur; diſcipulum mane, veſperi, hoc eſt, ſemper, dicto audientem habebis, ſemper majores in virtute progreſſus optantem. Speculum crede me, continenter abs te poliendum. In profundo flumine periculoſe me titubantem puta; tu navis, tu nauclerus eſto. Ego ſum inſtar ſitientis agri; tu inſtar opportunæ pluviæ pectoris tui fontes aperi, & ſalutaribus præceptis animum meum humecta. Medicinam, ubi erit neceſſe, quamvis amaram adhibe. Non proficiunt ad ſatietatem medicamenta, è quibus voluptas quæritur. quare peccanti ne parce; & adhibita Præfectorum reliquorum ope ſic mecum age, ut exemplum perfectæ cumulatæque virtutis, quæ in* Tango *avo meo effulſit, in me renovetis. Yeus* imperatorem ſub hæc dicta veneratus è more gentis, *Scire, ait, quid rectum ſit, haud eſt difficile; ſed facere, quod rectum ſcias, difficillimum. Nam, ut arbor novella directe in altum ſurgit, ſi ad aliquod adminiculum adnititur; ita ſi rex aure ſecunda excipiat, quæ à fidis miniſtris monetur, facile nominis ſui ſanctitatem tuebitur, habebitque intentos ſimul ac promtos ad nutum omnes.* Sed nimis longum faciam, utique ſupra compendii modum, ſi memorem omnia, quæ de *Yeo* traduntur. Illud tamen hinc licet obiter diſcas, ſub vili lacerna ingentem nonnunquam animum, magnamque ſapientiam latere. Hoc igitur adjutore in imperio multis annis pax fuit tranquilla. Accidit inter hæc res parva quidem, memoria tamen haud

haud indigna. Forte Imperator in avorum ſuorum aula ſacris operabatur; cum gallina ſilveſtris ſuperſiliens anſam vaſis, quod ad incendendos odores præſto erat, feritatis oblita, impavide ſingultire cœpit. Id in triſte omen acceptum ab illo, nequid forte à ſe violatum eſſet atque commiſſum, metuente Quare diligenter in ſeipſum quæſivit, ſi quà tenuiſſet iter à virtute devium; recte ſtatuens, ubi cauſa publicæ calamitatis conſiſtit in perſona principis, medicationem à capite ordiendam. Hunc talem cum ſe præberet Imperator; pietatis ſuæ fama ad longinqua etiam loca manante, in omnium animos inflexit. Dynaſtæ quidem, qui ad fines Sinæ occidentalis colebant, ultro ſeque ſuaſque ditiones ſub ejus imperium ſubjunxere, conſtrictis Sinico more capillis venientes cum interpretibus, ampliſſimiſque donis. Quos omnes Imperator amice acceptos hortabatur, ut in Sinarum mores atque inſtituta & immigrarent ipſi, & in ſuas ditiones inducerẽt. Id ſi feciſſent, gratius ſibi fore, quam ſi ſua omnia ei addicerent.

Ita diutiſſime proſperis rebus, ne felicitas eſſet perpetua, interceſſit impotens aliunde dominatio. *Tieyus* quidam è regulorum grege, præcipua crudelitate imbutus, poteſtati ſuæ obnoxios tyrannice habuit. Eorum ſortem miſeratus Imperator, monito primum, ſed ad legitimum imperium contumaci, per Præfectos ſuos indixit bellum. Id annos omnino tres varia fortuna & ancipiti Marte tenuit; donec tandem ad juſtitiam cauſæ reſpexit victoria. Victum regulum ad ſe venire juſſit Imperator; optimiſque præceptis traductum in melius, in integrum reſtituit; bello ac pace victor, ſed majore in iſta, quam illo gloria.

XXI. Imp. ZUKENGUS.

Imperavit annis VII.

ITa tranquillatum à patre imperium *Zukengus* per manus accepit, tenuitque, licet paternæ felicitati, ut & virtuti longe impar. Nec aliud de eo, quod addam, habeo.

Cyclo 24. *anno* 53 *ante Chriſtum* 1265.

XXII. Imp. ZUKIAUS.

Imperavit annis XXXIII.

Cyclo 24. *anno* 6 *ante Chriſtum* 1258.

HIc *Zukengi* frater fuit, & ab hoc & à patre multò magis degener, ſuperbia, qua præ ſe deſpiciebat omnes; tum libidine vaga & inconſtanti, ut cum Sinis loquar, inſignis. Quibus maxime vitiis iſtius familiæ robur concuſſit, ad imperii reliquias penitus ſubruendas relicto filio, patrem malis artibus non æquante ſolum, ſed etiam ſuperante.

XXIII. Imp. LINSINUS.

Imperavit annis VI.

Cyclo 25. *anno* 53 *ante Chriſtum* 1225.

EO enim mortuo, ut voluptatibus ſe dederet impenſius, imperii negotia præfectorum commiſit arbitrio, nihil penſi habens, quicquid agerent. Nec mirum. Ipſe, quid ageret, ignorabat libidinis mancipium; qua ita captus erat, ut in ætatis flore nimia venere ſibi mortem accelerarit. Sine prole deceſſit, imperio ad fratrem devoluto.

XXIV. Imp. KENGTINGUS.

Imperavit annis XXI.

Cyclo 25. *anno* 39 *ante Chriſtum* 1219.

PEnes hunc poteſtas unum & viginti annos fuit. Quomodo eam habuerit, aut quid egerit, nil proditum invenio.

XXV. Imp. UUYEUS.

Imperavit annis IV.

Cyclo 25. *anno* 60 *ante Chriſtum* 1198.

VUyeus *Kengtingi* filius, homo ſceleſtiſſimus & ſacrilegus idololatriam invehere voluit, & homines, ut numen, adorari. Forte hominem quendam ignotum perinde ac vanum obviam habuit; à quo neſcio quibus præſtigiis deluſus, ab omnibus eum velut deum ſive ſpiritum haberi jubet, variis artibus ad gloriam ei conciliandam uſus. Inter alias hac etiam

indoctæ

indoctæ multitudini impoſuit. Homines aliquot ei convivere juſſit, ac de re magica exquiſitis rationibus cum eo certare, ut illius offuciis victi & divinum aliquid in homine ſuſpicientes, nomen ipſius ubique celebrarent. At ſæpe riſum potius præſtigiator quam laudem tulit. Quippe non modo nihil divinum, ſed nec mediocris in eo ſagacitas erat. Identidem igitur à vero deerrans & victus ipſe, Imperatori ſtomachum movit, tam longe à deſtinatione ſua ſe lapſum frementi. Nec diu factum; qua levitate hominem deum putarat, eadem abjectum, & probris omnibus maledictiſque vexatum interfecit. Iram deinde in cælum vertit ut à deo ſuo averſum; ſagittis ipſum petens. Atque ut ſauciaſſe crederetur ſpiritus celeſtes, ſaccos tres penetrabiles rubro liquore plenos ſuſpendit in aëre, qui ſpecie cruoris inde rorantis, eſſent indicio, deum ac ſpiritus eſſe revera peremtos. Sed qui ſtolide Cælum atque ſacrilege petiit, è cælo, dum eſſet in venatione, non bruto ictus fulmine interiit. A Sinis omnium flagitioſorum poſtremus & exlex inde dictus, ita animum inducentibus, nonniſi ſceleratos & perditiſſimos percuti de cælo, bonos innoxios eſſe. Tradunt etiam idcirco ſuperis infeſtum fuiſſe, quod fortuna nonnunquam ſuis rebus obſtante uteretur. Hinc in ultionem amens excanduit, & Cælo ſe imperare poſſe credens, qui in homines dominaretur.

Cælum ſagittis petitum.

Eodem tempore, quæ ad Orientem vergunt inſulæ perquam frequenter habitari cœptæ à Sinis, eo colonias ducentibus.

XXVI. Imp. TAITINGUS.

Imperavit annis III.

TAitingo Uugei filio continens cum *Yene* regulo interceſſit bellum; quod morte præoccupatus, non confecit. Ceterum *Yen* regnum erat, ubi *Peking* hodie, in eadem nempe provincia.

Cyclo 26. *anno* 4. *ante Chriſtum* 1194.

XXVII. Imp. TIYEUS.

Imperavit annis XXXVII.

Cyclo 26. anno 7. ante Chriſtum 1191.

T*Iyeus Taitingi* filius imperium una cum bello propagando per manus accepit. Quia & novum ſubinde natum, ut ipſi felix ſic *Yeni* exitiale fuit. *Kilieus* enim *Taitingi* legatus bello ſtrenuus, hoſtilibus copiis, quæ tres exercitus æquabant, deletis, captis totidem eorum ducibus, regnoque *Yenis* occupato, exutum poteſtate regem in ordinem redegit. Qua victoria lætus Imperator, collaudatum *Kilieum* Reguli beneficiarii dignitate exornat, ignarus, quantam familiæ ſuæ peſtem arceſſeret, nec in impetu gaudii futura proſpiciens. Eam dignitatem *Kilieus* ſeptennium tenuit. In cujus demortui locum *Changus* ejus filius ſubrogatus, poſtquam egregia ejus virtus enituit in bello, & Imperatori probata; regnum perpetuæ ſucceſſionis fiducia ſibi ab eo traditum, promovit ad poſteros. In his primum anno quam imperare *Tiyeus* cœpit, tertio & vigeſimo *Faum* genuit, quo de multa infra, ubi de proximo Imperatore dicam.

At *Tiyeus* tres ſuſtulit filios; è concubina duos, è regina, hoc eſt, legitima, unum. Huic tamen ad ſucceſſionis prærogativam tori ſanctitas primo nil profuit. Imperator enim morti jam vicinus, conſentiente Regina, quod eſt inauditum in Sinica muliere exemplum, legitimo poſthabito ſpurium natu majorem deſtinabat imperio. Non amore, aut odio alterutrius patris; ſed quia legitimi terrebat eum ætas, ſceptris adhuc immatura. Præfecti tamen uno omnes conſenſu interceſſere, negantes alium ſuccedere paſſuros, quamdiu eſſet, quem leges ſubrogarent. Sed hi quoque neſciebant, quantam imperio, quantam ſibi contumacibus ſuffragiis perniciem ſtruerent. Quanto namque melior & innocentior *Vicius* è concubina genitus, tanto nequior improbiorque *Cheus* legitimus poſtea fuit. In rem præſentem veniamus.

XXVIII. Imp. CHEUS.

Imperavit annis XXXIII.

Cheus invitis parentibus protractus ad culmen eſt; ingenio præceps, & cui non minor vanitas inerat quam vecordia. In verbis plus aſtutiæ, quam prudentiæ; quæ ſcires ad hominum vitandas reprehenſiones ſceleraque tegenda virtutis colore, compoſita. Corpus robuſtum ac ſupra ceterorum hominum modum. Videndi audiendique vis exacuta; in primis deliciis, inermi manu feras capere. His artibus ſibi placebat unice, alto ſupercilio deſpiciens alios, & præ ſe nihili ducens. Ad hoc uſque tempus regia luxuriæ ignara, inter virtutes frugalitas reponebatur. Hic ad augendum ſplendorem majeſtatis, vaſa eburnea miniſtrandis cibis; bacillos item, queis Sinæ, cum accumbunt, hodieque utuntur, ex eadem materia factos primus adhibuit. Quo audito *Kicius* illius patruus dixiſſe fertur. *Qui gloriam captat ex ebore, lutea vaſa ſine dubio aſpernatus optabit magis pretioſa. Qui vero gaudet his pretioſis; non vivet oleribus, nec amictum lineum & humilem, neque caſam amabit tectam ſtramine. Ni malo incipienti obviam eatur in tempore, luxum hiantem nec totius orbis explebunt opes.*

Cyclo 26. *anno* 44. *ante Chriſtum* 1154.

Vxorem habuit *Takiam*, omnium pene malorum vel authorem, vel adminiſtram. Ea ut forma ceteras mulieres: ita nequitia anteibat omnes. In cujus gratiam cum nihil non faceret rex mulieroſus; ex illius arbitrio Præfecti alii officio dejiciebantur, alii necabantur. Totius opes imperii ſuperbia luxuque unius mulieris minores fuiſſe ſcribunt Sinenſes Hiſtorici. Hinc acerbiſſima exactione preſſa gens gemebat. Inter alia fuit exſtructa turris, cui nomen à cervis inditum, è pretioſo marmore rubro *Kiung* dicto. Portæ lucebant jaſpide, quam *Yu* vocant, achatæ noſtro non abſimilem, multi apud Sinas pretii. Altitudo turris erat cubitorum mille, latitudo milliaris Italici; ſeptem annorum opus. Sæpe ſuis cen-

Ingens & pretioſa turris.

centum & viginti dierum epulum dedit; Aſſuero in pompa paullo quidem minore, ſed frequentiore, quaſi præludens. Neque nox juſtitium faciebat luxui; ob eam cauſam Changye, ſive nox larga dicta. Palatium, alioqui Sinis ſevere clauſum & ſacroſanctum, patuit omnibus, adeo impune, ut in eo non ſecus atque in foro mercatus inſtituerent. Hinc non merces modo, ſed etiam abominanda quæque ſcelera eo invecta, nonnullis civitatibus Reguliſque beneficiariis locum ad defectionem aperuere. Sed hoc malum, quia mali principes ſuorum civium turbas imputant tempori, non ſibi, primo non repreſſum, in fœdam ſævitiem intumuit. *Takia* namque, ut erat avidiſſima dominationis, Imperatoris aures continuo pulſare importunis queſtibus; cauſam rebellionis à torpore ſuppliciorum arceſſere; ſuadere atque incitare, ut ea intenderet; ipſa denique maritum docere, quorum metu potiſſimum omnes ubique in officio continerentur.

Crudelis ſupplicii genus. Iuſſit ergo vas quoddam & columnam æneam parari. Hanc adipe oblitam atque candentem, quos morti deſtinaverat, amplecti coëgit; illud autem ignitum ac ferale rubens manibus ſublatum tenere, dum caro ſolveretur. Quo mœſtiſſimo ſpectaculo regina cum Imperatore in cachinnum diffuſa prolixe oblectabatur.

Ille porro anno imperii undecimo ſummos Præfectos tres legit, magna valentes authoritate, ſibique præſto futuros *Changum*, illum qui ab hujus patre Reguli dignitatem acceperat; *Kieum*, & *Coum*. *Kieus* homo vanus & in appetendis honoribus, quo præ ceteris gratia floreret apud Imperatorem, cujus animum probe norat, nihil penſi habens, qua via id aſſequeretur; filiam, quam habebat forma & ætatis flore ſpectandam, ei offert ad ſtuprum. A quo cum abhorrentem puellam videret Imperator (nam cum pulchritudine caſtimonia quædam naturalis conſenſerat, quæ gentis virtutum omnium feracis tum felicitas erat) indignatus puellæ conſtantiam, & amore in odium verſo, ſuis eam ipſe manibus necat, & in fruſta

Crudele epulis.

ſectam

ſectam patri particulatim comedendam obtrudit. *Cous* è tribus Præfectis unus indignitate rei motus & de hoc eum acriter objurgans, oris libertatem è veſtigio morte luit. At *Changus* pari excidii periculo nequaquam territus, officium *Coi* proſequitur, inſigni animi robore damnans nefandam feritatem. Hic tamen neſcio qua de cauſa mitius habitus, in carcerem conditur. *Kieus* qui malis artibus favorem quæſierat, cum filia poteſtatem inſuper amiſit; documento aulicis, ut, dum vitiis Principum ſerviendo, imminent gratiæ, timeant, ne amittant.

Cognito *Changum* eſſe in carcere, nihil intentatum reliquere cives ſui, ut eum eriperent, cujus charitate flagrabant. Itaque Imperatori pro ejus libertate puellam miræ pulchritudinis, diſcolorem ac prævalentem equum, currus novem, cum ſuis equis & ornamentis, aliaque offerunt, quæ Imperatori magni ſciebant eſſe. Quibus ille viſis primam contemplationem in puellam injecit, eamque digito deſignans, *Hæc una*, inquit, *ſufficere ad* Changum *liberandum poteſt; nunc ubi alia tam multa tantique pretii accedunt, quid attinet ingrata mora gratiam corrumpere?* Et cum dicto emiſſum è cuſtodia ditioni ſuæ reſtituit. adjectis privilegiis nec paucis, nec vulgaribus, quæ ad cultum & dignitatem ejus ſpectabant. In eis hoc etiam fuit, ut iter facienti liceret cum ſagittariis, ſecureſque & oblongos enſes ferentibus incedere. His rebus auctus in dynaſtiam ſuam rediit incólumis, cui juſte ac legitime, ut ante præfuit. Lætus potiſſimum, quod è carcere; ſed magis, quod ex aula tam iniqua evaſerat.

Poſt hæc Imperator cupiditates palam ſolvit. Quem *Vicius* ejus frater cauſæ, ob quam ſceptrum acceperat, admonens roganſque, ut modum ſtatueret licentiæ; poſteaquam nihil retulit præter contumelias, relicta regia urbe ad ſuas ditiones regreditur. Idem *Kicius* Imperatoris patruus tentare cœpit, at æque incaſſum; imo parum abfuit quin exitio ſuo. Imperator enim correctionis jam non patiens, nec aliquem iraſci vitiis, uſu quaſi legitimo magis magiſq; valeſcentibus; inſidias

inſidias in ejus vitam compoſuit. Quare ab amicis admonitus *Kicius*, ut ſubduceret ſe Imperatoris iræ; *Recte vos quidem,* inquit. *Nam fruſtra niti, neque aliud monendo, quam exitium quærere, manifeſtæ dementiæ eſt. Cujus, etſi adhuc ita egerim, ut me reum non diffitear; fugæ tamen conſilium non placet in præſens. Dandum eſt aliquid nepotis inſaniæ; neu fugiendo, populi gratiam ſequi videar; & Imperatoris famam majori dedecori atque odio exponam, cunctis fugæ cauſam ſciſcitantibus.* At ubi cognovit de necandi ſui periculo, ut diſcrimen evitaret, mente ſe captum ſimulabat, neque tamen ſic in tuto fuit. Imperator enim fraudem ſuſpicans, miſit eum in carcerem; ſed quia fatui perſonam ad veritatis ſpeciem ſupra quam dici poteſt repræſentabat, mortem evaſit.

Fida & cordata commonitio.

Pecanius alter Imperatoris patruus, poſtquam inaudiit è regia diſceſſiſſe *Vicium*, *Kicium*que captum; ingreſſus ad eum in carcerem, *Neque regi ſuo fidum dixerim, neque fortem*, inquit, *illum, qui metu mortis ea taceat, quæ loqui convenit. Macte animi, heros! ſi, quia monuiſti errantem, mors te manet, felicitatis verticem attigiſti.* Hæc ubi dixit, in eventum quemcunque durans animum, intrepide regiam ingreditur; triduo Imperatorem interpellans. Ille primo ejus vitare conſpectum; at, poſtquam adeo conſtantem videt, ira in rabiem verſa, ita locutus eſt. *Sapientibus ajunt ſeptem eſſe meatus in pectore; juvat experiri, num in* Pecanii *pectore ſint meatus totidem; conſtantia ſua ſe utique ſapientem oſtentantis.* Nec plura; & *Pecanium* necari jubet, extractumque cor crudeliſſima curioſitate per riſum jocumque rimatur. Illud autem de ſeptem meatibus eſt vetus Sinarum dictum, ingenii magni capacitatem per eos explicantium.

Male compenſata.

Crudelis curioſitas.

Neque rabies in patrui cæde conſenuit. Vidiſſe mulierem prægnantem erat occidiſſe; neque paucis uterum, naturæ partûs penitius inſpiciendæ, una cum uxore ſecare ſuſtinuit. Prorſus alter Nero, niſi tot annis præcepiſſet facinus, ſeculis omnibus abominandum. Cum eâdem forte quàdam è ſolario proſpiciebat

bat tranſeuntes vadum. Inter alios duo potiſſimum, alter ſenex, juvenis alter, eorum oculos tenuere. Aqua erat perfrigida; quam quidem ſenex celeriter tranſiit, juvene metum frigoris haud obſcure profeſſo delicato gradu ſequente. Cum admiraretur Imperator, contra fieri debuiſſe judicans; profligatiſſima mulier hoc inde provenire reſpondit, quia ſenex jam exſanguis & effœtus eſſet ac natura ſic ferente frigidus. Iuvenem vero abundantem ſanguine & calidum reciprocante conflictu frigoris inſolentiam ferre mollius. Ejuſque rei experimentum ſumere maritum jubet. Proclive ac pronum erat id perſuadere, cruoris non minus quam uxoris amanti. Vocatur ergo & necatur uterque; inſanæ curioſitatis inſpecta etiam oſſium vacuitate, victimæ. His talibus factis ingens in ſe odium civium concitavit. Sed ille nihili æſtimans homines infenſos ſibi; ſtolide jactabat ſe à Cælo electum, Cælo ſe curæ eſſe, nec alium ab eo ſibi præferendum.

Feminarum Sinenſium decus in parvis pedibus unde natum?

A *Taquia* præterea, quod etiamnum eſt apud Sinas in uſu primæ abſolutæque pulchritudinis cenſura manavit, ut ea demum habeatur pro pulchra, cui parvi ſunt pedes. Illa cum hoc vitio laboraret quam quæ maxime, ceterum incredibili venuſtate eſſet; illi tegendo pedes faſciis obligavit. Exemplum ſecutæ mulieres reliquæ, pulchritudinem deinde in crurum gracilitate tanquam in baſi poſuere. Quæ opinio ad hæc uſque tempora ſic invaluit, ut, licet Helenam oſtendas, quamprimum grandiores pedes apparuere, monſtri loco ſpernatur. Iniquiſſimo naturæ convitio ac peſſimo publico, à quo reges etiam ridiculis in rebus cavere debent, quando exemplo, quod deſcendit à capite, nihil eſt peſtilentius. Alii dicunt non feminam, ſed dæmonem ſub humana ſpecie latentem *Taquiam* fuiſſe, affictis caprinis pedibus, quos proinde faſciis tectos nunquam nudaverit. Et hoc eſt hodieque in more poſitum, ut perpetuo ſint tecti feminarum pedes. Sin aliter accidat, in ſummo probro ponitur. Calcei vero, queis Sinicæ mulieres utuntur, adeo parvi ſunt; ut, ſi ſint ad menſuram redacti, earum pedes vix caprinos excedant magnitudine. Ve-

rum,

rum, ut ad *Changum* redeamus, quem è carcere dimiſſum, ad ſuam ſe dynaſtiam recepiſſe paullo ſupra diximus; fuit ea in provincia *Xenſi, Cheua* dicta. Hic jam pridem à *Kilieo* patre, qua via virtutem ſequeretur, edoctus, modeſte in ſuos, quanquam paucos, dominabatur; legum & juris tenax, pius, majorum natu reverens, juſtitia & æquitate omnes continebat in officio.

Quid Iuſtitia & pietas apud Sinas?

Sed quia ſæpe jam incidit de Sinarum juſtitia & pietate mentio; quid eis utraque virtus ſignificet, viſum eſt hîc leviter & in tranſitu attingere. Iuſtitiæ nomen non arctant ad illam virtutem, quæ eſt voluntas conſtans & perpetua ſuum cuiq; tribuendi; ſed ita laxant, ut eo ſignificetur omnis actio rationi conſentanea. Recte proinde, quod rationi conſentaneum, idem & juſtum dixeris. Pietatis autem nomine non intelligunt ſolum amorem in Deum, vel in parentes, vel in ſeipſum; ſed in omnes homines univerſe. Nam, ut juſtitiam definiunt legem & convenientiam recte agendi; ſic pietatem, rationem, ſive modum bene amandi.

His igitur ac multis aliis virtutibus inſignem *Changum* memorant Sinenſes hiſtorici. Quas inter præcipue fulſit miſeratio ac ſtudium adverſus juventutem, cujus edocendæ atque ad omnem morum elegantiam educandæ præcepta tradidit. Sapientes nunquam non magni fecit. In hos honorificus eſſe, his primas in omnibus dare; cibi etiam audiendâ eorum doctrinâ obliviſcebatur. Quo factum, ut multi ejus ætatis philoſophi eruditionis laude florentes, *Sinkia*; diſcipuli, hac ejus comitate allecti ad eum videndum venirent; quos inter *Peyus* & *Xocius* fratres nominantur. Reguli quoque omnes, quanti eum facerent, ſatis aperuere, ingenti gloria eum afficiendo, ſuarum controverſiarum arbitrum ſeligendo, denique ipſum Imperatorem præ eo deſpiciendo. Hinc illi primus ad imperium gradus.

In ceteris duo reguli venerant è terris extra Sinam jacentibus, quà *Suchuen* provincia cum *Xenſi* eſt contermina. Hos à multo jam tempore de limitaneis

agris

agris atrox controverſia diſtraxerat, cum tandem inter eos ita convenit, ut ad *Changum* ſimul irent ambo tanquam ad arbitrum honorarium. Ingreſſis *Changianam* ditionem longe alia, quam cogitaverant, rerum eſt oblata facies. Ibi enim vident unum alteri agrum conſerendum ultro cedere, in via forte ſibimet occurrentes mutuis officiis certare, ab aliis amiſſa neminem humo tollere, in palatio Præfectos ſeſe amice complecti, ſine contentione, ſine invidia ſuum quemque munus ſedulo obire. Irrubuere inuſitato ſpectaculo, &, *Quid*, inquiunt, *de iis rebus contendimus, de quibus pudori nobis erit coram* Chango *loqui? nec aliud inde quam dedecus relaturis? Quin ultro conciliamus gratiam?* Dictum, factum; neque hoc tantum, ſed jam alter alteri cedere ſerio certabant. Tanta vis exempli aulæque bene moratæ fuit. Admirabilius eſt, quod ſubjungo; cui neſcio, an par factum viderit gentilitas. *Peyus* & *Xocius*, de quibus jam meminimus, *Kinhoi* cujuſdam reguli, filii erant. Is moriens minimum natu *Xocium* ſucceſſorem nuncupavit. Mortuo parente inexſpectata inter fratres orta contentio eſt, cum *Xocius Peyo*, ut natu maximo, cederet regnum, ille reſpueret, præciſe negans quidquam ſe contra voluntatem patris facturum, quæ ſibi multo eſſet antiquior, quam ætatis prærogativa. Hanc autem ipſam urgente *Xocio*, cum *Peyus* renitendo nil proficeret, quod alii per ignes ferrumque petunt, ipſe fuga declinavit, ad diſcendam philoſophiam accinctus, quo ſtudio unice delectabatur. At fratrem, addictus eidem ſtudio *Xocius*, ſecutus, neceſſitatem ſubditis impoſuit, ut tertium fratrem natu medium eligerent. Ergo liberi ſucceſſionis moleſtia Philoſophiæ candidati fratres, audito, quam Philoſophorum amans *Changus* eſſet, eodem tempore, diverſis è locis ad eum conveniunt. Deinde Fuo *Changi* filio ſerviunt officioſe, donec per vim occupavit imperium. Tunc enim indignum rati eum obſequio, qui ipſe reverentiam ejus per ſummum ſcelus exuiſſet; ea de re in via publica, equi, quo *Changus* vehebatur, frenis injecta manu acriter increpitum, ubi ſe inanem operam ſumere

Vis exempli.

Mira lis inter fratres.

Admonitio Imperator.

vident, miſſum faciunt, & in montem *Xeuyang* digreſſi voluntariam mortem occupant inedia. Adeo inviſa eis erat violenta ambitio; culpandum quidem *Cheum* arbitrantibus, at non idcirco totam ejus familiam imperio ſpoliandam, ut illud ſibi auferret.

Forte venatum *Changus* ibat, cum in via demortui hominis oſſa temere ſparſa videt. Is aſpectus pium pectus commovit; eaque tumulo mandari, ſe ſpectante, juſſit. Quæ res apud Sinas inſolita, magnam ei pietatis famam conciliavit; ut jam Imperator ab omnibus palam expeteretur. Placuit aliquando ſortitò ejicere, quam potiſſimum in venatione feram inſectaretur. Monitus, ut non draconem, non cervum, non urſum, non vulpem, non tigridem, ſed in obtinendo imperio adjutorem caperet; ad amnis *Guei* litus proceſſit. Ibi *Liuxangum* Philoſophum eximiæ virtutis obviàm habuit; & cum eo loquens, explorata ipſius ſapientia, ut cùm maxime lætus, *Accipio*, inquit, *omen. Audivi de patre meo, venturum olim hominem ſanctitate præſtantem in ditionem meam. Eum eſſe te, frons, oculi, oratio conſentiunt. Ades diu exſpectate; ac fortunam, in quam tua te virtus vocat, amplectere.* Simul in navim exceptum atque deductum in regiam, toti regno moderatorem præfecit.

Venatio Principe digna.

Sub hæc reguli beneficiarii quadraginta *Changum* ſibi principem legunt. Ita multum authoritate, multum opibus auctus, ſed haud diuturno poteſtatis fructu, moritur; herede regni *Fao* inſtituto, licet ſecundo genito. *Taipeum* enim primogenitum, ad quem jure tranſibat ſucceſſio exheredaverat, renuentem ſub arbitrio patris eſſe, invitantis una ſecum in Imperatorem conſurgere. Negabat enim ſubditis hoc in ſuos reges licere. Non tamen iniquo animo tulit hanc exheredationem; nec, ut ſæpe fit, injuriæ ſuæ blandiens, quicquam ea de re conqueſtus eſt, tantum ut patris parceret famæ; dilaudatus de hac animi magnitudine mirifice cum à *Confutio*, tum à reliquis gentis ſcriptoribus. Et merito. Nam qui maluit excidere jure regnandi, quam vel Imperatorem, vel patrem offendere; is enimvero prodidit exemplum, quod

Pietas Taipei in Imperatorem,

Et patrem.

quod obſtupeſcat & ſequatur, qua licet, omnis poſteritas, in Imperatorem fidei, in patrem pietatis, diverſiſſimos inter ſe affectus pulcherrime concilians. Hic deinde fluvium maris filium tranſgreſſus, regiones circa *Hangcheu* & *Suchem* habitare cœpit, duobus inibi regnis *Yiue* & *V* conſtitutis, de quibus infra erit dicendi locus.

Faus ergo ad paterni regni gubernacula acceſſit anno vigeſimo & altero, quam *Cheus* imperare cœpit. Statum regni præclare *Changus* ordinaverat, ad inferendum Imperatori bellum magno, ſed occulto militum & armorum paratu. Queîs *Faus* apud ſe penſitatis, animum ad majora intendit, *Cheum* imperio pellere, vacuum ipſe invadere cogitans; populi adverſus Imperatorem fretus odio, & rei è ſententia gerendæ occaſione. Neque id Sinarum moribus nefas habetur, ubi dignitatem ſuam Imperator fœdavit flagitiis. Hinc plerumque in titulum defectionis prætexunt vitia dominantium; ſpecioſum quidem magis, quam probabilem. Nunquam enim populis deerunt cauſæ, ſi hæc valeat, in ſuos principes inſurgendi. At *Faus* etiam à reliquis regulis inſtigabatur, omnem operam ei promittentibus. Qui primo ſpecie recuſantis negavit hoc licere ſibi; cauſatus ad hoc, in incerto ſe habere, an volente Cælo rem tantam aggrederetur. Interea tamen omnia parat ad bellum neceſſaria; &, poſtquam ſatis proviſum videt; ipſe regulis ultro jam invicem offert operam ſuam, minime ambiguam amplius eſſe Cæli voluntatem, ac tempus opportunum, quo iniquus Imperator faſtigio moveretur, affirmans. Nec deerant portenta, quæ, quid Cælo fieri placeret, explicare videbantur. Cum enim flumen forte trajiceret, piſcis miri candoris in navem inſiluit; quo non ſine omine ſublato, Cælo ſacrificavit. Superato flumine proſiliens ignis è terra, regem antecedebat eouſque, dum ad palatium rectà progreſſus, ibique nativo in atrum colorem verſo, vocem edidit, quæ imperium illi ac tranquillitatem viſa promittere. Quibus aliiſque prodigiis erectus, ac præſertim teſtudinis haruſpicio, militem in Imperatorem ipſe ducit. Solenne

Omina imperii à piſce.

Igne loquente.

Sinis & olim fuit, & eſt hodieque, ad ſortes & auguria adhibere teſtudinem; in qua colorum maculas motuſque membrorum diligenter obſervant, atque etiam emortuæ oſſa inſpiciunt.

Teſtudine.

At Imperator ingenti cum exercitu ei occurrit. Septuaginta hominum millia fuiſſe ferunt. *Fabus* tantis copiis haud quaquam territus, cum jam utrinque in conſpectu ſtaret exercitus, ut ſuis animos adderet, eos in hunc modum alloquebatur. *Multa quidem militum millia* Chaus *habet, numero (fatebor enim) nobis ſine dubio ſuperior. Sed in magna multitudine majus eſt periculum diſcordiæ, ac facillima inter plurimas voluntates diſſenſio. Ego, commilitones, etſi vos paucos habeo; de prælii tamen eventu optime ſperare me voſque jubet haud minor, quam fraterna unanimitas. Hoſtilem exercitum numero laborantem, obſtantemque ſibimetipſi non eſt, quod timeatis: non ignari, domui, in qua galli munus & cantum gallina occupat, ruinam impendere.* Takiam *noſtis? peſſimo viro pejor femina gallum agit, & impotentiſſima dominatione jus populis, jus ipſi marito dicit, ſiquod jus tamen ineſſe poteſt in ſummo ſcelere. Agite, milites, & in hoſtem una mecum ruite. Non erit ardua nobis victoria in eo prælio, cui claſſicum ex hoſtili parte femina præcinuit.* His dictis deſcenſum in aciem, ſigniſque collatis non diu pugnatum, cum *Chei* milites multi abjectis armis ad *Faum* tranſeunt, multi, qui retinebant, in ſuos ea vertentes tantam edidere ſtragem, urgente præſertim ex alia parte *Fao*, ut ligna, quæ humi temere hac illac ſparſa, in occiſorum ſanguine ſex ſtadiorum ſpatio natarent. Hac victoria *Fao* quaſi per otium parta, longe alia Imperatori mens erat. Quippe victus à ſuiſmet, qui clam cum *Fao* conſpiraverant, præcipiti fuga regiam urbem petens, cum primum pervenit in palatium, Imperatoris inſignia circumdat ſibi. Mox ignem ſubjiciens tectis, ſeipſum vivus exuſſit, ne in hoſtium veniret manus; digno ſceleribus ſuis exitu, ſe quoque judice, reperto. Iamque abſumta incendio erat pars regiæ, quæ tota conſediſſet in cinerem, niſi eſſet ignis in tempore ſopitus. Fuga Imperatoris audita *Faus* non tardiore impetu, quam ille

Proverbium Sinicum.

Ingens clades.

ille fugiebat, inſequitur. Ingredienti regiam omnium prima ſe offert *Takia*; quam ſine mora obtruncavit gladio. Ita vacuum adeptus imperium, mox à regulis conſenſu denuo electus, novam domum imperatricem conſtituit, quam tertiam vocant Sinæ. *Cheua*, quemadmodum prior, dicta Imperatores continua ſucceſſione numeravit trecentos ſeptuaginta & unum; una ſtirpe, quod de alia vix in omni legas hiſtoria, in annos omnino octingentos & ſeptuaginta quinque propagata.

Hæc familia etſi cognominis eſt proxime ſuperiori; non eſt tamen eadem. Id adeo è Sinico charactere ſimul & ſignificatione, quæ longe diverſa, paret. Nam characteres quidem Sinis ſunt multi; at voces non perinde. Hinc neceſſum, ut diverſis characteribus expreſſæ, ſæpe in eandem vocem incidant; quod monendum mihi viſum hoc loco. Iſtud autem nomen à dynaſtia ſua, quæ erat in regione *Cheu* dicta provinciæ *Xenſi*, retinuit.

SINICÆ HISTORIÆ LIBER QUARTUS.

De tertia familia CHEVA.

I. Imp. FAUS ſive UUS dictus. Imperavit annis VII.

PRincipio imperii *Faus* nomen mutavit, *Uus* exinde dictus, quod bellicoſum ſonat. Et hinc morem illum manaſſe crediderim, ut Imperatorum nomina etiam nunc mutentur apud hanc gentem, cum ſummæ rerum præficiuntur; quemadmodum fere aliud nomen adſciſcit, qui Romanus Pontifex eligitur.

Cyclo 27. *anno* 16. *ante Christum* 1122. *Imperatores inito regno nomen mutant.*

Omnium primo ſeneſcentem ignaviâ *Chei* rempubl. in meliorem ſtatum reducere aggreſſus eſt. *Uukengo* devicti à ſe Imperatoris filio antiquam familiæ *Xangæ*

dynaſtiam dedit, addito adjutore *Quonxoo* magnæ authoritatis Præfecto. Ipſe in occidentem transfert regiam in urbe, quæ hodie provinciæ *Xenſi* princeps, *Sigan* dicta, conſtitutam. Cum regia mores quoque mutati. Captivi deinde omnes emiſſi è carcere, beneficium Imperatoris ſumma celebrantes lætitia. Erat inter eos *Kicius*, ille, quem ſupra diximus, inſaniam fingentem, à *Cheo* in carcerem fuiſſe detruſum. Tum pecuniam è deſtructis theatris, palatiis, rebus aliis, quarum ſumtus quam uſus major, conflatam ſparſit in egentes, vel eos, quibus à *Cheo* per vim fuerat ablata; reliqua in novam regiam tranſlata. Subinde *Kicium* ad ſe vocat, qui de Cælo, de elementis, de bona rerum publicarum rectione multa præclare diſſeruit, quæ referre longum eſſet. Doctrinæ merces *Corea* peninſula fuit, cui cum plena poteſtate regem illum impoſuit, penitus immunem altioris imperii. Regnum illud ad hæc uſque tempora eſt penes *Kicii* poſteros; quanquam, quoties novus rex eligendus, ad Sinarum Imperatorem legationem mittit approbationis & coronæ petendæ cauſa, Imperatoris amicum ſe, non ſubditum nominans.

Par honor habitus antiquis familiis omnibus, quarum poſteri dignitate regulorum exculti. Prima familia ex iis, quarum nomen exſtat, *Xinnungi* dicta, in Provincia *Xenſi*, ubi *Hungnung* civitas, eo eſt honore aucta; proxima *Hoangtii*, quod eſt in provincia, cui nomen *Huquam*, regnum *Zu* dictum. Tertia *Yai* olim Imperatoris eo loco, ubi *Su* quondam, nunc *Peking* eſt. Quarta vero familia *Xuni*, cui *Chin* urbs provinciæ *Honanæ* habitata, modo *Kaifung* dicitur, iſtius provinciæ caput, ad hunc honorem aſcendit. Quam ibidem ſecuta eſt *Yui* quondam Imperatoris poſteritas, pari donata clientela.

Haud minor officiorum erga Præfectos exſtitit remuneratio. *Linxangum*, quem in venatione forte obviam habuit, *Ci*, *Cheucungum* vero ejus affinem *Lu*, regulos creavit. *Xoſieno Yen*, quod eſt provinciæ, quæ hodie *Peking* dicitur, regnum, obtigit; alios præterea multos auxit honoribus, de quibus parum refert

cogno-

cognoſcere. Illos autem nominavi, quod inde major lux eſt acceſſura progredienti hiſtoriæ. E ſua ſtirpe regulos beneficiarios quindecim inſtituit, Imperatori munimentum.

Hæc ab Uo præclare acta, cum ad circumjacentes barbaras gentes ſecundi rumores differrent, ad tributa denuo petenda, & accipiendas leges revocarunt. Anno imperii ſecundo U*us* in gravem morbum delapſus eſt. *Cheucungus*, cui ſupremam Colai præfecturam mandaverat, de illius ſalute ſolicitus, opem inſtitit à Cælo petere. Sacrum enim in avorum aula faciens, ita precatus eſſe dicitur. *Vos ô quicunque in concilio Cæleſtium gratia valetis, cælum exorate, ut Imperatorem terris commodet diutius, & ejus loco me ſuſcipiat. Tantum parcat Imperatori, donec res communem utilitatem continentes ordinet, imperiumque pene collapſum conſtituat.* Non in caſſum miſſæ preces. Altero enim die Imperator convaluit, & in rempublicam ſummo cum ſtudio ad extremum uſque ſpiritum incubuit. Nihil enim unquam ei quicquam populi cura erat antiquius. Neque vero efficere potuit, quin varia interim bella exiſterent, nonnullis rebellionem facientibus. Quos tamen omnes Præfectorum armis fractos domitóſque coëgit ad obſequium redire. Quo autem pacto *Cheucungus* pro Imperatore victimam ſeſe devoverit, ipſe ſcriptum reliquit in ſacris divinationum libris; quos arcæ aureæ incluſos, in avorum aula ſervabat, ejuſque rei memoria pôſt magno fuit uſui, ut oſtendemus paulò infrà.

Colai in Imperatorem pietas.

II. IMP. CHINGUS.

Imperavit annis XXXVII.

C*Hingus* ab U*o* patre ſceptri relictus heres, ætate nondum apta imperio, dum matureſceret, eximium interim adjutorem *Cheucungum* habuit. Hic namque cum huic familiæ cuperet, factumque vellet ex animo; Imperatorem adhuc puerum juxta demortui parentis ſepulchrum exſtructa domo incluſum cum præceptore, virtuti ſtudere jubet; ipſe tu-

Cyclo 27. anno 23 ante Chriſtum 1115.

Schola juxta ſepulchrum.

telæ officio rempubl. adminiſtrat. In quo tanta ejus prudentia atque moderatio eluxit, ut reguli beneficiarii ad unum omnes, nulla prorſus invadendi ab eo imperii ſuſpicione ultro venientes, in ejus tanquam Imperatoris fidem ac clientelam conferrent ſeſe, ſine armis, ſine ſeceſſione. Illud dignum miratu, ſiquid delinqueret Imperator; *Pekinum* (id præceptori erat nomen) verberibus exceptum ſpectante puero, ſimul ut ea pœna ſe dignum agnoſceret, ſimul ut inpoſterum ita ſe gereret, ne præceptorem ſuum ſubjiceret verberibus. Tanta eſt enim apud Sinas præceptorum veneratio, tantus amor, ut in hoc ante reliquas nationes videantur aliquid habere ſingulare. Nunquam diſcipulus adverſa fronte præceptori conſidet, ſed in loco humiliori. Et hoc non modo ſervatur, dum illi dat operam; ſed etiam deinceps, quoad vixerit. Semper illum nominat præceptorem, qui titulus apud Sinas ſummus habetur; ſemper ſe diſcipulum; Ac licet diſcipulus ſuperiorem teneat aliquando gradum dignitatis, quam præceptor; hunc tamen eadem ille veneratione, qua ante proſequitur. Similiter in conſueta ſalutatione, quam non voce, ſed ſcripto ſibi mutuam more gentis, impertiunt, accepto, redditoque nomine, diſcipulum ſe ſcribit. Præceptor autem reſalutans eum, non ſe præceptorem ſcribit (hoc enim eſſet ſummæ arrogantiæ;) ſed amicum Eſtque inter eos tanta ſemper amoris conſpiratio, ut mutuam operam in rebus omnibus conſtanti fide ſibi tradant. Nec aliud, ſi à patre diſceſſeris, eſt Sinis præceptore majus aut præſtabilius. Hac igitur arte corrigebat Imperatorem *Cheucungus*, ſolerter cavens, ne unquam cæderetur. Hic enim honor habetur regibus, ut eos velut ſacroſanctos tangere ſit nefas.

Peccata diſcipuli Præceptor luit.

Præceptores in pretio Sinis.

Sed *Cheucungus* licet talis eſſet ac tantus vir; invidiæ, quæ magnam virtutem ſæpe, velut umbra corpus ſequitur, haud expers fuit. Potentia ejus malis nimia, & quia votis ſuis obſtare ſuſpicabantur, inviſa primum iniquis ſermonibus materiam præbuit. Mox, ut fit, odio tumeſcente res eo evaſit, ut Imperatoris quoque animum ſiniſtræ de eo cogitationes ſauciarent. Quiritando

tando moram ſolitudinis incuſare, & ambitioſe timere, ne tutelæ ſpecie in ſe traheret imperium. *Cheucungus*, cognitis, quæ ſpargebantur, actutum exceſſit aula, bonis omnibus indignantibus. At lætus Imperator tanquam periculo & jam pridem moleſta ſibi pietate functus, gubernacula imperii tractare ipſe occepit. Sed auſpicio non ſatis felici; & rebus adverſis vehementer jactatus, in antiquorum denique Imperatorum aula neceſſitate coactus, arcam auream aperuit. Procella namque reipubl. imminente, quid agendum eſſet, libri de divinatione, tunc ſolum legi ſoliti, conſulebantur. Hos igitur forte aperienti, ecce prima ſe offert hiſtoria de *Cheucungo*, quem pro U*o* ægrotante ſeſe victimam obtuliſſe ſupra dictum. Qua perlecta, inuſitatæ pietatis miraculo attonitus, illico damnat factum ſuum, triſtis confuſuſque lachrymis, abſentem ipſe quærit, & in priſtinam Colai dignitatem reſtituit. Memorant ſcriptores Sinici, ſub idem tempus, quo *Cheucungus* reducebatur, repente immoderata tempeſtate coorta, Cælo tantum imbrium effuſum, ut arborum rami ſegeteſque ad terram uſque deprimerentur. Illo vero appropinquante adverſum ventum ita ſpiraſſe, ut omnia reſurgerent in priorem lætitiam, velut gratabunda de illius reditu; quem quidem fauſtum conſecuta eo anno rerum omnium ubertas aſſeruit.

Arca aurea divinationes continens.

Ventus erigens.

Hoc rerum ſtatu, paterno ſe imperio exutum ægre ferens U*kengus* regulus, cum *Quonxoo*, & aliis compluribus in Imperatorem inſurgit, cauſam ſuam ferro acturus. Quos *Cheucungus* primo bonis verbis ad quietem hortatus, ubi nihil profecit, duorum annorum bello eos ad obſequium redegit. U*kengum* & *Quonxoum* captos tanquam rebellionis duces & authores interfecit, reliquos Regulos Præfectoſque in ordinem redactos multavit exilio. In eo bello miror impenſe, quod *Cheungus* ejus Ducem *Vicium* U*kengi* patruum legit, nullam prævaricationis ſuſpicionem trahens è ſanguine. Qui quidem longe poſt fidem fuit *Vicio*, contra nepotem excellenti virtute pro novo Imperatore pugnanti. Victorem reguli dignitas ſecuta, *Sung* indigetata, provinciæ

Honanæ, ubi nunc *Queite* Civitas, raram ejus fidelitatem ad poſteros propagavit. Quam haud paullo fecit illuſtriorem Imperatoris in eo fiducia. Tranquillatis enim rebus cum ei totius eſſet imperii commiſſa cura, & hujus occupandi ſæpe fulgeret occaſio; nihil unquam tentavit, rectè ac ſapienter ſceptris anteponens fidem.

Sub hæc tempora prima legatio miſſa è *Cochinchina*, Sinis *Kiaochi* appellata, multis cum muneribus; inter quæ erat alba gallina ſilveſtris, ſive Phaſiana. Legatus ab Imperatore cauſam adventus interrogatus, ita reſpondiſſe fertur. *Triennium jam eſt, ex quo nobiliſſimæ fertilitatis eſt, eoque abundans omnium copia rerum noſtra regio, Hanc felicitatem auget temporum ſumma tranquillitas, Cælo, terra, marique perpetua pace ridentibus, nulla uſpiam vel ſegetum, vel navium injuria Regi noſtro penitus perſuaſum eſt, hoc ex eo fieri, quia in Sinarum regnis degat quidam, cujus ſanctitati vulgarem modum ſupergreſſæ, tantum à Cælo tribuatur.* Auditus benigne legatus, adornanſque jam reditum donatus eſt à *Cheucungo* machina ſummo artificio facta, quæ ſua ſponte reſpiciens auſtrum irrequieta lege certum monſtrabat iter, ſive terra illud, ſive mari facientibus. Ea duabus ſyllabis *Chinan* appellabatur; iiſdem omnino, quibus nunc Sinæ magneſiam acum ſignificant. Argumento haud dubio, ejus uſum illo jam tempore apud Sinas inventum, ad alias inde nationes, mea quidem ſententia, tranſiiſſe. Hanc igitur machinam ducem ſecuti Cochinchinenſes, unius anni ſpatio domum rediere. Imperator quintum imperii annum attigerat, ſtudiorum puerilium nondum plane oblitus; cum aliquando eum inceſſit cupido ludendi. Ergo cum *Yo* fratre natu minore colludens, dato per jocum neſcio quo codicillo, regulum eum facit. Tunc adſtans morum Præfectus, *Promiſſa Imperatoris* inquit, *etiam inter ludendum pondus habere debent. Quod modo fratri promiſiſti, eo ſtandum eſt tibi. Cautos quidem oportet eſſe principes in loquendo; ſed multo magis in præſtando fidos.* Ita vertit in ſerium jocus; & Imperator *Yo* ditionem *Tangum* dictam, ubi

Alba gallina munus regium.

Luſus regum ſerius.

ubi nunc *Taiquen* Civitas, cum reguli poteſtate ceſſit. Vndecimo imperii anno *Cheucungus* obiit, poſtquam præclare multa fecerat, multa etiam ſcripſerat, pari utrinque laude; quæ Sinenſium libris mandata, paſſim eſt legere. Corpus illius terræ reddidit, regio more prope ſepulchrum patris; haud exiſtimans fas eſſe; tantum virum, ut ſubditum tractari.

Ceterum cum agerentur aliquando imperii comitia; mirum quàm ſplendidam de vino & bene longam orationem Imperator ad regulos, atque Præfectos habuit. Inter alia liber *Xuking* refert hæc locutum. *Vinum à Cœlo permiſſum hominibus ea lege, ut inter ſacrificia duntaxat, quæ Cœlo fiunt, adhibeatur; malorum omnium, quæ in orbe terrarum fiant, cauſam ex ebrietate exiſtere; nullam ſtirpem alia re quam nimio vini uſu interiiſſe.* Sub hoc etiam Imperatore ſortibus conſultum referunt, de diuturnitate imperii; quarum favore ſucceſſores ex eadem familia triginta in octingenteſimum uſque annum ſperare jubebatur, nullo extero intercedente. *Vini uſus, laus, damna.*

III. Imp. KANGUS.

Imperavit annis XXVI.

HIc acceptis per manus à patre ſceptris, imperium in profundiſſima pace domi foriſque continuit. *Cyclo* 27. *anno* 27. *ante Chriſtum* 1078. Quippe annis viginti duobus, quibus rerum potiebatur, neque in provinciis, neque foro vel armis eſt, vel legibus unquam certatum. Mores placidi, ſuaves, ſine faſtu, & generoſa ſimplicitate læti. Sic fiebat, ut carus omnibus, ſummis æque ut infimis, acceptuſque eſſet. Pax ei cumprimis cordi erat; *Kango*, quod quietum ſeu placidum ſignificat, inde dicto. Nec minus muſica delectabatur. Quanquam dicere ſolebat: *Non idcirco reges ad culmen evectos, ut bene curent ætatem ſuam, cum perturbatione civium, ac moleſtiæ; ſed lætis omnibus, tum vero ipſis quoque lætandum.* *Quando lætandum Principi?* Et quoniam ab aliis rebus otium erat totum ſe agriculturæ dedit. Prima cura fuit per *Chaocungum* pre-

præfectum agorum inire menſuram, & cuique certum agri modum, limites item & vias, litibus ruſticorum declinandis aſſignare. Tum ipſe obire provincias, eadem præceptis ſimul & exemplis docens. *Chaocungus* jus dicebat ruſticis ſub ſalice; quam deinde religio fuit exſcindere, ſcriptis etiam carminibus memoria beneficiorum ab eo acceptorum ad poſteros propagata. Res bombycina, ſeminationis & arationis fructuoſæ facilitas mirifice aucta eſt ab Imperatore; apertæ quoque carcerum fores, ea conditione, ut inde emiſſi agris operam darent. Quibus rebus effecit, ut toto imperio effuſe fruges atque divitiæ affluerent, re ruſtica ad ſummum adducta. Felicia tempora, quibus ſecura pax non ad otium, ut plerumque; ſed ad laborem viam aperuit.

IV. Imp. CHAUS.

Imperavit annis L I.

Cyclo 27. *anno* 26 *ante Chriſtum* 1556. *Venationis mala.*

QVantum *Kangus* hujus pater rei agrariæ profuit; tantum hic nimia venatione fere obfuit. Quippe longa pacis ſegnitie, majoreſque imitandi ſtudio torpens, neglecta republica totum ſe venatui dedit. Vnde in illum odium offenſioque populi, & præcipue ruſticorum, non modo injurias ſibi à Præfecto, ſed ſuis agris etiam à feris aut ab ipſo potius illatas impune dilabi quiritantium. Demum eo adducta res eſt, ut ab ruſticis, ira in rabiem verſa, necaretur. Parricidii, præquam à talibus ingeniis expectares, hujuſmodi erat molitio. Vſu non raro venerat, ut è venatione redeunti flumen *Hun* provinciam *Xenſi* alluens, prope *Hanchung* urbem eſſet trajiciendum. Ruſtici, quibus naves ad tranſitum imperabantur, repetitæ toties operæ faſtidio concepto, regiam navim tali artificio conglutinant, ut cum in alvei medium veniſſet, facile atque ad eorum arbitrium ſolveretur. Itaque hac navi exceptum Imperatorem, ubi provexerunt ad deſtinatum periculum, repente tabulas ſubleſto nexu cohæren-

hærentes reglutinant; quibus aquarum vi ac mole disjectis, ille cum purpuratis aliquot fluctibus hauſtus interiit. Hunc exitum portenta quædam minari viſa ſunt. Nam & Lunæ lux longe ſolito clarior apparuit, oblongum præterea radium uſque ad leonem (locum Lunæ non notat author) quatientis in Cometæ modum; & in palatio aqua ex puteo ſuper os abundavit cum omnium admiratione. Anno hujus Imperatoris quartodecimo *Fius Lu* Reguli frater *Yeum* dynaſtam bello perſecutus, acie victum contra jus faſque interfecit. Armorum quippe cauſa non alia *Fio*, quam illius dynaſtiæ ad ditionem ſuam adjiciendæ nefaria cupido erat. His malis Imperator per ſocordiam non tantum non obviam ivit, reprimendo *Fio*, quod erat facillimum; ſed ſi arma poneret, præteritorum oblivionem, ut affini ſpondet, ereptæque dynaſtiæ injuriam ratam habet. Anno inde vigeſimo ſeptimo (erit is ante Chriſtum natum milleſimus vigeſimus ſextus) natum eſſe *Xancam* tradunt, Indiæ Philoſophum, idolorum & tranſmigrationis ad Sinas authorem: de cujus placitis tum plura memorabo, cum res anni poſt Chriſtum natum ſexageſimi quinti venient explicandæ. Hujus enim anni menſe decimo penetravit ad Sinas, ut initio hiſtoriæ jam ex parte diximus.

Omina mortis Imperatoris.

V. Imp. MOUS.

Imperavit annis LV.

MOus Chai filius, acceptum à patre imperium, magnis virtutibus illuſtravit. Immoderatius tamen aliquanto equos amabat, & currus. Nihil enim jucundius, quam ſublimem equo, aut curru vehi. Vtriuſque generis ſelecta undique copia, inceſſit eum cupido, equeſtrem juxta curulemque pompam toto imperio oſtentandi: Quæ res ut haberet ſpeciem curæ publicæ, placuit obire provincias. Anno imperii trigeſimo quinto bellum indixit *Tartaris*, quos Sinæ *Taium* vocant, radices *Imai* ſive montium Amiſeorum, quo *Crocei* fluminis fons ad Sinas ſolem obeuntem

Cyclo 29. anno 17. ante Christum 1001.

Bellum cum Tartaris geſtum.

tem ſpectantes procurrit, accolentibus. *Cicungus*, qui Imperatorem ſibi generum adjunxerat, hujuſcemodi dictis eum à propoſito conatur avertere. *Clara Imperatorum atque excelſa virtus pacem quam bellum amat. Arma non tractant niſi coacti; ſemper inviſa, ſemper calamitoſa ſibi, populo, ærario, denique non victis magis quam victoribus. Quam enim indignum, gloriam è ſuorum pernicie quærere? quam non humanum, hominem hominibus afferre mortem?* Ex quo intelligas, quam longe Chriſtianorum conſilia debeant abeſſe à bello non neceſſario; cum ſanguis humanus execrandus belli color, tantæ ſit reverentiæ Chriſtum ignorantibus. Verum hæc facilius averſeris, quam perſuadeas. Nec enim illa *Cicungi* eſt ab Imperatore pronis auribus accepta oratio. Quare in *Tartarorum* fines exercitum ducit omnibus inſtructum auxiliis, præceptaque victoriæ ſpe jam prope triumphantem. Sed *Tartari* explorato hoſtium adventu, ſive viribus ſive animis impares ſalutem fuga quæſivere; omnibus, quæ poterant, ſecum aſportatis, abactis armentis, tentoriis alibi poſitis, more gentis. Ita ne viſo quidem hoſte Imperator referre pedem coactus, multis ſuorum deſideratis, quæ erant itinerum rerumque aliarum incommoda, cum ignominia & dedecore, omniumque odio domum rediit. Ibi bello in venationem tranſlato, poſtquam homines non licuit, cum omni reliquo exercitu feras agitavit. Et hinc quidem ingentem prædam egit, at ſtipendio nequaquam parem. Hanc tamen infamiæ notam, quæcunque fuit, obliteravit eximia de cetero virtute inſignis Imperator æqui & juſtitiæ pertinax inprimis. Vix dici poteſt, quanta eum ſubierit pœnitentia ſpreti conſilii, quod dederat *Cicungus*. Ab hoc temeritatis veniam petiit; in hujus poteſtate, ſiquid eſſet impoſterum author, nunquam non futurum ſe promiſit. In aliis ejus dictis hæc celebrantur. *Si aulici probi ſunt*; ajebat, *& rex probus erit: ſin aſſentatores; rex quidem bonum ſe credet, at non erit.* Boni Principis famam ut plurimum ab aulicorum virtute pendere prædicabat: hinc ab iis cavendum maxime, qui auribus ſolum & oculis ſerviunt.

Malo ſucceſſu.

Bellum in venationem mutatum.

VI. IMP.

VI. Imp. CUNGUS.

Imperavit annis XII.

MOo vita defunćto *Cungus* ejus filius regiminis initia exitiabili ſcelere funeſtavit; *Mie* regione funditus deleta, cujus Præfectus tres eximiæ pulchritudinis puellas fugitivas ejus oculis ſubduxerat. Ea res cauſſa malorum omnium fuit. Producebantur, cum eò per *King* lacum animi gratia veniret, in illius conſpectum puellæ plures. In quibus cum tres illæ non amplius apparerent, libidine in iram verſa, inſontem populum velut ſecreti conſcium indigniſſime delevit. Ad frugem tamen dein reverſus, nomen inter optimos Imperatores meruit, raro in regibus exemplo, qui raro fiunt imperando meliores.

Cyclo 30. *anno* 12. *ante Chriſtum* 946.

Libido excidii cauſa.

VII. Imp. IS.

Imperavit annis XXV.

ID in ejus filio, quem habuit ſucceſſorem, patuit; qui non modo nihil memoria dignum, ſed ea multa indigna geſſit. Vnde poëtarum in ſe concitavit audaciam, docentium rectiora ſimul atque monentium. Multa exiſtunt etiamnum ex eorum carminibus. Nam & ars poëtica eſt apud Sinas antiquiſſima, & varia vario metro carmina complectitur. Ea omnia legitimo literarum numero conſtant, & quinque vocum ordine. Inter quinque carminum libros, è quibus doctrinam eorum, qui dignitates ambiunt in republ. periclitantur, unus in explicandis antiquorum Principum recte ſecuſque factis ita verſatur, ut malis terrorem addat, bonis calcar ad virtutem. De floribus etiam, de plantis, atque id genus rebus aliis vulgati verſus, ea tamen religione, ne qua fabularum tormentis, ut noſtrorum poëtarum fert genius, in illa ſcriptura ſit locus. Sunt enim in eo toti, ut eo congruentia rerum naturalium, morum venuſtatem doceant. Inſunt iis quædam de aman-

Cyclo 30. *anno* 24. *ante Chriſtum* 934.

Poëſis Sinica.

Sine fabulis.

Mores erudiens.

amando, ſed caſtitatem magis, quam noſtrorum Poëtarum mollitiem ſpirantia, magna decori ubique cura.

VIII. IMP. HIAUS.

Imperavit annis xv.

Cyclo 30. anno 49. ante Christum 294.

HIaus Iſis frater natu minor, excluſis nepotibus, per vim invaſit imperium; in quo tamen adminiſtrando pariter atque obtinendo ars ejus & induſtria enituit. Equis porro mirifice delectabatur; optimos ubique conquiri jubens. *Ficium* ex infimo fortunæ gradu hominem ad amplos honores extulit, eò ſolum nomine, quod equos ſcite aleret, domandique & condocefaciendi peritus magiſter eſſet. Quin etiam cum eorum aliquando ſe oblectaret aſpectu, præter morem generoſos atque inſtructos videns, induſtriam *Ficii* dynaſtia, quæ ad regionem *Cin* dictam ſpectabat, in ea parte provinciæ *Xenſi*, qua Occidenti obvertitur, muneravit. Ignarus quantum ſub ea gratia incluſum lateret malum. Nam hujus *Ficii* poſteritas, abſtracto ab ejus familia imperio, ipſa ſucceſſit, ut in tempore memorabo.

Equorum amor.

Ingens grando.

Memorant, hoc Imperatore, præcipiti grandine deſuper cadente, jumenta & homines communi ruina involutos atque oppreſſos fuiſſe; inuſitato etiam gelu fluviis rigentibus.

IX. IMP. IS.

Imperavit annis xvi.

Cyclo 31. anno 4. ante Christum 896.

QUindecim violentæ poteſtatis annis exactis *Hiaus* moriens imperium ad filium *Iſis* patrui nomen referentem tranſmiſit, longe ſibi diſparem, libidine ac levitate inſignem; ſumma rerum ignorantia, ingenio adeo hebeti, ut quibus officiis excipiendi tractandique venientes eſſent, nunquam potuerit addiſcere. Ita ruſtico pudore ſtupidus ac timens, nequid offenderet in publicum; nullos unquam vel legatos, vel regulos in conſpectum ſuum admiſit. At enim privata ſocordia publici

publici rumoris facta, imperatoriam majeſtatem omnium ludibriis expoſuit; quæ quantacunque, facile vileſcit, ubi à virtute deſtituitur.

X. Imp. LIUS.

Imperavit annis XXXVIII.

L*ius Iſis* filius, imperium ſeque ipſum ſuperbia, opum prodigentia & inprimis ſævitia infamavit. Hinc ei crudeli, quem Sinæ *Li* vocant, nomen inditum. Nihil moderati, nihil penſi habuit, ut res cunque ferebantur, dummodo animo obſequeretur, imperio, populo, denique ſibi exitioſus. *Cyclo 31. anno 20. ante Chriſtum* 878.

Initia imperii *Hoaigan* Auſtralem populum, qua *Croceus* mari miſcet undas ſuas, colentem, infeſtum habuere. Prædas paſſim agentem Imperator per Præfectos repreſſit quidem, at debellare non potuit: hoſtilem terram ingreſſus, at æque fortiter repulſus. Anno imperii trigeſimo tertio jam ſenex palam ſævire in ſuos cœpit. Avaritia potiſſimum ſtimulante, quam profuſa luxurie hiantem exhauſtæ populi opes explere non poterant. Et cives quidem de barbara feritate *Lij tyrannis.* queſti, mox non paucis Præfectorum communi cauſæ faventibus, una cum his publice dictis ſcriptiſque furentem furentes inſectabantur. Sed jam ultra remedium proceſſerat Imperatoris obſtinatio; qui non modo non ceſſit minacibus querelis, ſed iratior ipſe contra, inquiri ſevere juſſit in eos, qui de ſe ſiniſtre loquerentur. Et quia neminem unum inveſtigare potuit ſeditionis authorem, ſævitiam in omnes exſerere ſtatuit; capite ſanciens, ne quis quocunque loco vel tempore, *Loqui vetat.* quacunque de cauſa cum quoquam colloqueretur, ac ne muſſitaret quidem; hac enim ſuſpicionis calumnia perpetuo flagellabatur, omnium ſe figi maledictis; tormento domeſtico tyrannorum, ſemper, quod merentur, timentium. Ingens hominum multitudo jam è medio ſublata, in regia urbe velut quoddam juſtitium indixit. Nulla vox, paſſim ſilentium, & ubi prodeundum in publicum, quaſi muti defixis in terram oculis attonitorum more incedere, tanquam in totum ſibi

excidiſſent. Quia vero nequiſſimi etiam reges circa ſe habent, à quibus vel iniqua jubentes audiantur, fuere tum in Præfectis aliqui, crudeliores Imperatore, atque in id unice intenti, ut quam maximam cædem facerent. *Chaocungus* tamen, qui magnæ authoritatis Præfectus habebatur, ſæpe monitum increpitumque, ſed incaſſum, denique inter alia hujuſmodi verbis alloquitur. *Difficilius eſt, Imperator, hominum ora, quam flumina compeſcere, hæc quidem etſi caſtigata ripis, demum exundant tamen, & late ſtagnando vaſtant omnia; de clauſis per vim hominum linguis pejora time.* Ipſum triennium iſtius edicti atrocitas tenuit; cum tot injuriis oppreſſa plebs, effuſi torrentis inſtar, in Imperatorem conſurgit, regium palatium invadit, ipſum regem ad necem quærit. Sed is è ſubito tumultu vix elapſus, *Pingyang* urbem ex fuga tenuit. Reliqua ejus familia omnis eſt à furente populo occidione occiſa; excepto parvo filio, cui effugienti fida *Chaocungi* domus ad ſalutem patuit. At ea res ſtatim innotuit. Quare furentes ad *Chaocungi* domum advolant, circumfunduntur armis, & Principem ſuperbis vocibus expoſtulant ad necem. *Chaocungus* iratam multitudinem mulcere nequidquam conatus, tamen & virtutis fama & præſenti authoritate vecordes hactenus coërcuit, ne in domum irrumperent. Interim pertinaci clamore Princeps ad mortem expoſcebatur. His anguſtiis preſſus *Chaocungus* fluctuantem periculi contemplatione animum ſpargebat in diverſa; &, *Iam hæc*, inquit, *omnia Imperatori prædixeram. Merito quidem incidit hæc illius rebus calamitas, quod nullus ab eo locus eſt relictus conſiliis meis. At ſi filium fidem meam implorantem trado furentibus, ne ego infidus & Imperatori adeo inimicus audiam. Atqui non defugiunt pericula, qui ſunt in regum obſequio: iraſcuntur malo Imperatori, ut ſanent; ſed cavent, ne noceant: neque dominum ſuum, ſed ejus flagitia execrantur. Quid filium meum ſubſtituam, ſtatura vultuque principi parem? quid ſi felici ſuſpicione ſub regii ſanguinis reverentia ſervetur ſanguis meus?* Hæc ſecum confuſe volvens, ut & populi placaret iram, & filium Imperatoris ſervaret; ſuum

Rara in Imperatorem fides Chaocungi.

quem

quem habebat domi filium, eis tradit. Quem Principem eſſe credentes, mox cruda feritate laniant innocentem victimam, atque concidunt, immoto patre ſpectante. Ita ſervatus eſt Princeps, inaudita Sinis ad eum diem ſubditi adverſus improbum etiam Imperatorem fide. *Lius* à rebellatrici plebe nuſquam repertus, exutuſque imperio reliquam ætatem in obſcuro, ac fugitivus egit. Illuſtre documentum, quid timendum regi, qui, dum ſæviat, timeri mavult à ſuis, quam amari. Exinde annis aliquot interregnum fuit.

XI. Imp. SIUENIUS.

Imperavit annis XLVI.

Chaocungus interea ſummo ſtudio adniti ad placandum populum, omnemque lapidem movere, ut Imperator reciperetur. Sed deſtituit vota ſucceſſus. Ergo à patre cura in filium translata populum per tempus admonet, *Siuenium* (hoc *Lii* filio nomen erat) in patris locum aſſumerent; imperio quidem adhuc immaturum, de cetero inſignem indole, in majorum virtutes adoleſcentem, & quod palmarium, non tam à ſe, quam à Cælo ſervatum ſceptris. His aliiſque rationibus flexi, eam in ſententiam frequentes iere, ut *Siuenius* ſubrogaretur. Per cujus ætatem ne quid detrimenti caperet reſpublica, *Chaocungus* & *Cheucungus*, ſumma uterque fide, & authoritate, adjutores additi, qui res imperii nomine tutelæ ordinarent. Tenuit ipſos quindecim annos hæc tutela. Tum inito demum principatu, majeſtatis decus ac nomen dignis virtutibus illuſtravit; è diſciplina Præfectorum majorumque imitatione tantus Imperator, ut jam nemo *Uum*, nemo *Tangum* deſideraret. Ad juſtum & legitimum imperium præcipue Patris exemplo incitabatur. Philoſophos probitatis & doctrinæ gloria florentes invitabat undique; & tractabat omnes comiter atque magnifice. Vnde non mirum, ſi quamplurimi advenerint ex iis, quos Imperatorum priorum nequitia vel domi continuit, vel in montes ac ſaltus exegit, utrobique honeſtius philoſopaturos. Illa quippe tem-

Cyclo 32. anno 11. ante Chriſtum 827.

peſtate philoſophi, ne malis Imperatoribus, nulla emendationis ſpe affulgente, ſervire cogerentur (hoc enim è Sinicæ Philoſophiæ decretis, ſapiente indignum putatur) abdebant ſeſe in ſola loca, mutato etiam habitu, ne noſcerentur. Sed de his exempla dabimus, ubi de *Confutio* loquemur.

His rebus id effecit Imperator, ut tranquillo ubicunque terrarum imperio redirent omnes ad obſequium, à quo patris ob tyrannidem receſſerant. Quos inter & reguli ad fœdus poſtliminio icendum affuere, qui jam inde à *Moo* Imperatore nunquam paruerant. Sæpe nimirum plus virtute quam armis proferuntur imperia. Sed armorum tamen materiam ſuffeciſſe viſi *Hoaigan* & *Huquang* populi, quorum pars maxima colebat ultra fluvium maris filium: quæ regiones nondum parebant Sinis. Hos igitur, cum ſuis viventes legibus inſoleſcerent, Imperator per Præfectos ſuos non modo repreſſit, ſed etiam debellatos ad jura legeſque Sinicas ſubeundas adegit.

Imperator à conjuge revocatus ad frugem.

Anno imperii trigeſimo tertio cum in profunda pace Imperator hebeſceret, ac langueret, à regina perquam prudenti femina frugi factus eſt hac arte. Poſtquam enim totum ſe voluptati permiſit; quo factum, ut Imperator ſerius, quam ejus conſuetudo ferebat, ad Præfectos audiendos, negotiaque tractanda ſurgeret è lecto; regina & ipſum & rempublicam miſerata, clam ad parentes ex aula ſe proripuit. Inde feminam mittit ad maritum cum his mandatis, ut ei ſignificet cauſam fugæ ſuæ fuiſſe metum, ne pœnas Imperator expeteret à ſe, cujus negligentia magis ipſe jam Venere, quam virtute gauderet. Hujus culpæ ipſum habere fatentem ream. Imperator facile intelligens quo collinearet; *Hoc enimvero crimen, ſi quod eſt,* inquit, *meum eſt; ad reginam nulla ex parte ſpectat.* Majori deinde cura tractavit res imperii, ut ſolitus erat ante, in voluptatibus moderatior.

Inſignis amici fides.

Sub ejus imperii finem veræ amicitiæ exemplum prodiderunt æterna cum laude *Tapeus* & *Zogius*; quos inter ſe tam concors animorum devinxerat æqualitas, ut alter pro altero non dubitaret emori. Imperator injecta

injecta rei neſcio cujus ſuſpicione, *Tapeum* nec certī ſceleris accuſatum, nec auditum indicta cauſa capite damnavit. Id *Zogius* minime ferens, & amici calamitate motus, aperto ſe diſcrimini objecit pro eo; novies ob id magna libertate Imperatorem increpans. Qui denique incenſus ira, næ tu, inquit, aperte prodis, te perduellem fore, qui regis offenſam non times, ut amico faveas. Quam calumniam, ut dilueret *Zogius*, nihil trepidans: *Falleris, ô Imperator!* ſubjecit. *Qui ſervat amico fidem, ſervabit Imperatori. Nec enim inſontem amicum deſerere, eſt imperatori fidelem eſſe. Morti addixiſti amicum meum, innocentem, nullius criminis compertum, contra leges, contra bonorum regum conſuetudinem. Hunc quia cupio ſervatum, in ſuſpicionem perduellii venio. Quæ autem tanto flagitio cum fide, cum pietate, cum amore cognatio? cauſam amici tueor, ne tu injuſte, ne tyrannice agas; utrique fidus, ſed magis tibi. Num & qui ſervat innocentem, bene facit, & qui corrigit errantem, melius.* Tum vero furore præceps Imperator, *Aut garrire deſines*, inquit, *aut cum ſocio moriere.* Cui *Zogius*: *Non eſt probi viri, jus faſque deſerere, ut vivat diutius; nec quæ rationi conſentanea ſemel dixerit, aliquando refutare factus, ut mortem fugiat. Quæ dixi, eo ſpectant, ut videas iniquiſſimam* Tapeo *te offerre mortem. Nam ubi nulla culpa, pœna locum non habet.* Infremuit hac conſtantia perculſus Imperator; & utrumque continuo necari jubet, haud intelligens, pro amicitia perire magis eſſe glorioſum, quam deſerta fide vitæ ſuæ parcere.

XII. Imp. JEUS.

Imperavit annis XI.

INſignis hic nævus *Siuenii* gloriam obſcuravit quidem, ſed *Ieus* illius filius multo magis; ad quem imperium, non item paternæ virtutes tranſiere. Mira de iſtius Imperatoris concubina referuntur ab Hiſtoricis Sinenſibus; quæ quo ad intelligendum prona magis atque in aperto ſint, juvat ea paucis repetere, quæ ſupra de dracone attigimus. Huic nihil eſt ferme, quod non tribuant Sinæ. Hunc non modo felicitatem

Cyclo 32. *anno* 57 *ante Chriſtum* 781.

Draco Sinis in veneratione.

cujuſque, ſed imbres etiam, nimbos, grandinem, tonitrua & fulgura, ceteraſque tempeſtates habere in poteſtate credunt. Mirum ſane, tam cultam alioqui gentem & ingeniis felicem, in hujuſmodi rebus adeo delirare. Subter terram quoque draconem eſſe putant, & infra montes maxime. Inde eſt, ut magno ſtudio, ſumtuque pari venas draconis veſtigent in ſepulchris parandis. Nam è ſoli bonitate totius familiæ opes atque fortunas metiuntur; aſtrologorum inſtar, è vario ſiderum concurſu varie de futuris mentientium. Nec raro Deo permittente, cacodæmon ſuperſtitioſæ opinioni fidem adſtruit præſtigiis, ut ſub hoc etiam Imperatore contigiſſe referunt. De puella, quæ erat in gynæceo, fabulam reperio hujuſmodi.

Spuma draconis ſacra, & fabuloſa.

Iam inde ab *Hiaæ* familiæ temporibus draconem viſum eſſe tradunt, qui relicta in terris ſpuma, ex oculis evanuerit. Hanc, quia draconis erat, ut rem pretioſam, imo enimvero ſacram ſumma veneratione collectam, in arca aurea repoſitam, atque ad *Siuenii* Imperatoris uſque tempora ſervatam eſſe. Is, incertum qua de cauſa, cum juſſiſſet aperiri arcam tum ſpuma repente, non ſecus ac ſi viveret, exſiliit, & per totum palatium diſcurrens, neque ſe cohiberi paſſa, demum interius gynæceum ſubiens, Virginis adoleſcentulæ ventrem penetravit. Hinc natam puellam ferunt. Mater ſtupri notam & Imperatoris iram verita, infantem expoſuit. Quam duo conjuges illac forte prætereuntes audito vagitu ſublatam domi ſuæ (*Pao* eſt loco nomen, à quo dein *Paoſua* dicta) velut filiam aluere. Anno iſtius Imperatoris tertio, puella jam nubili, accidit, ut ejus nutrix, neſcio cujus criminis inſimulata mitteretur in carcerem. Illa puellam haud credibili pulchritudine inſignem pro libertate offerens Imperatori, cum donis non paucis dimiſſa domum rediit. At hic puellæ ſpecie captus, ejuſque amore inſaniens, eo denique proceſſit, ut jam regina legitima conjuge filioque ex ea genito repudiatis, *Paoſuam* tori ſociam in illius *Peſoum Paoſuæ* filium regni ſucceſſorem in hujus locum eligeret; Præfectis multum contra nitentibus, *Ikieus* filius legitimus

mus atrocitate injuriæ exulceratus, relicto patre profugiens, ad *Xinum* regulum patruum ſuum intendit iter, qua *Xenſi* provincia ſpectat auſtrum, ubi nunc *Nanyang* civitas eſt ſita. *Paoſua* interim imperatori in deliciis erat; unam rem in ea tantum ægrius ferenti, quod nunquam rideret. Itaque nihil intentatum relinquit, ut monſtroſæ mulieri riſum moveat. Erat ei tum temporis forte bellum cum *Tartaris* ad Occidentem propius colentibus: & militi ſignum bellicum ignem dederat, quo conſpecto ad arma & Imperatoris cnſtodiam concurrerent. Hoc ſigno ad eliciendum amaſiæ riſum aliquoties fulgere juſſo, adſunt de more milites, arma & ordines parant, ingenti, ut fit, ſtrepitu concurſuque terribiles. Quos ſemper deluſos videns *Paoſua*, in riſum denique diffuſa, magno ſimul gaudio Imperatorem complevit. Sed hic riſus imperio & vita poſtmodum ei ſtetit. Delectabat ante alia *Paoſuam* ſtrepitus, quem concerpta per vim holoſerica edere ſolent. Imperator igitur, qui ad illam exhilarandam nihil non faceret, ad ejus arbitrium libinemque factus, aſſiduo in dilacerandis holoſericis, illa præſente verſabatur.

Paoſua nunquam ridente data ridendi cauſa.

Delectata eſt laceratis holoſericis.

Inter hæc ludicra mittit ad *Xinum*, qui filium retraherent è fuga. Quo negante, daturum ſe Principem, niſi ut regni heres agnoſceretur; iratus Imperator arma in eum movet. *Xinus* impar viribus, at conſilio ſuperior, coita cum Tartaris ſocietate, noctu repente advolat ad Imperatoris caſtra. Datur de more ſignum. Milites viſa flamma Imperatorem luſu ſe, ut ante oblectare cum regina, rati, nec periculi quicquam ſuſpicantes, nulla reſiſtendi cura omiſſis armis prope dormientes in hoſtium venêre poteſtatem. Ita ludibundus Imperator à fratre filioque oppreſſus, luſu in ſerium verſo, occiditur. Sub hanc victoriam *Tartari* occidentales Sinæ terras aggreſſi velut armorum præmium, maxima ex parte primo impetu in ſuam poteſtatem redigunt imperiique partem auxilii ſpecie depopulantur. *Xinus* autem & *Ikieus*, quod illis obſiſti jam non poſſet amplius, pejora metuentes aufugiunt, Sinas ad ortum vergentes petituri, ubi

Iocus verſus in ſeriam cladem.

Sigan urbs eis ſedes lecta. *Tartaris* in hunc modum occidentis partes vexantibus, Reguli Præfectique orientis *Xinum* conveniunt, electoque in Imperatorem *Ikieo*, parant obviam ire hoſtium conatibus. At ubi ſe impares vident, iis ex occidente pellendis; omne armorum ſtudium ad tuendas orientis Sinæ partes convertunt, eodem quoque tranſlata ſede imperii, magna quidem ex parte jam accifi, at integra tamen penes eandem familiam dignitate.

Interea reguli quidam occidentales, ubi nullum ab Imperatore auxilium; ipſi ſe parant ad reſiſtendum, amiſſa recuperaturi. *Tartaris* ergo bellum inferunt. Inter quos duorum præcipue regulorum virtus enituit. Alter erat *Siangcungus*, cui *Cin*; alter *Vucungus*, cui *Guei* regnum obnoxium. At hinc atrox orta ſeditio, uno imperio in duo diſtracto. Ejectis quippe *Tartaris* victores reguli, quæ quiſque obtinuit, ſibi retinere, & Imperatorem in oriente agentem, ut ab eo deſtituti, audebant contemnere. Peſſimo id quidem exemplo; regulis mox aliis ſequentibus. Quo factum, ut, quia dominum unum non agnoſcerent, imperium in varia capita ſciſſum, à nullo regeretur. Quæ res multorum materia jurgiorum atque bellorum fuit, ut infra videbimus. Ex hoc autem bello maxime omnium emerſit *Cina* familia, quam à *Ficio* equorum paſtore deſcendiſſe ſupra monui. Hæc paulatim ad id faſtigii prodivit, ut totum occuparet imperium, initio è *Xenſi* provincia uſque ducto. Familia vero, quæ *Gueiæ* ditioni dominabatur, ſedem habuit, in *Honana* provincia, una ex iis quindecim, quas *Uus* ad regulorum dignitatem provexerat ex affinibus. Ea traxit originem à *Kamxotio* Ui Imperatoris fratre. Quæ ad faciliorem ſequentium rerum intelligentiam placuit hic apponere.

XIII. Imp. PINGUS.

Imperavit annis LI.

Cyclo 23. anno 8. ante Christum 770.

Pingus *Iei* filius, occiſi parentis calamitate doctus, mutatam periculo vitando regiam relinquens,

Sigan,

Sigan, atque in Auſtrum procedens ad *Co* provinciæ *Honana* fluvium in hujus extremæ Aſiæ meditullio fere conſtituit. Ita *Tartarorum* quidem vim effugit; ſed magnam imperii partem amiſit, plus timens ſibi, quod eſt præpoſterum, quam reipublicæ. Nam diſceſſus ejus omnem Sinici imperii ſtatum ita miſcuit, ut prorſus eſſet nova reipublicæ forma. Reguli enim, qui adhuc Imperatori paruerant, *Siangcungi* & *Uucungi* exemplum ſecuti, eo ex parte deſerto, fiduciarias olim regiones ſibi vindicantes, omne prarſus abnuebant imperium, in defectionis titulum fuga Imperatoris prætexta. Tres inde reges in ceteris eminuere. Primus *Ci* dictus, maximam partem Boream provinciæ *Xangtung* appellatæ occupavit; oriundus è familia *Liuxangii*, de cujus initiis ſupra diximus. Alter rex *Zu* nomine, duas inprimis celebres provincias *Huquang*, & *Kiangſi* ſuo ſubjecit imperio, Sinicis paulo ante legibus obnoxias, hoc eſt, ſub *Chingo* ſecundo iſtius familiæ Imperatore, qui, uti dictum *Hoangtii* ſucceſſores in his terris regulos creavit, habuitque ratum beneficium, quod ab *Uo* jam acceperant. Tertius rex *Cyn* permagna *Xanſi* provinciæ parte capta, *Taiquen* urbem ſibi pro ſede legit, à *Kangxoo* deſcendens, & Imperatorum ſanguis. *Kangxous* enim ab Imperatore fratre fiduciam locorum iſtorum acceperat, & quidem per luſum, ut diximus in *Chingi* principatu.

Hi tales ergo, deſerto Imperatore, nullius imperii timentes, non diu quievere. Cumque deeſſet hoſtis externus, dominatum eſt bellum, latius regnandi cupidine accenſis, & eam ob cauſam ferro inter ſe decernentibus; cum arctatis alterius finibus ſuum quiſque regnum proferre ſtudet. Nec Imperatoris eos authoritas in officio continuit. *Confutius* Philoſophus librum ſuum *Chuncieu*, ſive de regum correctione inſcriptum ab his regibus orditur. Nam hæc bella ad ejus ætatem uſque proceſſerant. In eo libro illud maxime ſecutus eſt, ut reges omnes ad obedientiam allecti, antiquas Sinici imperii leges denuo acciperent. Enarrat earum præſtantiam & commoda; exſecratur mala, quæ naſcuntur è diſcordiis; enumerans ea nomi-

natim, quæ à regibus perperam facta ex eo tempore, quo Imperatorem deſeruere.

Anno hujus Imperatoris vigeſimo primo, *Siancungo* vita functo *Vencungus* ejus filius devictis ingeati prælio *Tartaris*, occupatiſque fere omnibus, quæ ſpectant occidentem, ad *Xanſi* provinciæ fines ultra *Fungciang*, urbem pervenit. Ibi *Ki* montem regni ſui limitem fecit, quaſque ultra hunc montem orientem verſus eodem victoriæ impetu regiones occuparat, quæ multæ fuerunt, eas Imperatori gratis reſtituit, omni fere *Xenſi* provincia in poteſtatem redacta contentus.

XIV. Imp. UONUS.

Imperavit annis XXIII.

Cyclo 33 *anno* 59. *ante Chriſtum* 719.

Uonus *Pingi* ex filio nepos ad faſtigium evectus, nihil prius habuit, quam ut reſtituta imperio dignitate regulos revocaret ad obſequium. Quod ubi conſilio non potuit obtinere, armis tentavit, ſed æque irrito ſucceſſu. Nam primo ſtatim prælio à *Chingo* Regulo fuſus, acceptoque vulnere, terras imperio ſubjectas recuperandi ſpem abjecit; tantummodo ſolicitus, qui relicta tueretur. Nec aliud memoria dignum de illo invenio. *Chingus* erat ex imperatoria familia *Cheva*, *Siuenii* Imperatoris patruus. Ita dominandi libido conſanguineos etiam in ſe mutuo armavit.

XV. Imp. CHUANGUS.

Imperavit annis XV.

Cyclo 34 *anno* 22. *ante Chriſtum* 696.

C*Huangus* contra patris Præfectorumque plurimorum voluntatem imperium natura ſibi debitum obtinuit. U*onus* enim *Keum* è concubina filium, quem amabat maxime, legitimo præferebat. *Sinpeus* autem unus è Præfectis, æquitatis amans, ex eodem ordine quidam alii non minori authoritate ſeſe vehementer oppoſuere; quod prævíderent, ſi filius legitimus jure ſuo privaretur, totius inde jam labantis imperii timendum interitum eſſe. Nec enim dubitabant futurum

turum, ut diſſociatis animis fratrum, alii *Keianis*, alii *Chuangianis* faventes partibus, inteſtino bello ſubjicerent faces. His tandem rationibus effectum, ut *Chuangus* eligeretur. Cujus fortunam continuo ſecuta invidia, tertio imperii anno nil ſuſpicantem præſenti vitæ periculo admovit. Nam qui *Kei* partes ſequebantur, occiſi Imperatoris ſanguine viam illi ſignatum ibant ad imperium. Parricidio patrando deſtinatus *Mekienus* factionis caput. At inſidiæ fuerunt à *Sinpeo* detectæ, Imperatorem jubente cautum eſſe. Vt autem ſine turbis, quarum idem *Mekienus*, Præfectus multum authoritate valens, materiam minabatur, conſeneſceret proditio; *Sinpeus* author eſt Imperatori, ut ſe ſimul & *Mekienum* invitet in regiam, ſub obtentu ſolita imperii negotia conficiendi. Et favit conſilio ſucceſſus. *Mekienus* ſolus à ſubornato milite occiſus; *Keus* ut fraudem detectam, & *Mekieni* cædem inaudiit, in tutum ſe recepit, ad *Yen* regem aufugiens.

Anno ſequenti denuo inter duos alios fratres domeſticum malum intervenit, invidia & regnandi libido. Alter erat *Zukieus*, alter *Sinopeus*, aut alio nomine *Voncungus*, *Siangcungi Ci* regis filii. Vterque à patre profugerat, cujus præceps ingenium & nequitiam ferre non poterant; nec à morte ſecuri, ubi exarſiſſet iracundia. *Zukieus* in *Lu* regione, *Voncungus* in *Kiu* ſalutem invenit. Sed hoc periculum paulo poſt patris cæde diſſipatum: Cædis author nunquam innotuit. Hi duo ergo, poſtquam ab occiſo patre ſecuritas erat, acriter inter ſe depugnavere pro regno. Vnum *Lu*, alterum *Kiu*, reguli fovebant. Ipſum etiam *Ci* regnum diſceſſit in factiones. *Zukieum* duo è prima nobilitate Præfecti *Xaohoeus*, & *Quonchungus* ſequebantur. Aliquot præliis vario Marte pugnatum, donec in *Voncungum* inclinavit victoria, non uſquequaque felicem: quippe ultimo in prælio à *Quoncungo* ſagitta vulneratus prope abfuit à morte. *Zukieus* toto exercitu amiſſo, ne in offenſi fratris poteſtatem veniret, ſimul ſpe regni obtinendi, ad *Lu* regem iterum cum *Quonchungo* & *Xaohoeo* fugit.

Bella inter fratres.

fugit. Quos *Uonkungus* per Præfectos inſecutus, in *Lu* regnum ſuperfudit ſuas copias, ibique captum *Zukieum* necavit. *Xaohoeus*, ut hoſtium manus effugeret, voluntariam mortem occupavit. *Quonchungus* vero vivus in manus hoſtium devenit; quem confecto bello victor exercitus captivum ad regem adduxit. *Quonchungus* Philoſophus rerum naturalium ſcientia, vitæ integritate, ac præcipue prudentia inſignis, illius ævi confeſſione ferebatur. Omnes illum venerari & colere, dictaque ejus pro oraculis habere. Nec ab his facta diſſentiebant; queis in tantum excelluit, ut *Confutii* ætate, qui ſub hæc tempora floruit, ut videbimus, multi dubitarent, num ad iſtius virtutem perveniſſet, quod apud Sinas in ſumma laude ponitur. *Uoncungus* igitur, ubi eum eſſe in ſua poteſtate videt, acceptum ab eo vulnus ipſius morte vindicare ſtatuit. A quo conſilio *Paoxous* è Præfectis unus multum abhorrens ei magnopere reſtitit. *Ego vero, tantum abeſt*, inquit, *ut hoc ei crimini vertendum putem, ut etiam virtutis nomine honeſtare non dubitem. Amor fuit ac fides in dominum, cujus ſalutem alieno incommodo ſancire pulchrum haud injuria credebat. Teipſum, ô rex, conſule, quales in tali fortuna tuos in te optares eſſe. Laudares enim vero fidem, agnoſceres officium pro tua vita ſanguinem hoſtilem haurientium. Quare non modo nulla pœna afficiendum, ſed ut inſontem dimittendum cenſeo. Beneficio flectetur hoſtis; quemque odiſti adhuc tanquam injurium, poſthac magis tanquam gratum amabis.* Paruit ſalubria ſuadenti *Uoncungus*, miſſumque *Quonchungum* fecit. Qui cum in *Lu* regnum ſe recepiſſet, ab rege pro fugitivo habitus, iterumque captus & catenis vinctus ad *Uoncungum* remittitur; non amore reipublicæ, ſed quia illius arma ſibi formidoloſa erant. Is nunciato reditu officioſe homini procedit obviam, & indignum tanta virtute habitum averſatus, continuo demi vincula jubet, ac velut amicum aſſidere ſibi. Ibi rogatus de populorum gubernatione, de regni ditandi modis, de regulorum animis ſibi adjungendis, in quo totius imperii vis erat atq; authoritas, multa preclare diſſeruit. Quibus auditis *Uoncungus* mirum

Vita hoſti ſervata.

Servanti præfuit.

mirum in modum exhilaratus, præfectura tunc donatum, poſt ob egregias naturæ dotes, pariaque in rempublicam merita, ſuum Colaum fecit. Erat omnino *Quonchungus* magni & animi & conſilii, ſed in multis antiquas Sinarum rationes non ſequebatur, in ſuum regnique commodum callidius intentus, quam viro bono convenit. Vnde poſtmodum à *Confutio* dictus eſt haud ex hominis probi norma quæſiviſſe, imo arte atque aſtutia ſuperaſſe virtutem, qua debuiſſet alia omnia inferiora ducere. Philoſophorum enim eſſe, germanæ virtuti primas in rebus omnibus dare. Verum quocunque hæc modo ſe habuerint, rex *Ci* ad magna pervenit hujus Colai induſtria, regulis quamplurimis uno ejus conſilio ſub imperium regis abeuntibus. Cujus felicitas eodem authore atque adjutore non paulo ſurrexit altius. Nam mortuo Imperatore *Quonchungus* ita ſuffragia diſpoſuit, ut *Ci* regis affinis in Imperatorem eligeretur. *Lius* ei nomen erat, ex Imperatoria quidem ſtirpe, ſed non recta deſcendenti. Quæ tamen interceſſio non abſtulit ſtirpi titulum cognominem ſive imperatorium.

XVI. IMP. LIUS.

Imperavit annis v.

IGitur *Lio* ex regum *Ci* proſapia ad culmen evecto excluſis *Chuangi* filiis ex fratribus, non fuit difficile, ſtabilire res imperii, præſertim à rege *Ci* adjuto. Sic enim regulos beneficiarios ex Orientis regionibus, magno numero, experta & felici *Quonchungi* induſtria adjunxit ſibi. Vnus imperium abnuere viſus eſt, *Sui* regulus; cui tanquam rebelli *Uoncungus* Imperatoris nomine bellum indixit, prœlioque devictum necavit. Amici necem indigne ferens rex *Lu*, *Ci* regem armis perſequitur eatenus, ut hic *Sui* regionem cogeretur reſtituere. Sed qui aliena propugnatum ierat, ex parte perdidit etiam ſua. Nam à *Ci* rege victus, invicem coactus eſt pacem petere, ea conditione, ſe nunquam amplius de terris *Siu* expoſtulaturum. At hæc victoria viam illi prope ſtravit ad interitum.

Cyclo 34. *anno* 37. *ante Chriſtum* 631.

Etſi

Etſi enim calentibus adhuc armis regiones aliquot *Lu* regis occupaverat, & bello, & pace victor, dum glorioſe triumphans redit domum, à milite quodam *Zamoo* dicto in arctiſſima via, magna commilitonum manu comitante invaditur. Et hi quidem nihil movebant, tantum ſi opus foret, ad certamen accincti; ac *Zamous* ſtricto enſe minax & in U*oncungum* verſus: *Aut moriendum*, ait, *eſt tibi*, *aut* Lu *regi reſtituendum*, *quod abſtuliſti.* U*oncungus* ut præſentem mortem evaderet, non modo promiſit, quod petebatur; ſed etiam impunitatem *Zamoo*, quanquam impie ferocienti. Tum *Zamous* abjecto ferro regem adorare more ſubditi, eique de promiſſis gratias agere. Porro reverentia, quam adhibent adverſus reges ſuos Sinæ, eſt hujuſmodi, ut pronis corporibus teſtentur obſequium verſa ad Boream facie. Ajunt enim, reges ſuos ſemper Auſtrum reſpicere. Eademque ratione porta palatii præcipua cubiculorum item & aularum valvæ omnes ad Auſtralem plagam vergentes, fecêre locum proverbio, Sinas etiam diſtantes, perpetuo venerari reges ſuos, cum ſuetis ceremoniis hoſpites excipiunt. In hunc igitur modum *Zamous Ci* regem venerabatur.

Fides etiam hoſti ſervanda.

U*oncungus* ubi periculum evaſit, ſtandum promiſſis haud exiſtimans, *Zamoum* morti addicit, tanquam perduellionis reum. Quo cognito *Quoncungus*, regem alloquens, *In fide non manere*, ait, *& hominem*, *Rex*, *cui gratiam feceris noxæ*, *damnare capite, omnino res eſt indigna regibus*, *& exile vindictæ gaudium. Putaſne hoc emendum authoritatatis tuæ fideique jactura? Quis enim ex regulis*, *quis ex omnibus impoſterum promiſſa tua non habebit ſuſpecta? Fides imperii baſis eſt; qua convulſa illud neceſſe eſt corruere: ſta igitur in eo*, *quod promiſiſti*, *& ſanctum habe. Sic enim*, *quod tua permagni refert*, *& dictis tuis in futurum aſſeres fidem, & ſimul efficies*, *ſi* Lu *regi terras haud ſane amplas reſtitueris, ne aliena concupiſcere videare.* Hæc ille ſecundis auribus accipiens, *Zamoo* dimiſſo, *Lu* quoque regi terras ſuas reſtituit. Qua re tantam ſibi laudem apud reliquos regulos comparavit, ut omnes eum tanquam regu-

regulorum caput, qui Sinis *Pa* vocatur agnoſcerent. Tantum datæ fidei conſtantia, & exiguæ terrarum portionis ſpreta cupiditas poteſt.

XVII. Imp. HOEIUS.

Imperavit annis xxv.

HOejus Lü filius traditum ab eo imperium ſex annis tenuit in otio; cum *Tie*, gens in *Xanſi* provincia, qua Boream ſpectat, habitans, ubi nunc *Taitung* urbs ultra murum magnum, qui quidem hoc tempore nondum erat exſtructus, obverſa *Tartariæ*, Sinas ingreſſi *Hing* orbem obſident. Sed non diuturna ea obſidio fuit, Imperatoris nomine arma opponente *Uoncungo* & hoſtem inde vi ejiciente. Quem deinde fugientium ſpecie magis, quam obſidionem ſolventium in *Guei* regnum infeſta ſigna transferentem *Icungus Quei* rex fortiter excepit, obviam ei procedens cum exercitu. Iamque in conſpectu utraque acies erat, intenta in ſignum prœlii, & rex *Quei* opportuniorem ad pugnandum locum occupaverat; cum ei victoriam è manibus prope extorſit ſtultiſſima ſuperſtitio. Inſederant forte ſuorum aliquot militum haſtis aves; quas ut erat earum ineptiſſime amans, abigere religio fuit, eo prœlio ſe inde ſuperatum iri auguranti. Omiſſa igitur pugna, *Tie* exercitus recedendi occaſione uſus, captoque ad pugnandum loco commodiore, cum *Icungo* acie congreſſus, eo victo necatoque augurii ſortem, vel eluſit vel implevit. Reliquiæ exercitus filio regis natu majore in regem electo, ad Auſtralem regni partem, inter *Ci Croceum*que flumina, contendunt. *Uoncungus* in omnem rei bene gerendæ occaſionem intentus, deſertas *Quei* oras invadit, *Tie* exercitum delet, ac ne alienas ambire terras videretur, alterum *Icungi* filium regem creat, occupatis à ſe locis precario impoſitum, vocatumque ſuo nomine *Uoncungum*. Ita *Quei* regnum in duas partes diſtractum eſt; cujus conjunctæ vires *Ci* regi timebantur. Qui ſubinde victoriis & potentia ferox *Zu* regi bellum indixit, æque, ut ipſe erat, poten-

Cyclo 34. anno 42. ante Christum 676.

Superſtitione amiſſa victoria.

potentiſſimo. Poſtquam vario utrinque Marte pugnatum; tandem bello feſſi ambo ad pacem reſpexere, cui conficiendæ in montem Chaolin colloquium indictum. Nihil aliud ſub hoc Imperatore accidit memorabile, niſi quod ipſe quidem nomine Imperator, re autem vera *Uoncungus* eſſet. Huic aderant vires, imo & animus imperii capiendi, niſi omnium aliorum regulorum in ſe unum timuiſſet arma convertere. Nam cum eidem imminerent omnes, altero alterius ambitioni obſtante, nullus obtinuit.

XVIII. Imp. SIANGUS.

Imperavit annis XXXIII.

Cyclo 35. anno 7. ante Chriſtum 651.

S*iangus Hoeio* ſucceſſit, jam à puero ſuſpicione nimiæ penes *Ci* regem potentiæ imbutus. Poſtquam igitur ad gubernacula reipublicæ acceſſit, undique facultatem cœpit quærere vel *Uoncungum* deprimendi, vel aliorum regulorum animos ſibi conciliandi, quo imperatoriam Majeſtatem priſtino ſplendori reſtitueret. Quam quidem ad rem ei duplicem viam fortuna patefecit.

Ci rex *Quonchungi* induſtriâ, beneficiariis regulis omnibus conventum indixerat. Quem ut imperii turbandi materiam timens Imperator, quia impedire non poterat, *Uoncungum* ſaltem in invidiam apud regulos adducere, velut ſe una cum illis Imperatorem agnoſceret, ſtatuit efficere. Ergo ubi convenerant, mittit ad eos legatum *Zaicungum* virum prudentiſſimum cum literis publicis, eique mandat, ut illas permittat à ceteris conſueto ritu excipi, ſiquidem vellent; à *Ci* autem rege, ſi detrectaret obſequium, nequaquam exigat. Eſt autem hoc apud Sinas in more poſitum, ut Imperatoris litteras ac diplomata non prius legant, quam ea menſæ ad hoc adornatæ impoſita venerentur eodem honore, quo ipſum Imperatorem ſolent. Adeſt ergo *Zaincungus* cum diplomatis, quæ ab omnibus ſolemni ritu ſunt excepta; ſolus *Ci* rex abnuebat obſequium. *Quoncungus* contra gravibus eum verbis avocans à pervicacia, *Si rex*, inquit,

inquit, *negligens eſt officii, ſi ſubditi exemplum regis ſui ſequentes, ut nihil pronius eſt, quam morbum à capite in membra deſcendere; nec ipſi ſubditorum partes explent; omnia neceſſe eſt converti ac miſceri. Coëgiſti regulos, quibuſcum agis, ut regulus; laudo. At iſtud quis laudabit, quod cum Imperatoris legato agis, tanquam eſſes Imperator ipſe? An non in mentem tibi venit, regulos ex hoc facto de animi tui fallacia judicaturos? nec te aliud manere, quam ſummam apud eos invidiam? Cede modo tempori; & quando faciendum eſt, quod vitari ſine incommodo non poteſt, oſtende Imperatorem abs te dominum tuum agnoſci?* Valuit hæc apud *Uoncungum* oratio, ſecutuſque regulos, diplomatis volens nolens ceremoniam adhibuit, omiſſo in præſens imperii potiundi conſilio, quæ una comitiorum cauſa fuerat. Et prodiit hoc exemplum longius quam optabat. Quippe reguli omnes, non qua mente, ſed quam obedienter feciſſet, reputantes, ad Imperatoris obſequium rediere.

Hanc Imperii felicitatem *Xotaus* Imperatoris filius violavit, deſerto patre ad rem *Ci* transfugiens. Is *Quonchungo* miſſo, ut filium apud patrem in gratiam reponeret, quod optabat, obtinuit. At *Quonchungus* è legatione redux mortem obiit, anno iſtius Imperatoris ſeptimo. Quam continuo atrox ſecuta contentio tres præcipuos Præfectorum colliſit, Colai dignitatem inter ſe ambientium. *Uoncungus* provecta jam ætate inanes iras ſedare vel contempſit, vel non potuit; biennio poſt, id eſt, eodem ferme tempore extinctus, relictis filiis jam adultis quinque, ſingulis ad ſe ſceptrum rapere nitentibus. E præfectis & populo, alii hujus, alii alius partes ſequebantur. Ita regnum, quod finibus ſuis non contentum, ad imperii magnitudinem nimis ſuperba ſpe ferebatur, fratrum diſcordia, prope ad nihilum eſt redactum.

His inter ſe pugnantibus dynaſta quidam eodem, quo Imperator, nomine *Siangus*, cui *Sung* regio parebat, in occidentali parte provinciæ, quam *Nanking* vocant, dominanti, potens inprimis habebatur. Is in eo totus erat, ut reguli ſuarum fierent partium; belli gloria & virtute illuſtris, armiſque ſuis pluri-

mum confidens. Cujus audaciæ cum *Zu* rex iret obviam; dynaſta contra eum copias ſuas educens, ſparſum & inconditum ſine ordine *Zu* militem opprimere potuit è veſtigio, ſi occaſione uteretur. At ille à ducibus ſuis idipſum monitus, ut erat generoſus, reſpondit in hunc modum: *Egregius miles non arte dolove fallit hoſtem, aut interficit, ſed fortitudine. Video* Zu *regis exercitum à me deleri poſſe; ſed malo, me cum compoſitis & inſtructis pugnantem vinci quam negligenter & incompoſite venientes occidere, atque aſtu potius quam virtute, latronum more vincere.* Itáque prorſus, ut dixerat, factum. Nam ubi *Zu* militibus aciem diſtinctè & ordinatè diſponendi ſpatium fuit, *Siango* victoria excidit è manibus, devictuſque prælio, vix vivus evaſit. Magnum Alexandrum diceres, ſi, ut fortiter egit ac generoſe, ita voluiſſet vincere.

Dolus in bello neglectus nocuit.

Anno imperii decimo quinto, *Ching* è *Xanſi* provincia regulus palam auſus eſt in Imperatorem conſurgere. Contra quem ille ſtipendiis invitato è vicinis *Tie* populis miſſoque in hoſtem exercitu victor fere omnem ejus ditionem *Lie* dictam, in ſuam redegit poteſtatem, reliqua provinciæ parte permiſſa regulo, rebellionis veniam petenti. Vt autem *Tie* populos ſervaret amicos ſibi, eorumque opera ſecurius uteretur ad majora, quæ machinabatur; illorum ducis filiam uxorem duxit. *Cyn* præterea regem nomine regis, quod ante tantum uſurpaverat, donavit, dummodo *Tie* populis tranſitum daret. Sed cum paulo poſt Ducis filiam, ut barbaram & externam repudiaſſet; Dux ad id vehementer excanduit, injuriæque dolore accenſus, quo ſe commodius ulciſceretur; *Xotaum* Imperatoris filium, juvenem turbulentum & inquietum regnandique avidum ad ſe invitat, imperium venienti pollicitus. Adeſt *Xotaus*, iterum patris jam non deſertor modo, ſed etiam hoſtis. *Tie* namque copiis auctus arma movet in patrem; quem in eas concluſit anguſtias, ut regia denique relicta ad *Ching* regulum, paulo ante rebellem, at nunc amicum ſe reciperet, non ignarus, illum *Tie* populis inimicum; & hinc conſociatis armis ei obſiſti poſſe credebat, *Xotao* interim

rim invadente regiam. Ita eodem tempore duos vidit extrema Aſia Imperatores, patrem & filium, ſed inimicos; ut conſtet dominandi libidinẽ nihil habere ſancti.

Siangus apud *Ching* agens, aliorum quoque regulorum implorat fidem. Adfuere primi *Cin* & *Cijn* potentiſſimi reges, aliique inferioris notæ. Itaque collectum ingentem exercitum, in duas diviſum partes, per *Cijn* regem regiæ urbi, quam tenebat filius, admovit. Qua brevi capta necatoque filio, per *Cinum* deinde regem in *Tie* populos proceſſit; eiſque in fugam diſſipatis, ipſe victor in regiam poſtliminio reverſus, tranquillato imperio diu fruebatur. Regulos, qui plus opibus, armis, potentia valerent, beneficiis interea ſibi magis ac magis obſtringens. Atque hæc altera illa, de qua ſupra memini, fuit occaſio, qua multis incommodis depreſſa Majeſtas reſurgeret ad priſtinam dignitatem.

XIX. Imp. HIANGUS.

Imperavit annis VI.

TAli ergo ſtatu imperii, poteſtas à *Siango* patre ad *Hiangum* devoluta, habitaque perquam moderate: quippe Imperator erat exemplum innocentiæ, bonus inprimis & ſapiens. Hinc accurata illa cautio, uti de eo ſcriptum invenio, in agendo, ne qua deerraret à recto, aut aliquid inconcinnum admitteret. Subditis gratus, & charus omnibus, omnes, quæ Imperatorem decent, virtutum titulos implevit. *Cyclo* 35. *anno* 40. *ante Chriſtum* 618.

XX. Imp. QUANGUS.

Imperavit annis VI.

QVangus in imperium ſimul, ac virtutes *Siangi* patris ſucceſſit; Sinis in dictis factiſque fidus magnanimus ac generoſus dictus. Vnde illi *Quango* nomen, quod clariſſimum ſive ſplendidum ſignificat. *Cyclo* 35. *anno* 46. *ante Chriſtum* 612.

Vltimum ejus annum *Chaoxunius* Præfectus *Lingcungi* cæde funeſtavit. Rex *Cin* erat; cui *Siangcungus* regis proxime ſuperioris frater ex Imperatoris, cui ſer-

viebat, accitus aula, ſubrogatus eſt. *Lincungum* memorant initio principatus nequiſſimum, & inde odium publicum populi fuiſſe; ſine dubio male providentem regno, & cui nulla ſubditorum cura. Qua de re monitus à dynaſta quodam affine ſuo, tantum abfuit, ut flecteret ſe, ut etiam necem bene ſuadenti ſtrueret impatiens conſilii. Facinori patrando miſſus *Mitius*, quibuſvis promtus auſis, ad affinem inviſendi ſpecie. Qui palatium ſummo mane ingreſſus ad quærendam cædis occaſionem, ubi venit in aulam principem; ecce tibi! regem jam in throno ſedentem videt, ſubditorum cauſas cogniturum. Hîc attonitus rei novitate atque audacia in venerationem verſa ſubſiſtens hæc ſecum. *Huic enimvero curæ ſunt ſubditorum commoda, huic ſceptra merito commiſſa, qui eis non ad luxum, ut multi, ſed ad civium ſalutem moderatur. Egone optimi hominis cruore impias manus imbuam? egone perduellis fiam? nam quo pacto hujus criminis infamiam à me avertam optimo rege occiſo? At ſi regis mei non exequor imperium; audacia, quæ adhuc in honore fuit, muliebris pavoris probro vapulabit: mihi certum regis odium paratum, ut infido, ut inobſequenti. Horum enim duorum alterum effugere non poſſum, ut non aut impius ſim, aut non parendo infidus. In tam ancipiti rerum articulo quo me vertam? præſtat omnino non vivere, quam aut impietatis, aut perfidiæ nota maculari.* Simul his egreſſus & in acutum ſalicis palum ex deſtinato inſiliens, eoque transfixus finem vitæ ſuæ impoſuit. *Lincungus* autem etſi mores ſuos paululum mutavit in melius; ob antiqua tamen ſcelera cecidit à ſuomet Præfecto, ut eſt expoſitum.

Amor civium & juſtitia vitam Imperatori ſervat.

XXI. Imp. TINGUS.

Imperavit annis XXI.

Cyclo 35. anno 52. ante Chriſtum 606.

T*Ingus Quangi* frater abhorruit à bellis, & contentionibus quam qui maxime; in populorum rectionem, curamque legum inprimis intentus. *Tingus* inde appellatus, quod conſtantem ſolidumque ſonat. Hoc imperante *Zuus* rex conſcripto ingenti exercitu,

ſpecie

ſpecie *Lohoënium Cuo* regionis dynaſtam, ut Imperatori rebellem, armis petendi, revera ut hac occaſione oppreſſum Imperatorem pellat è regno, ad confinia uſque regiæ urbis pervenit. Ad eum ſalutandum Imperator legatum mittit *Sunmonium* cum mandatis, ut dimiſſo exercitu domum redeat. Erat *Sunmonius* vir conſtans inprimis & imperterritus. Hunc ergo venientem, tanquam Imperatoris legatum *Zuus* magno exceptum honore, quo ſolertius tegeret animum ſuum, inter colloquendum forte de Imperatoris vaſis, eorum menſura ac magnitudine interrogat. Erant fuſa, ut diximus, ab *Yo* Imperatore vaſa novem; in quibus totius Sinæ deſcriptio continebatur, imperii menſuras ac pondera ſimul referentibus; quæ tanti fiebant, ut ille demum, penes quem eſſent, Imperator haberetur. *Sunmonius* ex hac interrogatione facile perſpecto illius animo ſolita libertate regi reſpondet, *Imperium non in vaſis, ſed in vera & inconcuſſa virtute conſiſtere. Hæc ſi abſit*, ait, *& præcipue in dominum tuum fidelitas, etſi forte vaſa vi & armis obtineas, non idcirco perduellis infamiam evitabis. Cujuſmodi vaſa illa ſint, ſcire non eſt tuum; illud magis tibi ſit cordi, ne fiduciæ virium elatus, agas injuſte. Nondum adeo deſpexere fata familiam* Chevam, *ut ei minentur interitum; nondum cælo tam eſt inviſa, ut ſtirpitus convellatur. Omitte igitur de invadendo imperio conſilium, quod non aliunde quam à cælo datur. Zuus* deprehenſum ſe videns, dicentiſque libertate juxta & ingenti pudore confuſus, re infecta copias ſuas reduxit domum. Adeo nonnunquam plus virium, quam ingens exercitus, habet cordata viri conſtantis oratio.

Legatus prudenti oratione perduellionem tollit.

Anno hujus Imperatoris tertio natus *Laotanus* in regno *Zu* nominatus Philoſophus, apud Sinas Epicureæ ſectæ author exſtitit. Poſt mortem enim nihil noſtri ſupereſſe aſſeruit, finem hominis voluptatem ſtatuens. In eo autem toti ſunt illius ſectatores, ut vitam producant quam longiſſime, quo voluptatibus effuſius ſervire poſſint. In utramque rem varios tradunt atque nefandos modos, queis ſummos etiam magiſtratus dementant: pollicentes denique immortali-

Epicuræi ante Epicurum.

Tres præcipuæ Sinarum ſecta.

tatem in hac vita mortalibus. Et hæc eſt una è tribus ſectis, quas amant & perſequuntur Sinæ. Prima enim Philoſophorum, ſeu literatorum eſt, *Iukiao*; altera idololatrarum, *Foekiao*; tertia qua de loquimur, immortalium *Taokiao* dicta. Quamvis autem *Laotanus* ſummum bonum voluptatem ſtatuat; mentem tamen unam eamque ſummam agnoviſſe, videtur mihi admodum veriſimile. Sunt enim hæc ejus verba. Tao *ſive magna ratio non habet nomen. Cælum creavit ac terram; expers figuræ; ſidera movens, ipſa immota. Hujus quia nomen ignoro*; Tao, *ſive ſummam ſine figura rationem dixerim.* Idem Philoſophus in alio loco ſe à cælo creatum profitetur.

Fabula de origine Laotani Philoſophi.

Supra fidem eſt, quod de illo ſcribunt, aut verius fabulantur Sinæ, annis octoginta & uno in ventre matris latentem, deinde per latus dextrum in lucem prodiiſſe. Argumentum fabulæ ſuffecit numerus novenarius, quem perfectiſſimum dicunt, qui novies in ſe ductus octoginta collegit & unum; quo numero notatur ipſis, quidquid numeris eſt omnibus abſolutum. Cum igitur *Laotanus* ingenio eſſet atque indole ſupra vulgarem modum excellenti; tanquam natura laboraſſet tot annis in eo perficiendo, hunc numerum excogitavere.

XXII. Imp. KIENUS.

Imperavit annis XIV.

Cyclo 36. anno 13 ante Chriſtum 585.

K*Ienus Tingi* filius imperatoriam dignitatem ac decus utcunque ſuſtinuit. Sed antequam progrediar longius, monere viſum eſt, quæ hactenus de Sinico imperio dicta ſunt, non ita eſſe accipienda, quaſi univerſam Sinam illis temporibus, ut nunc, complecteretur. Vix enim in modicam præſentis magnitudinis partem tunc patebat. Quemadmodum enim primi Sinarum ab occaſu profecti, provinciam *Xenſi*, qua maxime vergit ad occidentem, habitare cœperunt; ita variarum familiarum capita paulatim novas inde ſedes quæſivere. Nam poſt provinciam *Xenſi* proxime *Hanan, Peking, Xantung* coli cœptæ; quæ provinciæ

ciæ jam inde conſtituto in Sinis imperio, ab uno omnes regebantur. Forma imperii legitimi erat, omnibus provinciis, quæ magnum *Kiang* fluvium, Boream verſus accolunt, unum Imperatorem agnoſcentibus, ejuſque virtuti atque imperio ſeſe ultro ſubjicientibus. Sub *Yo* vero omnium etiam, quæ ad Auſtrum jacent, notitia erat. Ille enim ſingularum geographica deſcriptione facta, quibus ſtellis eſſent plurimæ ſubjectæ, annotavit. Nondum tamen populi admodum frequentes erant, nec Sinico imperio parebant. Poſtea vero quam Imperatores ſæpe plures ſuſcepere filios; excepto illo, cui tradebatur imperium, reliqui vel reguli creabantur, vel ipſi novas terras quærentes, Auſtrales oras coluere, deductis ſubinde coloniis. Sic nova regna conſtituta, ſic gentes regnantium virtute, humanarum artium inſtitutione, agricultura præcipue, atque id genus aliis ad obedientiam mitigatæ. Hinc Sina paulatim univerſa, ut nunc longe lateque habitari cœpta, demum in unum imperii corpus formamque coaluit, ut deinceps docebimus.

Sub hoc igitur imperatore fit prima mentio regni U, cujus parens *Taipeius*; de quo infra non pauca. Situm hoc regnum, qua *Kiang* flumen oritur, ubi nunc *Suchen* & *Xanking* urbes, ingentes illos tractus, ad mare uſque ortum verſus è Iaponiæ regione porrectos complectebatur. Fit autem hoc loco de eo mentio, quod *Kieno* rerum potiente, *Taipeius* juncta cum *Ci* rege amicitia, communibus armis in *Zu* regem iverit, imperio imminentem. His turbis initium inconſulta libido dedit. Id porro proceſſit in hunc modum.

Erat in villa *Ching* dicta *Zu* regno attributa nobiliſſima puella, ex *Hia* familia oriunda, Imperatorum ſanguis, ſpecie ſingulari. Hanc *Zu* rex conjugem optabat. Sed *Uuchinius* præfectus interceſſit, negans id more fieri, quo vetantur Sinæ uxorem ejuſdem cognominis accipere, tametſi nulla ſe cognatione contingant. Haud multo poſt præfecto cuidam eandem in uxorem petenti, objecto neſcio quo impedimento, matrimonium iſtud etiam idem *Uuchinius* *Puella belli occaſio.*

 diſtur-

diſturbavit. Qui ſubinde ad *Ciinum* regem legatus, pacis cum eo confirmandæ cauſa, cum ei per *Ching* villam eſſet iter, viſa puella, ſubito in ejus amorem exardeſcens concubinam duxit. Hoc audito Præfectus ille, cujus votis U*uchinius* offecerat, de fraude monuit regem ſuum, & apud furentem repulſæ dolore, tantum valuit, ut ejus juſſu funditus U*uchinii* familia deleretur. Ejuſque rei perfacilis erat molitio; quod iſta familia ſedem habebat in terris, in quas ipſe cum poteſtate præfecti tenebat imperium. Id ubi nunciatum eſt U*uchinio*, vindicta ſtimulante, non jam *Ciinum* regem ad pacem, ſed ad bellum contra *Zuum* continuandum hortatur, ad hoc ſuam etiam & amicorum operam pollicitus. Effecturum quoque ſe, ut U rex inſuper contra *Zuum* bellum ſumat. Hiſce promiſſis lætus *Ciin* rex, eum ad U regem cum muneribus mittit, ejus amicitiam, ſociaque arma contra *Zuum* petiturum. Et ex voto ceſſit legatio; quæcunque volebat obtinuit omnia U*uchinius*. Qui U*um* armorum ac præcipue curruum uſu minus peritum, per idoneos homines militarem diſciplinam ita docuit, ut in totum inde regnum didita ſtrenuos bello multos protulerit. Communibus itaque armis *Ciin* & U, *Zuum* aggreſſi, variis prœliis afflixere, donec coactus eſt pacem petere. Quæ quidem ita convenit, ut parte ditionis amiſſa *Zuus*, omni præterea imperii capiundi ſpe, quod maxime his temporibus ſpectabat, excideret.

XXIII. Imp. LINGUS.

Imperavit annis XXVII.

Cyclo 19. anno 27. ante Christum 571. Barbatus infans.

LIngus Kieni filius cæſarie barbaque promiſſa in lucem editus eſſe fertur; ſpiritalis ſive intelligens ex merito dictus. Etſi enim eo imperante multa inter reges bella exarſerint, remque publicam variè miſcuerint; virtute tamen ac prudentia ita imperii ſtatum compoſuit, ut nihil de imperatoria majeſtate, nihil de provinciis decederet.

Amica fratrum pugna, uter accipiat regnum.

Anno hujus Imperatoris undecimo mortuus eſt rex U *Xeuncungius*, cui *Chuſanus* ejus filius invitus atque

coactus

coactus ſucceſſit. Quippe ſceptrum omni contentione recuſavit, cupiens illud in *Lichaum* fratrem natu minorem tranſmovere. Sed hoc ille natura ſibi non debitum cauſatus eadem conſtantia rejecit, qua offerebatur raro ſtupendoque potentiæ contemtu, quæ pleriſque per ignes ferrumque appetitur. Quid inde factum? ô certamen Chriſtianis dignum! *Chuſanus* fratrem pervicaciter faſtidientem regnum, per vim in regiam introducit, & regiæ veſtis inſignibus adornatum regem ſalutat. Sed *Lichaus* & regno & patria deſerta fugiens in agris delituit & ruſticatu, plus aratro gaudens, quam ſceptro. *Chuſanus* ergo, poſtquam nulla tergiverſandi amplius patebat via, in ſubditorum denique poteſtate fuit, prorſus invitum ac nolentem quaſi jure ſuo regnare jubentium. Vt neſciam in ſceptriſne ſpretis, an ita captis major inſit gloria.

Vigeſimo primo quam *Lingus* imperavit, anno, qui ante vulgarem Chriſti epocham erat quingenteſimus quinquageſimus primus, natus traditur inprovincia, cui *Xangtung* nomen, magnus ille Sinarum Philoſophus, *Confutius*, nunquam à ſuis ſatis laudatus; inſtaurator & explicator literatorum ſectæ, quæ una de tribus eſt apud Sinas nobilior. Sed de hoc ejuſque doctrina multa dicemus infra. *Confutius natus, Sinarum Plato.*

Quod autem ſupra regnum *Ci* à fratribus turbatum diximus, ii omnes variis bellis ac bellorum inclinationibus interiere: in quibus nonnulli è præfecturis nullius favore fulti, ad regnum prodierant, varia & inconſtante fortuna. Vnum tamen excipio è *Ci* regis ſtirpe, ad quem ſub initia hujus Imperatoris regnum quidem rediit, ſed imminutum, multiſque partibus labefactatum. Vigeſimo autem ejus anno *Choangus* regnabat. Is nondum penitus extincta perduellium audacia, ab eiſdem interiit, miniſtro cædis *Ciocho* illius Præfecto, regnum occupante. Hiſtoricùm regium quod illius proditiones in annales retulerat, necari juſſit; eandemque ob cauſam duo illius fratres morte multati. Optabat perduellis memoriam ſui facinoris poſterorum ſubtrahi notitiæ; ſed contra accidit. Non enim defuere, qui eodem tempore non proditionis modo, *Hiſtoricus ob veritatem necatus.*

 verum

verum etiam tyrannidis ipſius hiſtoriam contexerent. Hinc in ſcriptorum cædibus inanem operam ſumere ſe videns, imo crimen ſuum augere; illos perſequi deſiit.

XXIV. Imp. KINGUS.

Imperavit annis xxv.

Cyclo 36. anno 54 ante Chriſtum 544.

Kingo Lingi filio imperante U rex Auſtralis, cum optaret penitus ſubjicere ſe imperio Sinico, ejuſque leges ac gubernandi rationem cognitam habere; in *Xantung* ad *Lu* regem legatos mittit, qui ſtuderent inibi familiæ *Cheva* muſicam pernoſcere. Nomine muſicæ, quæ penes reges & familias imperatrices eſſe dicitur, intelligunt Sinæ gubernandi leges, ac modum, qui tum bene ſe habet, cum omnia, velut in bona muſica, inter ſe congruunt; ſed & ipſos modulos, quos coram rege decantare ſoliti, muſicæ vocabulo deſignant. Illis enim leges & ſtatuta continebantur, ut vel inter cantandum reges, quæ ſui muneris, addiſcerent. Nam quia non facile ſtudiis ac labori ſe dant; à Sinis ita docebantur, ut etiam abhorrentes eos delectaret diſcere, quo pacto ſuos cives gubernare deberent. Et ſane nihil magis in rebus humanis optandum, quam bona ſubditorum gubernatio; propter quam ſolam reges ſunt, vel eſſe debent. Cauſa vero miſſæ legationis ad *Luum* potius, quam ad alios; erat, quia nuſquam ſub id tempus reſpublica diligentius, ſeveriuſque gerebatur; tum quod erat è familia *Chea* oriundus, illiuſque ſtatuta habebat, & una cum ſubditis ſuis exſequebatur. Ipſum Imperatorem convenire non eſt è re viſum, & remiſſius agentem in imperio, & ne jam tum abire ſub jugum videretur.

Muſica nomine leges appellata.

Anno imperii ſecundo *Ching* regulus, qui provinciæ *Xanſi* ex parte præerat, videns bellis ſuperioribus diſciplinam lapſam eſſe; ad eam reſtituendam *Sunkiaum* Præfectum, virum juſtiſſimum ſimul ac prudentiſſimum ſuæ ditioni præpoſuit, qui rem ſumma fide, conſilioque pari adminiſtrans, omnium primo

in

in palatio, reformatis & correctis ipſius regis ac totius aulæ moribus, cenſuram agere cœpit. Tum ad externa verſus, vitia uſu ipſo, ut fit, ſemper longius procedentia legibus coërcuit, antiqua Imperatorum optimorum ſtatuta docuit, in eorumque obſervantiam omni ſtudio incubuit. Deinde rem agrariam inſtaurans, agros, campoſque tanta æquitate, tanta prudentia diviſit inter cives, ut nec divites conquererentur de acciſis, & pauperes de attributis bonis gauderent, omnes ex æquo diribitorem ſublatis ac comploſis manibus effuſiſſime laudarent. Vt autem noſcantur invectæ leges de agrorum diviſione, viſum eſt eas hoc loco ponere. Quanquam non à *Sunkiao* inventæ, ſed jam olim apud bonos Imperatores in uſu fuere. Sunt autem iſtæ.

Ex agris nona pars in regium tributum cedito. Præfecti inopia cogente ſubditorum bonis inſidientur, certos eorumque dignitati pares reditus habento. Piſcatio, etiam in lacunis, permiſſa omnibus eſto. Filius aut uxor, patris aut mariti delictum ne luito. Sed regum præfectorumque pietas eminebat maxime adverſus quatuor hominum ex omnibus miſerrimorum genera; viduos, viduas, ſenes abſque liberis, pupillos. Hi enim tales omnium habentur miſerrimi; quod etiam carmine celebratur hujuſmodi. *Si bonorum regum pietas erga divites, quanto magis erga hoſce miſeros eſt adhibenda?* Erat autem agrorum talis diviſio, ut omnibus agri portio æqualis obtingeret, nec una familia plus haberet altera. Agri omnes dividebantur in portiones, ſive quadrata majora; hæc vero in novem minora, quæ ſingula ſingulis colenda cederent; medium autem quadratum regium erat, quod in regium tributum ab octo agrorum dominis ſimul colebatur. Octo quadrata, particularia vocabantur; medium vero commune ſeu tributi, quo inculto ſua colere nemini fas erat.

Leges quædam Sinicæ.

Anno Imperatoris decimo tertio *Confutius* ætatis decimum nonum attigerat, cum in regno quod *Sum* dictum, ubi pater illius præfecturam obtinebat, uxorem ducit. Ex ea primo anno filium ſuſcepit; una illa contentus, & nefas credens, more gentis concubinas ſuperinducere. Quin & hanc poſtmodum neſcio qua de

cauſa

cauſa repudiavit, vitam vivens cælibem, procul alia uxore. Quod eum feciſſe dicunt ideo Sinę, quo liberius poſſet ac longius proferre Philoſophiam ſuam, Sinas obeundo, nec uxore nec liberis eum domi retinentibus.

Anno vigeſimo tertio cum jam penitus percepiſſet Philiſophiam Sinicam; audita *Lantanii* Philoſophi apud Imperatorem commorantis fama, ad eum acceſſit, & de ritibus ac legibus diſputantem audivit. Ritus apud Sinas ſunt duplicis generis; quorum quinque præcipui felicitas, bellum, hoſpitalitas, domus ſive familia, in quibus quomodo ſe quiſque gerere debeat, ne in tranſverſum agatur, docent. Minores autem ritus ſunt ſex, adoleſcentia, matrimonium, ſepultura, ſenum & doctorum hominum veneratio, amicorumque nos viſitantium tractatio. De quibus omnibus in Philoſophia Sinica optima præcepta & documenta exſtant ad mores pertinentia.

Ritus Sinarum duplicis generis.

Notat hiſtoricus Sinenſis, anno hujus Imperatoris vigeſimo natum *Yenhoeium* Confutii diſcipulum, amorem ejus atque delicium, ob inſignem morum elegantiam, intelligentiamque Philoſophiæ ſuæ ſingularem. Tria millia diſcipulorum habuiſſe ſcribunt; ex his ſeptuaginta duos exquiſitiſſimæ doctrinæ; duodecim vero lectiſſimos Philoſophos, id eſt omnibus doctrinis inſtructiſſimos, inter quos familiam ducebat *Yenhoeius*, ab ea re maxime atque ante alios omnes dilectus Confutio.

Confutii diſcipuli quot?

Interim *Kienus* regis *Zu* filius, regnandi libidine raptus, ac more impatiens, ſolicitatis civium animis inſurgit in patrem. Hic ut filii cederet furori, deſerto regno ad *Sum* regem confugit. *Kienus* ubi patrem evaſiſſe videt, ira in fidiſſimos ei Præfectos quoſque diverſa, necavit omnes. In iis etiam *Colaum*, extincta cum eo familia univerſa. *Nyuxeus* vocabatur, è cujus filiis unus *Guyuenus* nomine, quæſitus etiam ad mortem à *Kieo*, fuga ſalutem apud U regem invenit; orſus ingentem inibi tragœdiam, ut infra videbimus.

Filis in patrem rebellis.

Biennio poſt Imperatori *Menguenus* filius ſubrogatur. Sed ejus imperium vix menſem tenuit; nato tamen

tamen interim in ſucceſſionem filio. Is in cunis etiamnum jacens ingenti controverſiæ atque adeo belli civilis materies fuit. *Caius* enim *Mengueni* frater in provincia tunc agens à regionum Præfectis Imperator eligitur, immaturam & incertam ætatem cauſantibus. At qui erant in regia, infantem deſtinant imperio, deſignatis, qui dum adoleſceret princeps, illud tutelæ nomine gubernarent. Sed cum neutra pars alteri cederet, ad arma ventum. Vrbs regia, vi atque impreſſione capta, *Caio* viam ad ſolium ſtravit; *Kingo* etiam demortui fratris nomine, appellato. Quod etſi ſuperiori videtur eſſe geminum, apud Sinas tamen longe diverſus eſt character, longe diverſa ſignificatio.

XXV. IMP. KINGUS.

Imperavit annis XLIV.

OMiſſo igitur *Mengueno*, quod uno tantum menſe regnavit, *Kingus* vigeſimus ſextus occupatum armis imperium, multis annis ſatis pacatum tenuit. *Cyclo* 37. *anno* 19. *ante Chriſtum* 519.

Quod paulo ſupra cœpi de *Guyueno* ad U regem profugiente dicere, id eſt hujuſmodi. Habuit in fuga obviam *Paoſium*, quo utebatur intimè; à quo amice, quorſum tenderet, interrogatus, reſpondit. *Iter, aut fuga verius ad* U *regem eſt mihi, tyrannum, id eſt* Zu *regem fugienti Contra hunc illius arma ſolicitabo, & expulſi regis & occiſi patris familiæque meæ, funditus extinctæ, pœnas regni* Zu *totius everſione expetiturus.* Cui Paoſius, *Tu quidem regnum* Zu *evertes; at ego faciam, ut illud non multo poſt ſuo regi reſtituatur. Nec enim hactenus, opinor, amicitiæ lex procedit, ut præcipitis vindictæ impetum probare debeam, cui omnia ſuo rege regnoque ſunt merito poſteriora.* *Amicus uſque ad aras.*

Guyuenus poſtquam ad U*um* pervenit, facile traduxit in ſuam ſententiam, regno *Zu* jam ante offenſum & nunc inferendi belli occaſione gaudentem. Igitur promiſit *Guyuenus* ſuam & amicorum operam adhuc in regno *Zu* morantium, nunc oblatum illius regni obtinendi tempus eſſe affirmans, quando maxima

maxima illius pars *Pingo* regi indignaretur ob ejecti patris crimen; & tantum occaſionem illum ejiciendi opperiri. Quod certo futurum, ſi U potentiſſimi regis arma fulgentia tantum oculis contingerent. His motus U rex militum præfecturam ei mandat; ac ſimul ut ſpecie regis *Zu* reſtituendi ſibi regnum occupet.

Inter hæc *Pingus* moritur, brevi tyrannidis uſu; cui tamen *Chaus* ejus filius ſucceſſit è ſuffragiis. Hunc ergo bello devictum poſtquam ejecit è regno; *Pingi* regis ſepulchrum aperiri jubet, extractumque corpus trecentis excipi verberibus, ut vel ſic patris ac familiæ excidium ulciſceretur; in mortuum non minus impius ac perduellis, quam in vivum regem, & ſuum. Cetera fortis & animoſus, magnoque vir conſilio, ut memorabitur ſuo loco.

Cadaver cæſum.

Paozius, ubi regnum *Zu* perturbatum undique regeſque pulſos accepit; ad *Cin* regem contendit, rogat, ut *Zuo* ferat ſuppetias, antequam totum ab *Uo* regnum occupetur. Id ex ipſius quoque re maxime futurum, ſi obſtaret U*i* regis potentiæ magis magiſque ſurgenti. Non dubitare ſe, quin exinde, tot terris potitus, ad ſubigendum imperium univerſum ſit animum vireſque converſurus. Sed cum *Cinus* primo reſpueret conſilium; *Paoſius*, qua erat in regem fide, aliquot dies intra palatium, neque capto interea cibo nec potu, ſe continuit, continuo regni vicem deplorans, pietatemque oſtentans in regem. Flexit animum *Cini* tanta conſtantia & fides; atque ad *Zuum* reſtituendum, expellendumque U*um*, tandem exercitum, cui *Paoſius* præerat, ſummiſit. Ita duo quondam amiciſſimi, *Paoſius* & *Guyuenus*, manus conſeruere, donec tandem à meliore cauſa, quam *Paoſius* ſequebatur, ſtetit victoria; qui pulſis vi copiis *Chaum* ab exilio revocatum, ita ut prædixerat, in regnum reſtituit.

Confutii magiſterium & labores.

Anno hujus Imperatoris decimo nono *Confutius* in natali ſolo regni *Lu* magiſter factus, publicum illud munus tanta cura diligentiaque geſſit, ut regni mores brevi commutarit in melius. Plurimos abuſus & hominum ſeſe mutuo fraudantium artes, præcipue vero merca-

mercatorum ſuſtulit. Pondera ac menſuras æquales fecit. Alendi ſepeliendique parentum obſequium docuit. Maribus perſuaſit, ut animi candorem, fidelitatem in omnibus, eximiaſque virtutes alias, feminis autem, ut ſimplicitatem, placidos mores, & caſtitatem ſectarentur. In viâ reperta niſi, qui ea amiſiſſet, nemo tollebat. Quibus aliiſque rebus effecit, ut totum regnum nonniſi familia una, concors & mutuis obſequiis intenta videretur. Eoſdemque mores exemplo ſuo in regna vicina quædam induxit; anno Imperatoris vigeſimo multis meritis ad Colai regii dignitatem protractus.

Sub hæc tempora *Chingus Ci* regni Præfectus, occiſo rege, regnum occupavit. *Confutius* factum non ferens, à *Lu* rege petiit, ut liceret perduellem punire, ſecuturis exemplum: ſimul bellum moliebatur. At rege ſalutare conſilium aſpernante; quia reliquis Præfectis diſplicuerat, dixiſſe *Confutium* memorant. *Ego muneri meo non defui*; Ci *rex audire me noluit, culpæ proin', quantacunque in hac lenitate ineſt, procul exſortem.*

Ceterum *Ci* rex modis omnibus amicitiam *Lu* regis ambiebat. Nam & illius vires ipſi formidoloſæ, & ſuorum fides ſuſpecta erat. Quippe tot jam bella pertæſi ſeceſſionem meditabantur; *Lu* regno cupientes ſe ſubjicere; in quo regimen perquam moderatum, & ſecura tranquillitas his temporibus maxime vigebat. Hujus igitur regis ut ſervaret amicitiam, ac ſimul virtutem infringeret; occupatas olim à *Ci* regibus illius regiones ultro reſtituit. Pacem præterea petens, ſubornatam cantatricem, eximia forma puellam mittit muneris loco, quæ regem amore dementatum à virtute averteret. Raro enim virtus & Venus ſociantur. Hîc omnem movere lapidem inſtitit *Confutius*, ne rex puellam admitteret. Sed vicit virtutem libido; eaque in concubinam accepta, paulatim amoribus indulgens, mox puellæ artibus longius provectus, denique palam cupiditates ſolvit. Tum vero regni curam ponere, tum ſubditorum cauſas negligere, tum Præfectorum admonitiones inſuper habere; plus uni mulierculæ obſequens, quam ceteris omnibus. *Confutius* indignitate

Puella exitiale donum.

rei

rei motus, magiſtratu relicto, diſceſſit è regno; indecorum ſibi ducens, libidinoſo regi ſervire; ne, cum res male procederent, imputaretur ſibi, cum luculenta jactura exiſtimationis ſuæ, quam ipſi ſummam ſummi Philoſophi nomen fecerat.

Confutii philoſophia contemta.

Scires Philoſophos eo tempore viles eſſe. *Confutius* quidem variis regibus oſtentavit ſeque ſuamque philoſophiam, exploraturus, num eorum aliquis vellet adorare decreta ſua. At miſer, unde plauſum prenſabat, probrum tulit; dictus ab illius ſeculi hominibus per ludibrium errabundus canis, qui neſcit domum ſuam. Inciderat in triſtia tempora, queis omnia bello ardebant, regibus, qui ab Imperatore deſciverant, in armis jus ſuum qualecunque quærentibus. Hinc nullus philoſophicæ quietis amor; hinc faſtidium *Confutio*, cum ſe operam inibi perdere videret, eam ad diſcipulos transferenti, ſcribentique libros, queis dogmata ſua complexus, poſteritati nobilem ſe clarumque fecit.

Nec ſolus *Confutius* à regibus & palatiis demigravit: exemplum ejus alii multi ea ætate Philoſophi ſecuti ſunt. Quorum non pauci in agris & montibus ruſticationis cauſa latebant; alii etiam ſe dementes ſimulabant, ne improbis regibus ſervire cogerentur, & inde male audirent. Sed ejus rei unum aut alterum exemplum apponere viſum eſt.

Simulata ſtultitia aulæ odio.

Accidit, ut, cum regnum *Zu* curru vectus ingrederetur *Confutius*; quidam *Sieyus* nomine ab omnibus pro ſtulto habitus, illius currum tranſiens ita caneret. *O Phœnix! ô Phœnix! ô quantum nunc eſt deformata virtus! reprehendi non poſſunt, quæ adhuc egiſti; vide, ut in poſterum quoque præclare agas omnia. Exi ab aula, exi. Qui magnos quærunt honores in aula, magna quærunt pericula.* Erat hic unus è Philoſophis malos reges fugiens, cum videret eos in gubernando præcepta philoſophiæ negligere. Cogitabat his dictis *Confutium* in ſuam ſectam trahere: ſed, cum deſcendiſſet è curru, *Sieyus* optantem cum eo colloqui, ocyus deſeruit.

Paulo poſt in duos ruſticos, prope amnem terram colentes incidit; alteri *Changcius*, alteri *Kienius* erat nomen.

erat nomen. *Confutius* ignarus, quà vado tranſire poſſet; *Zuluum* unum è diſcipulis, ut de tranſitu percontaretur, miſit. *Changcius* viciſſim, ecquis curru veheretur, interrogans, ubi cognovit eſſe *Confutium*; *non eſt ignotum*, ait Confutio, *qua ſibi tranſeundum.* Innuens his verbis, ut omiſſa jam philoſophia publica, lateret in occulto. Quod Sinica phraſi dictum emphaſim habet majorem, quam latine queat explicari. Tum *Zuluus* ad *Kienium* verſus, eodem modo de tranſitu amnis interrogat. Ille nomen à *Zuluo* ſciſcitatus, *Orbis totus*, inquit, *in praceps abit; quis enim retinebit, aut corriget? tu vero quando Philoſopho das operam, homines perditos quarenti; potius nos ſequere, qui & homines & pravos ſeculi mores fugimus.* His dictis ſemina terræ mandare perrexit. De quibus *Zuluo* ſe admonenti *Confutius*, *Homo ſum*, inquit, *hominum conſortio carere non poſſum, & me ſociare cum beſtiis. Interim quantum in me erit faciam obnixe, ut eos ad virtutem alliciam. In hac poſita ſunt omnia: quam ſi amplecteretur orbis, ſi bonas leges atque correctionem admitteret, nec Philoſophorum aliorum indigeret, nec mea philoſophia inſtitutis.*

Iiſdem diebus *Zuluus Confutium* ſubſequebatur; ſed lentius, quam ut aſſequeretur. Progredienti venit obviam ſenex, caniſtrum ac ſcipionem ferens. Interrogatus, num viderit *Confutium*; *Vos vero, qui* Confutium *auditis*, inquit, *inertiſſima ſegnitia, ac nullius laboris, etiam frugum quas conſumitis, nomen ignoratis, ſimiles magiſtro diſcipuli.* Cui Zuluus, *Parcius iſta, ſenex, ac magis ſobrie: ſi non ſint Philoſophi, doctique homines, actum eſt de juſtitia, actum de omni virtute; regnorum ac reipublica recta gubernatio interiit. Itane vero?* Reſpondet ſenex; *Vos adeo reipublica neceſſarii? Quid eſt ergo, dic ſodes, quod vos primi publicam pacem ignava fuga proditis? & non potius Regum ac Præfectorum diſcordes animos jungitis? Hic, hic eſte Philoſophi; ſine quibus ſcilicet juſtitia, virtus, & ipſa denique reſpublica ſtare non poteſt. At aliud eſt, quod vos in fugam conjecit. Infamiam odiſtis, euge! philoſophice! at enimvero commoda veſtra plus amatis. Qui profugiunt, cum debent, ac poſſunt republicam prolapſam*

Objurgatio Philoſophorum.

reſtituere, infames ſunt, ac deſinunt eſſe boni, ſi fuere. Si mali tantum apud reges manſerint, quomodo rectos in regnis mores ſperabimus? His ſimilia poſſem afferre multa; ſed hæc ſufficiant ad notandam illorum temporum calamitatem, queis antiqua Sinarum ſimplicitas, & juſti regiminis amor penitus refrixerat. Hinc reges qui ab Imperatoribus defecerant, nihil niſi contentiones ac bella machinabantur. Quibus malis, cum remedium non invenirent Philoſophi, eorum impenſe multi, ſimul homines ac regna fugiebant, ſtatus melioris deſperatione.

Anno Imperatoris quarto & vigeſimo magnum & anceps bellum inter U & *Yue* reges exarſit. *Yue Chekiang* provinciam, qua reſpicit ad Auſtrum, obtinebat. Duravit autem hoc bellum, donec U regnum funditus exſcinderetur, etſi variâ ſæpe fortunâ pugnatum fuit. *Holius* U rex primo ſtatim prœlio victus, occiſuſque *Fuchao* filio bellum perquam iniquum reliquit; petitam tamen ab *Yue* pacem, poſtquam ditionis partem amiſerat, certis conditionibus impetranti. Verum occiſi patris injuria perpetuo eum ulcerabat; imo jurejurando ſe obſtrinxit eam ulciſcendi. Quare homini cuidam in palatio id muneris dedit, ut, quotieſcunque ſe videret, toties exclamaret. *Num oblitus es, ô rex, patrem tuum ab* Yue *necatum?* Cui rex, *Quo pacto tantum nefas in patrem meum perpetrare auſim, ut hoc obliviſcar?* Vindictæ igitur triennio imminens, ducibus interea & ſelectiſſimo milite collectis, miſſo cum ſumma poteſtate *Guyueno*, *Yue* regi bellum intulit. Apud *Suchen* civitatem ad arma ventum. Ingens commiſſa pugna; donec tandem *Yue* cedere coactus, maxima exercitus parte amiſſa fuga ſalutem quæſivit. *Guyuenus* eodem impetu & victoriam & fugientes ſtrenue perſecutus, magnum *Yue* regni tractum occupavit. *Kiucienum Yue* regem reliquias fugati exercitus colligentem *Guyueni* prævertit feſtinatio. Quare ſe viribus imparem videns, *Chungum* hominem facundum legatum mittit ad *Fuchoum*, præteritorum veniam petiturum, ac pacem; quam & æquis conditionibus impetravit; multum licet contra nitente *Guyueno*.

Vltionis inculcata memoria.

Guyueno. Huic enim placuerat victoriam proſequi & uſquequaque debellare *Yue* regnum. Itaque ſententiam ſuam exponit regi epiſtola hujuſmodi. *Si rex volebat eſſe pius, & clementiam in hoſtes exercere; occiſi patris vindicta erat poſt bellum ponenda. Nulla enim res eſt, quæ magis virtutem augeat & ornet, quam acceptæ injuriæ contemtus. Sin animus eſt omnino vindictam ſumere atque explere odium; cur in medio ſiſtis curſu? ad finem uſque procedendum, ut conquieſcat ira. Poſſe ac nolle obtinere hoſtile regnum; id enimvero eſt contra fatum ire, felicitatem odiſſe, indulgentiam Cœli negligere, inimicos augere. Vereor magnopere, ô rex, ne te tam lenti conſilii poſtea, ſed nequidquam, pœniteat.* His aliiſque rationibus *Guyuenus* regem ſuum ad perſequendum bellum hortabatur. Sed ille in mitiore ſententia perſeveravit. Quo cognito *Guyuenus* ut erat acer & perſpicax ingenio, regem præſagio territurus; *Quandoquidem ergo*, inquit, *me non audis, ô rex; ſcias velim non interceſſuros viginti annos, cum* Ye *rex teque ac tuo regno faciet, quod ei tu facere nunc nullo negotio potuiſſes.* In annum hujus Imperatoris quadrageſimum primum incidit mors *Confutii* philoſophi, poſtquam tres & ſeptuaginta vixit annos. De cujus dogmatis atque doctrina, quæ adhuc eſt apud Sinas in veneratione uſuque, pauca dicenda duxi. E prima primi libri ſententia totius philoſophiæ fundamentum eruitur. Ea ſic habet. *Magna, ſive magnorum virorum doctrina in eo poſita eſt, ut, cum quiſque ſeipſum perfecerit, alios quoque perficiat, ſic ut omnes unum, hoc eſt, ſummum bonum conſequantur. Sed ſuiipſius perfectio in eo conſiſtit, ut quiſque lumen naturale in ſe accendat clarumque reddat, ita, ut à lege naturæ præceptiſve à natura inſitis nunquam exerret. Quod quia ſine vera rerum cognitione ſcientiaque fieri non poteſt; inde philoſophiæ danda eſt opera, per quam, quæ agenda, quæque fugienda ſunt, ſcientiam habeamus. Hac ſcientia conſilia noſtra dirigimus; hac voluntatem, hoc eſt, utriuſque actiones perficimus, ut nihil ſentiamus, nihil velimus, niſi quod eſt rationi conſentaneum. Exinde corporis etiam exiſtit ſenſuumque perfectio & in omnibus externis actionibus apta ex*

Confutii doctrina.

virtute conſtitutio; quæ nunquam proventura eſt, ſi non è bona mente, velut è fœcunda terra, effloreſcit. Quia vero tria ponit ceteris magis præcipua, Cælum, hominem, terram; hinc triplicem quoque ſcientiam facit, cæleſtem, humanam, terreſtrem. In cælo terraque noſcenda ſcientia naturalis occupatur. Hinc Sinæ Philoſophi de ſpirituum bonorum ac malorum natura, de rerum principiis, de generatione & corruptione, de cælorum ſiderumque motibus, de quatuor temporum varietate, de agris eorumque ſitu, aptaque ad culturam diviſione, deque aliis multis multa diſputant. In homine autem inſtituendo tota eſt moralis ſcientia. Illi quà ſocietatis eſt appetens, aſſignant gradus quinque, de quibus agunt fuſiſſime. Primum patris & filii; alterum viri & uxoris; tertium regis & ſubditi; quartum amicorum, ubi tractant de amicitia; quintum denique fratrum faciunt. Hos quinque gradus vocant magnos, & cardines aliorum. Agunt dein' de parvis gradibus, qui ad viſitantes, tractandoſque hoſpites, morum item civilitatem atque modeſtiam, ac totius adeo corporis decentem compoſitionem pertinent. Horum autem graduum tria millia eſſe affirmant.

Triplex ſcientia.

Præterea tractant de tribus virtutibus præcipuis, prudentiâ, pietate, ac fortitudine. Ait autem *Confutius*, prudentia ritus omnes ſciri atque cognoſci; fortitudine exerceri atque expleri; pietate denique nos illis conjungi ac velut inſeri. Sed pietatis nomine non intelligunt Sinæ ſolum amorem in *Deum*, parenteſque ac ſeipſum; verum in omnes homines. Et hinc eſt, quod virtutem cordis eam definiant, & regulam amoris, qua de omnibus bene merendo, eos decenter tractemus. Multa inſuper eſt philoſophia Sinica in explicanda juſtitia, fidelitate, atque illa virtute, qua alterius animum metimur. Hinc frequens illud *Confutio* totidem fere verbis: *Ne facias ulli, quod pati nolis.* Et in hoc ſummam perfectionem conſtituit. Qua de vindicta diſſerit, inimicis benefaciendi ſtudium nec probat, nec improbat. Idque non aliqua animi ab heroica virtute abhorrentis mollitie; ſed ut appareret magis in modo amicos inimicoſque tractandi

Pietatis nomine quid Sinæ intelligant?

ctandi differentia, his nihil mali faciendo, illis multum boni. Addidit tamen, æquo animo ferendas injurias eſſe hactenus quidem, ut nulli faciam male, quia ab illo offenſus fuerim; ſed ut eodem modo ſim erga amicum atque inimicum affectus. Quod ego *Confutium* in eam partem dixiſſe autumo; ſi forte par eſſet contra reipublicæ aliaſve leges utriuſque crimen.

Deum verum agnoviſſe perquam eſt veriſimile. Nam eo tempore nec erant apud Sinas idola, nec eorum cultores; unum Cælum venerabantur; ipſe quoque rationem à Cælo nobis infuſam, quodque in Cælo eſt, eſſe ſine figura perfectiſſimum ac ſummum, aſſeruit. Adhæc à Cælo puniri malos, & ſe, ſi male ageret, ab eodem puniendum confitebatur. Nec probabiliter dici poteſt, materia conſtans Cælum intelligi voluiſſe; ſed eum, qui Cælum à ſe conditum ſedem ſibi legerit, ubi ſingulari atque auguſtiore modo fulgeret ejus majeſtas. Nemo enim Philoſophus admiſerit à Cælo aſpectabili naturam rationalem nobis infundi.

Multa alia eaque præclara ex *Confutii* libris afferre poſſem; ſed non ſunt hujus loci. Vnum tamen omittere non debeo quod mihi Philoſophus quidam Sinenſis, & ille Chriſtianus, ex ultima ſententia libri *Chuncieu* à *Confutio* ſcripti probavit magna mea voluptate atque admiratione; *Confutium*, prævidiſſe verbum carnem futurum, idque non dubia ſpe præcepiſſe, quin & annum in Cyclo Sinico, quo futurum eſſet, cognoviſſe. Id autem ex hac hiſtoria, quæ in eo, quem dixi, libro extremo refertur, ſic mihi oſtendit. Anno hujus Imperatoris trigeſimo nono, qui fuit Cycli trigeſimi ſeptimi quinquageſimus ſeptimus *Kengxin* dictus, forte *Lu* regis venatores extra portam urbis occidentalem, animal rarum *Kilin* nomine, ſed hoc ſolo notum apud Sinas, captum occiderant. Conſtanti fama celebrabatur, cum viſum eſſet animal ejuſce prodigii, ſucceſſurum magnæ ſanctitatis heroëm, ſummæ, quæ poſſet orbi contingere felicitatis nuncium. Id ergo ubi nunciatum eſt *Confutio*, ingenti ſuſpirio pectus concutiens, *Quis te adveniſſe* Kilin *dixit? quis te adveniſſe* Kilin *dixit?* ingeminavit.

Confutius Chriſtum futurum hominem prævidiſſe videtur.

vit. *Iamjam doctrina mea extremum ſpectat, jam finem habet, cum tu adveneris.* Hæc ubi dixit, averſo ad parietem vultu effuſiſſime flevit.

Kilin quale animal.

Notandum vero *Kilin* Sinis appellari placidiſſimum ac manſuetiſſimum animal, quod neminem lædat, nemini malum inferat, imo nec mortem offerentibus noceat. Hinc ille Chriſtianus affirmabat, geminum vocabulum, quo nobis Agnus *Dei* ſignificatur, per *Kilin* Sinice explicari poſſe. Nam Agni nomen Sinarum ſuboffendit aures, quod in eorum lingua nulla ſit Agnum inter & hœdum diſtinctio. Ex eo igitur, quod illi ipſi characteres anni, quo *Kilin* occiſus eſt, annique nomen *Xengxin*, cum eo, quo Servator noſter poſt annos quadringentos & ſeptuaginta quinque natus eſt, prorſus conſentiant; hinc iſtum annum *Confutio* cognitum eſſe conjiciebat. Quod autem fleverit, id animi gaudio abundantis, quo in adventu Sancti ſanctorum per *Kilin* ſignificati afficiebatur, impetum fuiſſe. Quod exinde nihil ſcripſerit, librumque de regum correctione affectum, nondum plane confectum hic finierit, & ſuam doctrinam ceſſare dixerit; ſignificabat adveniſſe verum legiſlatorem, qui bella, qui turbas omnes componeret, cui omnes Philoſophi ſectæque cederent. Quod denique *Kilin* occiſus, ex eo fortaſſe Servatoris necem conjeciſſe; præſertim cum occiſus ſit ad portam occidentalem, extra quam *Ieſus Chriſtus*, ſicut ovis ad immolandum ductus eſt, cruci pro ſalute generis humani affixus, immerita morte occubuit. Hæc mihi Sinenſis Philoſophus, ego lectori judicanda relinquo.

Magna Confutii exiſtimatio.

Quanti vero æſtimatus apud Sinas *Confutius*, quantæ authoritatis fuerint ejus libri; ex eo intelligas, quod aliquid eorum, quæ dixit, quæque ſcripſit, in dubium revocare, vel immutare ſit nefas. Illum ut abſolutiſſimum Philoſophum habent; illum totius imperii magiſtrum atque doctorem venerantur; illius libris tantum deferunt, ut duobus verbis, ipſe dixit, omnia è contrario diſputantium argumenta cedant. In ſingulis civitatibus magnificam illius honori exſtruunt Academiam; ſed unam duntaxat; intra mœnia. In

quo

quo ab Idolorum templis diſcernitur, quæ & plurima, & multis in locis ædificantur. Statuam illi non efformant, ſed ſolum nomen literis aureis exaratum Academiæ fronti ſuperimponunt; cui honores habentur, qui vivis magiſtris ſolent. Ad eam nec ſemper patet acceſſus, nec omnibus; literatorum eſt hæc prærogativa, nec niſi ſtatis diebus. Contra idolorum fana ſemper ſunt & cuilibet aperta. Vnde prona eſt conjectura, *Confutium* ab eis non coli numinis loco, ſed obſervantia, quantum ipſius virtus & eruditio meruiſſe viſæ, neve ipſi adverſus eum, ut unicum totius regni præceptorem ingrati eſſe videantur.

Honor Confutii poſthumus.

Principem familiæ *Confutianæ*, quæ adhuc floret, continuo reguli dignitas velut hereditario jure ſequitur, Imperatorum tamen beneficio. Præterea civitatis ejus, in qua natus eſt *Confutius*, ſummus Præfectus ex illius ſtirpe ſemper eſt arceſſendus. Denique omnes ipſius poſteri gaudent privilegiis magnis & ſingularibus, eo ſolum nomine, quod ſint oriundi è *Confutio*, maximique fiunt ab omnibus. At licet tot jam ſeculis, inclinante ſe ex alio in aliud fortuna, magna ſit rerum facta commutatio; iſtius tamen familiæ privilegia ſunt acciſa nunquam. Tanta eſt Sinis referendæ gratiæ cura erga illum, à quo doctrinæ atque philoſophiæ præcepta acceperunt majores ſui. Fatendum eſt quidem, Sinenſibus Philoſophis noſtros longe antecellere ſcientia, præſertim ea, quæ in ſolius cognitionis voluptate quieſcit; huic tamen uni major honos apud Sinas, major etiam privata utilitas provenit ab eruditione, quam fortaſſe apud nos literatis omnibus. Ex quo intelligitur, cum illius doctrina fuerit infinitis propemodum partibus inferior atque abjectior, quam iſtius ſeculi; Europæos tamen erga præceptores eſſe magis ingratos quam Sinas. Dicas fortaſſe hunc ſolum apud eos Philoſophum extitiſſe; unde non mirum tantis honoribus ornatum eſſe. Non eſt ita. Nam nec alii quamplurimi defuere, nec deſunt adhuc; nullus tamen unquam eo felicitatis proceſſit. Addam hoc loco brevem panegyricum paulo poſt mortem ejus à diſcipulo quodam ſcriptum, & ad

verbum, qua licuit, tranſlatum, ut ſtyli etiam Sinici energiam videamus. *Yenyuenius* ille fuit, qui cum de magiſtro ſuo loqueretur, ſuſpirans gemenſque dixit. *Quanto altius attollebamus oculos, tanto longius aberat Confutii virtus; quanto magis eam penetrabamus, tanto erat ſolidior atque impenetrabilior. Primo aſpectu æſtimantibus communis ac vicina videbatur; at repente longiſſime à noſtra diſtantem cognoſcebamus. Magiſter noſter pulchre atque ordine homines docebat; noſtram ſcientiam continuo minorem reddebat; compendiaria ritus omnes tradebat. Optabam ſæpe ab illius doctrina diſcedere, nec poteram; omnes ingenii nervos intendebam, ut aliqua intelligerem, aut optans longius progredi viam. Nemo enim pervenire ad Confutii virtutem poteſt, uti nec admota qualicunque ſcala cælum aſcendere.* Multa brevitatis gratia prætereo, ut ad noſtros Imperatores redeamus.

XXVI. Imp. YUENUS.

Imperavit annis VII.

Cyclo 38. anno 3 ante Christum 475.

YUenus acceptum à *Kingo* patre imperium ſanctiſſime adminiſtravit, & avitis legibus uſquequaque conſentaneè. Inſigni pietate, benignitateque in populum pari, à ſubditis juxta ac regulis amabatur. Hinc ex iſtis plerique omnes ultro ad obſequium rediere; præcipue qui Orientem verſus imperitabant. Vnde imperatoriam majeſtatem utcunque ſuo ſplendori reſtituit; & ſi diuturnius obtigiſſet imperium, ſpes erat, fore, ut jacentem rempublicam Sinicam denuo excitaret. Sed magna raro ſeneſcunt. E regulis omnibus, de quibus modo dictum, unus rex *Lu* refloreſcentis imperii fortunam infregit, renuens Imperatoris clientem ſe profiteri. Quare tanquam rebellem proſcripſit, inaudito in eum diem exemplo. Imperatoris cauſam non ſegniter adjuvit *Kius Lu* regis Præfectus, qui adverſus ſuum regem rebellis multis prœliis ac proditione tandem *Lu* regnum pene totum occupavit. Hic miſſis legatis ac muneribus petens ab Imperatore, ut, quod vi obtinuerat, jure poſſidere fas eſſet; id facile accepta fiducia impetravit. Neque hic Imperatoris

Prima reguli in Sinis proſcriptio.

ſtetit

ſtetit felicitas. Nam paulo poſt U & *Yue* regna fiduciariæ quoque poſſeſſionis eſſe cœperunt. Ea res acta in hunc modum.

Kiucienus Yue rex impetrata, ut diximus, ab U rege pace, ad reliquas ſibi terras juſte atque legitime regendas animum applicuit; in eo totus, ut afflictas bello vires recuperaret. Itaque veteranis militibus novos addere, contentaque & aſſidua diſciplina utroſque habens, ipſe armorum tractationi veluti gregarius aſſueſcere. Ita non paucos annos conſumſerat, cum affertur nuncius, *Guyuenum* ab U rege rei militari præfectum obiiſſe. Iamque rem ſuam eo loci eſſe videns, ut U regi bello par eſſet; collatis cum eo ſignis, amiſſas primo terras recuperat. Altero deinde conflictu iterum victor, ipſum regem fuga elapſum in urbe *Sucheu* obſidet. Hic U*us*, ubi ſe captum magis quam obſeſſum vidit eſſe, per legatum pacem petit. Nec abhorrebat ab ea *Kiucienus*; natura propenſus ad miſericordiam, & olim ab illo, cum in iiſdem eſſet anguſtiis, impetratæ pacis memor. At conditionibus *Fanlius* obſtitit egregius bello dux, & armorum felicitatem proſequendam ratus, *Paucis abhinc annis*, inquit, *favente Cælo tuum regnum erat in* U *regis poteſtate, ſi voluiſſet eſſe felix. Nunc, ubi bonitatem illius neglexit, in has anguſtias incluſus eſt. Cave ſis, ne & tu Cælum offendas; quod dat, accipe, regnumque de manibus elabi ne ſine:* Mutatus his & aliis rationibus rex, & abjecto pacis conſilio, arctiori obſidione U*um* premit. Qui proinde omni ſpe abſciſſa, cum effugium non videret ne vivus in hoſtium veniret manus, mortem voluntariam ſibi concivit. Ergo *Kiucienus* occupata urbe, *Fanlio* ad totum regnum debellandum, & in ſuam poteſtatem redigendum ſummæ rerum illic præpoſito, ipſe *Kiang* Cæruleumque flumen trajectus, ad Imperatorem videndum tiumphantis ſpecie contendit. Apud *Siucheu* civitatem *Ci* & *Cyn* reges obviam ei procedebant; à quibus exceptus Imperatoris nomine, ut in ejus fidem ſe clientelamque conferret, invitabatur. Nec ille cunctatus, ſub imperio *Yeuni* ſe obedienter fore promiſit. A quo benigne ſimul ac magnifice

acceptus, clariſque titulis & honorum inſignibus excultus ad ſuum regnum revertitur, leges Sinicas ſecum atque inſtituta deportans. Itaque *Kiucienus* primus fuit, qui ingentes illos terræ tractus, qua ſe *Chekiana* provincia diffundit, & *Nanking* Sinico Imperatori tributarios fecit.

Fortunæ faventis excellens fuga,

Interea rem ſtrenue gerit *Fanlius*, totam regionem occupando, &, qui erant ab *Ui* exercitu reliqui, ad internecionem cædendo. Verum nunquam fortior viſus, quam cum ſe vicit ipſum; quippe fortunam ſibi minime faventem ſuſpectans & exoſus, illam ſibi ludendam prius putavit, quam ab ea ipſe luderetur; exemplum vel in Chriſtiano, nedum in Ethnico prorſus obſtupeſcendum. Videbat ſe apud *Yue* regem fama ſupra modum, opibuſque creviſſe; reputanſque ſecum prudentiſſime, non poſſe ſe ſtare ſine caſu, collectis, quæ poterat, in regnum *Ci* fugam intendit. Ibi latere ſe poſſe rebatur, mutatoque nomine reliquam vitam privatum & in quiete tranſigere. Sed enim virtus ubique ſeipſam vel invita prodit. Agnitus enim à rege, atque in regiam invitatus, ſummam præfecturam, multum licet obluctans, ſumere coactus eſt; toto regno tantum ſibi hominem gratulante, uno ipſo in communi lætitia mœſtum ſilentium tenente. *Scio*, inquit, *fortunam nec diu nec uni pronam comitari. Id ego quoque malo meo experior, quem rerum omnium ipſiuſque patriæ faſtidientem, in exterum regnum contumaci favore proſequitur, jactans ad honores, quos ſi me intemerate amaret, eripere debebat. Nunc profecto triſtis aliquis me caſus manet, nimia felicitate laborantem, & in tanta famæ celebritate patentem invidiæ.* Has ob cauſas ordinatis rebus quam ſecreto potuit, capta denuo fuga, & adſcito alio nomine, in agro apud figulum delituit, ſecurus fortunæ, rotamque ipſius, in figuli rota bene ac ſapienter irridens.

quæ tamen fugientem inſequitur.

Iterum repudiata fortuna.

Ejus in alium ſævitiæ.

Non ita ſapuit *Chungus* ejuſdem *Yue* regis Præfectus, qui proximum à *Fanlio* dignitatis gradum tenebat; ille inquam, cujus conſilio ac prudentia victus *Yue* rex ab *Uo* pacem impetraverat. Nam poſtquam ad ſummam gloriam venerat, neſcio cujus criminis

minis reus, à rege juſſus eſt ſibi ipſi ferro jus dicere. Paruit, ambitioſa morte defunctus. Quippe Sinarum reges hoc habent in uſu, jam olim frequentatum, ut, cum aliquem Præfectum morti addicendum putant; honoris ergo tribuant ei, ut ſua ſibi manu vim afferat, ne cadat aliena: quod in probro exſtimatur. Mittunt igitur gladium vel funem aurea capſula ſigillo regio munita incluſum reo, cum mandato, ut ſuſpendat ſe, vel feriat; conteſtantes, id in honoris gratiæque ſingularis argumentum illi exhiberi. *Triſtis honor ultronea mortis.*

XXVII. Imp. CHINTINGUS.

Imperavit annis XXVII.

CHintingus à patre imperium, imperioque pene reſtitutam dignitatem per manus accepit; pulcherrimo cognomento caſtus Imperator dictus, quod mortuæ conjugis ſervata fide permanſerit in cœlibabatu. Mirum rarumque factum. Nam apud hanc gentem Magnates regeſque nullam libidinem reſpuunt; in tantis divitiis & honoribus unas voluptates ad beatitatis apicem ſibi deeſſe rati. Sunt enim utplurimum Athei, & quia poſt hanc vitam nullum judicem timent, omni ſcelere cooperti; unde nullus eis pudor ſanctus, nullus torus illibatus, nulla libido execrabilis; cujus exſtimulati furiis, ad eam explendam omnem lapidem movent. *Cyclo 38. anno 10. ante Chriſtum 468. Caſtus Imperator.*

Iiſdem annis regnum *Cyn* Præfectis in regem conſurgentibus prope funditus everſum eſt. A ſex authoribus orta primum rebellio, in tantas anguſtias conjecit regem, ut regno una cum anima tandem amiſſo, tota inſuper ejus familia cognatioque ſit extincta. Inde coorta inter ſex rebellionis duces de obtinendo toto regno contentio in bellum exarſit; quod vario eventu geſtum, totam fere *Xanſi* provinciam & *Peking* ex parte, qua occidenti adverſa, excidio dedit, duobus etiam perduellium omnino ſublatis è medio. Quatuor reliqui regionem inter ſe partiti, eam quiſque partem, in qua cum exercitu erant, tenuere. Hinc quatuor facti re- *Rebellio regiam familiam exſcindit.*

reges; primus *Chipeus*, ſecundus *Han*, tertius *Chao*, quartus *Quei*, de quibus multa in loco.

Fratres hoſtes.

Moritur interea Imperator, relictis filiis jam adultis tribus *Kiucieo*, *Xocieo*, *Queio*. Iſti non tam fratres, quam hoſtes fuere; cupidine dominandi alium adverſus alios armante. Nec aliter jurgia ſunt quam parricidiis ſopita. *Kiucieus* enim ætatis prærogativa primo electus, tertio poſt menſe à *Xocieo* trucidatus; hic imperium evadens, cum inauguraretur, *Sus* dictus, parricidii pœnas brevi dedit. Nam quinto tyrannidis menſe à *Queio* fratre victus bello, necatuſque, quantum facinus admiſiſſet in majorem natu debuit à minore diſcere; magna imperii parte hujus ſequente fortunam. Ita imperium fuſo duorum fratrum ſanguine devolutum eſt ad *Queium*, qui ubi ſceptra capeſſivit, appellatus eſt *Caus*, mihi trigeſimus familiæ Imperator, quod ab octavo & vigeſimo duo fratres interceſſerint.

XXX. IMP. CAUS.

Imperavit annis XV.

Cyclo 38. anno 38. ante Chriſtum 440.

CAus igitur occupato per parricidium imperio, ejus majeſtatem multum imminuit, regulis non paucis obſequium rumpentibus. Et eſt notatu dignum, quod Sinici ſcriptores referunt ſub hæc tempora Martem ad conſtellationem *Sin* dictam perveniſſe, quæ noſtro ſeculo à tertio gradu Sagittarii uſque ad gradum vigeſimum ac paulo amplius extenditur. Et quoniam in *Yui* Imperatoris diviſione terris, quas *Sung* rex habebat, dominabatur hæc conſtellatio, *Kingcungus* ibi terrarum tunc rex, quam qui maxime de tali conjuratione ſollicitus, aſtrologos conſulit, quidnam portenderet. Illi reſpondent vel Colao malum aliquod, vel toti populo calamitatem annumve ſterilem promitti. Tum rex ingemiſcens, *In meam perniciem*, inquit, *ſi quod imminet Colao, redundabit malum. Hic adjutor meus, hic monitor fuit: hoc fulcro innixa reſpublica adhuc ſtetit. Si vero populus calamitatem accipiet, illius ego quonam modo expers ero, cum*

Pietas regis in plebem.

pro-

probus rex fortunam ſubditorum ſuam exiſtimare debeat? ſi denique annonæ charitas impendet, quî ero auxilio fame tabeſcentibus? quî tuebor nomen regis, ſi meus nequeo dextram porrigere? Præclara & plena pietatis oratio; qua Aſtrologus audita, *Cœlum quidem*, ait, *altum eſt & longiſſime disjunctum à nobis; nihilo tamen ſecius audit humilia. Iſthac tua pietate, rex, profecto efficies, ut hæc tempeſtas in caput tuum promiſſa, moderante Cœlo vertat in melius.* Simul his Martis circulum obſervans, ubi tribus gradibus mutatum vidit, hoc regia pietate factum aſſeruit. Ita regem ab inani timore, à vanitate ſuum vaticinium liberavit.

Martis ſidus in gratiam regis retrocedit.

Paulo ante hæc tempora *Lingcungus* regni *Quei* rex mortua conjuge ad ſecundas nuptias proceſſit, ducta in matrimonium improbiſſimæ libidinis femina: de qua mihi tacendum arbitror, ne inhoneſta narratione caſtæ aures feriantur. *Queius* certe *Lincungi* è priore filius, turpitudinis impatiens, necem ei moliebatur. Illa contra novercali armata odio, falſis criminibus privignum apud regem arceſſere, atque eouſque urgere, ut profugere coactus ſit, *Cheio* parvo filio in regia relicto. Interea mortuo regi nepotem populus ſubſtituit; promtam bello materiam. Nam *Queius* à filio præreptum ſibi regnum indigne ferens, jus ſuum armata manu proſequi ſtatuit. Et faciebat ſpem certam victoriæ tum cauſa, tum multorum auxilia, quos inter & *Zuluus* olim *Confutii* diſcipulus erat. Ergo ingenti collecto exercitu regnum invadit. Occurrit illi armata manu filius; multiſque commiſſis prœliis tandem à filio pater vincitur, tanta clade affectus, ut ejus vix nuncius ſupereſſet. *Queio* dein etiam extincto, *Zuluus* deſperatis rebus, ſeipſum interfecit. Quod ei *Confutius* ſæpe prædixerat, violenta ſcilicet morte deceſſurum; & hujus rei capiebat omen ex illius audacia ingeniique violenti fervore.

Novercæ odia.

Bellum patri cum filio.

Aliter aliam novercam *Minzukienus* & ipſe *Confutii* diſcipulus ſibi demeruit. Obſequio promtus, odiumque novercale doctus etiam in amore flectere. Produnt hiſtorici Sinenſes eum admodum iniqua domi noverca uſum eſſe; cui de filiis ſuis unica erat

Amor novercæ tolerantiâ procuratus.

cura,

cura, de privigno nulla. Hunc pater, ſicut mos illorum temporum ferebat, ad currum, quo vehebatur, regendum admoverat. Forte accidit, ut hieme ob magnitudinem frigorum habenas tractare non poſſet; interrogatus cauſam à patre, ne ſe purgando novercam accuſaret, obticuit. Ille tamen advertit implicatum aptúmque tempori reſponſum. Reverſúſque domum, & uxoris filios concinnè veſtitos videns, repudium meditabatur. Et jam domo eam ejicere parabat; cum *Minzukienus* patrem ſagaci dicto interpellans, *Compeſce, pater, hunc impetum*, inquit. *Si enim hac ejecta tertiam duxeris; non unum tunc, ſed tres domi filios habebis pereuntes frigore.* Hac ratione non patris modo, verum etiam novercæ amorem ſibi conciliavit.

Argute ac moderate dictum.

Iiſdem temporibus regno *Ci* nova belli tempeſtas incubuit, multorum adverſus regem rebellione. Sæpe nec ſegniter regem inter ac perduelles pugnatum, donec tandem familia regia una cum rege deleta, intruſus eſt alienus. Inter perduelles eminebat integra familia *Tien* dicta, quam adfirmant authores innumerabili pene filiorum ac nepotum turba, nec minus divitiis pollentem, quin imo ipſo rege iſtis ſuperiorem fuiſſe. His animos hominum ſolicitare, petentibus alimenta & fruges, quantacunque menſura vellent, mutuas dare, ac ſine moleſta exactione recipere. Sic populi, præcipue vero egentium benevolentia ſibi obnoxia, in tantum crevit, ut omnes tam prolixe meritum de publico regem optarent. Ingens enim, etiam ad obtinenda regna, momentum eſt, benefeciſſe. Hinc audacia tumens animiſque hæc familia, in regem velut importunum inſurgit, necatque. Perduellionis autem ut à ſe dimoveret infamiam; regis occiſi filium faſtigio imponit, addito, qui Colai munere fungeretur, ejuſdem filio, quo ſpecioſius fallerent. Nam præcipuis præfecturis per filios ſuos ac nepotes occupatis, ipſa totum mox regnum invaſit, ſolo nomine regi relicto.

SINI-

SINICÆ HISTORIÆ LIBER QVINTVS.

XXXI. Imp. GUEILIEUS.

Imperavit annis XXIV.

QVi ſequuntur anni ferme trecenti, queîs imperium penes familiam *Cheuam* fuit, hiſtoricis Sinenſibus triſti appellatione *Anni Bellorum*, ſive Regulorum contentio inſigniuntur. Hi namque atrocius quam unquam alias inter ſe depugnavere; cum quiſque nullo æqui & iniqui diſcrimine ſibi palam imperium armis ambiret. Nulla fidei, nulla Imperatoris amplius habebatur ratio; cui præter nomen nihil erat relictum. Amiſſis enim paulatim provinciis, hæc familia funditus interiit; alia introducta: nova quoque multis in rebus forma reipubl. conſtituta eſt; ut videbimus. *Cyclo 38. anno 53. ante Chriſtum 425.* *Anni bellorum.*

Gueilieus ergo *Chai* filius poſtquam obtinuit imperium; novem illa vaſa ab *Yuo* Imperatore fuſa è cupro, arcana quadam vi contremuere: quod imperii collabaſcentis omen habitum. *Omen à vaſis novem trementibus.*

Sed *Chao* adhuc imperante res accidit hoc loco non prætereunda. *Kienzius* regulus jam ſenex, utrum è duobus filiis ſucceſſorem deſtinaret, ambiguus, utriuſque indolem inſpexit hoc experimento Binos libellos optimis præceptis refertos deſcribi juſſerat ejuſdem prorſus exempli. Singulis unum partitus mandavit, ut ſedulo volverent traderentque memoriæ. Lapſo præfixi temporis ſpatio ambos ad ſe vocat. Interrogatus primo *Peluus* (hoc erat filio natu majori nomen) de libello deque contentis in eo ſententiis, haud ſane pulchre ſtetit. Nam & librum amiſerat, nec unam ex eo ſententiam memoriæ mandaverat. Tum pater ad *Uuſioum* filium minorem verſus, eodem modo interrogat, Hic & librum, quem dili- *Explorata filiorum indoles à patre.*

gentes

genter ſervarat, oſtendit; & omnes ſententias enumeravit. Mox, ne in fratris veniret manus, inflammavit libellum, quod diceret ſuam ſibi memoriam ſufficere. Atque hoc vel in parentem obſequio vel diſcendi ſtudio ſucceſſionis jus fratri præripuit. Hunc enim regni ſucceſſorem pater, omiſſo majore filio velut inobſequente, declaravit.

Ex iis quatuor, qui regnum *Cin* armis ſubactum ſunt inter ſe partiti; *Chipeus*, audax & inquies animo, nec non multiplici victoria inſolens, poſtquam multas occupavit terras; elatus, tres reliquos impune ſpernebat. Totum proinde regnum in deditionem redacturus, inferre bellum parabat unus omnibus; niſi mors interveniens deſtinata diſſipaviſſet. Reliquit tamen *Chiſiangum* mali corvi malum ovum, quod ajunt. Hic truculentius etiam ſe, quam pater gerebat ac ſuperbius, omnes alios præ ſe deſpiciens. Forte *Kangtius Hengtius*que, ille *Han*, iſte *Quei*, reges, & una ipſe convivium inierant ad regni confinia; cum inibi ſupra ſuperbiam & audaciam vino calens, probris *Han* regulum ac *Tuonqueium* ſummum ejus Præfectum procacibus verberare cœpit. Indignantibus cunctis ſolutoque convivio, *Chiſiungum* domum reverſum *Chiqueus* illius affinis objurgandum ratus, *Si, qui præeſt aliis*, inquit, *obſervantiam nihil ad ſe pertinere modeſtiamque credit; næ is magnopere decipitur, eumque damna ingentia calamitateſque manent.* Tum ſuperbe atque adeo ſtolide Chiſiangus, *Damna, quæ minaris ac calamitates ex me uno pendent. Si damnum ego ipſe mihi non intulero, quis audet inferre?* Chiqueus contra, *Si princeps parvis etiam in rebus caute atque circumſpecte agit; parum quidem capiet detrimenti. Nunc, ô rex, ubi temere nullaque cauſa probabili & in regem, & in ſummum ejus Præfectum contumelioſus fuiſti; abſona ſane res eſt prudentiæ tuæ: pariaque metuas neceſſe eſt.* Hîc ille multo quam ante ſuperbius & abſciſe? *Ain' tu? timenda mihi talio? timendus regulus? timendus Præfectus? ego vero neque hos neque illam timeo; abſtineat ille, per me licet, ab eorum offenſa, qui timet.*

Faſtus regis repreſſus.

Neque

Neque hactenus ejus intemperantia ſtetit. Tanquam *Kangtium* regem obnoxium ſibi feciſſet injuria; legatum miſit, qui ſuo nomine peteret oppidum ditioni ſuæ vicinum, non alio jure ſubnixus, ſed quærens undique materiam belli movendi. Cunctantem jus ſuum adeo iniquo exactori cedere, *Tuonqueius* adhortans, *Satius eſt*, inquit, *ac pio juſtoque rege dignum, homini turbulentiſſimo unum oppidum dari, quam populum vexari bellis; nec, ut partem retineas, totum regnum ſubjici periculo. Bellum hoc oppido redimes, & ejus jactura ſatiabis avarum animum; cujus alioquin eſt, nunquam ſatiari. Nec enim dubitandum, quin, ubi voluntate tua potietur hoc oppido, aliis quoque regibus, incubitura ſit importuna cupiditas; cui vel obſequendum erit, vel habendum bellum. Tum tu alienæ calamitatis eventum ex alio proſpicies ſecurus, & prout tempus feret, rebus tuis ac regno providebis.* Valuit apud *Kangtium* Præfecti non tantum conſiliantis, ſed etiam vaticinantis oratio. Vix enim traditum erat oppidum *Chiſiango*; cum aliud ab *Hengtio Quei* regulo per legatum petiit. Huic jam decretum erat, negare, quod petebatur; ſed à *Ginchangio* Præfecto ſalubriora doctus, animum flexit. *Equidem inficias ire non poſſum*, ajebat ille, *ſi tam vecordi ſis animo, ut ſine cauſa cedas alteri, quæ tua ſunt, è re tua vel dignitate nequaquam fore. Si tamen jus tuum ab homine truculento nonnihil accidi patiere; duo potiſſimum efficies, è quibus haud mediocre tuis rebus emolumentum acceſſurum eſſe ſpero. Primum enim* Chiſiangus *omnium ſubibit odium, intolerabilem faſtum, & ad ſe aliena rapientis proterviam exſecrantium. Tu contra, quod alterum eſt, tuis Præfectis, tu populo rex pius, rex juſtus, rex ſapiens ſalutabere; tu amor eris omnium, qui minui ditionem tuam malueris, quam populum formidare bellum. Ita concordibus animis juncti, cum feret uſus, à tam pio rege ſtabunt omnes; ita tibi loca cetera belli ſecuriora erunt.*

Prudens conſilium Tuonqueii.

Item alterius.

Poſteaquam ergo *Chiſiangus* & hoc oppidum obtinuit; lætus quidem potentia, cui omnia tam erant prona, ſed quod nulla dum belli fulgeret occaſio, inquietus, quod à duobus jam extorſerat, expoſtulavit

à tertio. Is erat *Uuſious* rex *Chaus*, juvenis prudens & animo forti; cumque de fama ſua videret agi, ſi priorum regum ſequeretur exemplum, legatos infecta re dimiſit. Simul ad bellum ſe comparat. *Chiſiangus* ex adverſo, quod mireris, in auxilium *Changtio Hengtio*que vocatis in *Uuſioum* movet. Is animoſe primo reges tres excepit; dein vero gnarus duos regulos abalienatis animis eſſe à *Chiſiango*, ſtatuit non manu, ſed conſilio vincere. Ad urbem ergo *Cinyang* cum exercitu ſe recepit, quam grandi annonæ copia, omnique armorum genere munitam adeo pugnaciter tuebatur, ut nunquam impreſſionem facere ſit auſus *Chiſiangus*. Quare fluvio deducto tentat eam aquis mergere, ſitam in humili loco, conſilioque præſenti opportunam. Atenim ea de re commonefacto à duobus regulis *Uuſioo* expeditum fuit urbem ab aquis incolumem ſervare, civium ac militum ſuorum induſtria & labore ductis foſſis ingruentem fluminis vim alio divertentium. Tum ad regulos, hoc magis obnoxios ſibi, quod coacti ſequerentur *Chiſiangum*, eique hoc etiam nomine offenſi eſſent; *Changmengtanum* Præfectum fidum inprimis hominem mittit. Qui cum non ſine vitæ diſcrimine, concubia nocte, natando flumen ſuperaſſet; ad regulos eadem nocte admiſſus, quæ habebat in mandatis; expoſuit. *Noſtis*, inquit, *vetus dictum, præciſis labiis dentes obrigeſcere. Sic vobis futurum creditote, ſi auxilio veſtro rex meus à* Chiſiango *vincetur, haud mitius in vos conſulturo, quam in illum.* Hæc aliaque prolocutus conſilia cum eis agitat de modo ac die, quo eum perditum irent. Queis conſtitutis oppido lætus, quà venerat, ad regem ſuum natando rediit. Vbi ergo præſtituta dies illuxit, *Uuſious* delectam militum manum ex condicto emittit in cuſtodes aggerum, queis flumen erat in urbem derivandum. Tranſitum ad ulteriorem ripam reguli jam per colluſionem ſtraverant. Quo cum primum evaſere; cuſtodibus obtruncatis dejiciunt aggeres, aliiſque foſſis flumen magno impetu aquarum in hoſtilem exercitum haud ſane robuſtum deducunt. Hîc milites, *Chiſingiangi*, malo inopinato oppreſſi, confuſiſque

Conſpiratio in Chiſiangum.

Proverbium.

ſiſque ordinibus, dum eluvionem certatim effugere contendunt, à duorum regulorum copiis, & *Uuſianis* inſuper erumpentibus ex urbe, tanta ſtrage lacerati ſunt, ut nec nuncius illius ſupereſſet. Ipſe quoque *Chiſiangus* intolerandæ ſuperbiæ ſuo interitu pœnas dedit. At non unius tyranni ſanguine parentaverat U*uſious* iracundiæ ſuæ; ſed calentem adhuc victoriam urgens, omnem *Chiſiangi* ditionem ſuæ poteſtatis fecit, eique conſanguinitate propinquos omnes undique conquiſitos exſtinxit. *Chiſiangi* cranium pretioſo illo Sinenſi glutine, quod & rebus nitorem affert, & à corruptione defendit, illitum adhibuit pro poculo; quod extremæ vindictæ ſignum eſt apud Sinas. *Cranium hoſtile pro poculo.*

Verum quia mortalium etiam peſſimi ſuos fautores habent; unus è *Chiſiangi* Præfectis *Yuiangus* nomine, cranium ſui regis verſum in poculum vehementer indignatus, U*uſioi* morte factum vindicare decrevit. Nec diu cunctatus immiſtuſque famulitio palatino, famulum & ipſe ſimulat; occultanſque ſub veſte pugionem, ubique animum intendit in occaſionem, incautum regem feriendi. Prius tamen, quam conficeret ſcelus, agnitus, fuga ſibi conſuluit. Poſtea vero, quam in eum ubique inquirebatur; totum corpus neſcio quo glutine oblinens, elephantiacum comeſoque carbone mutum ſe finxit, ne denuo agnoſceretur, interim ſedulo regem obſervans ad necem. At ne ſic quidem ſatis tuta fraus fuit. Etſi enim pleroſque ac ſuam adeo conjugem fefellerat, à vetere tamen amico agnitus eſt. Quem is, ubi tam informem videt, motus commiſeratione ſic affatur. *Quo dementiæ proceſſiſti, ô amice, paulo ante ſummis honoribus potens & gratioſus? An ignoras ab* Uuſioo *te in pari ſtatu collocandum, poſtquam ei ſervire in animum induxeris? Et ſi quidem, ut ais, in occiſum regem tuum pietas te huc adegit; an non ſatius erit, ut nunc obviæ fortunæ beneficio uſus tum denique adverſus illum amoris fideique exemplum edas, cum pronior obſequetur occaſio? flecte mentem! dilapſæque felicitatis perfidiam ſperne; neve teipſum eas perditum, cave!* Talia ſuadentem excipiens *Yuiangus*, *Vindicta ſtudium.*

gus, Si apud alium, inquit, *hæc diceres, cui nihil præter honores dulce; pondus habere queat oratio tua. Mihi vero quid perſuaſurum putas, dignitates & honores omnes faſtidienti? Et fuit, & eſt adhuc certum mihi* Uuſioum *è medio tollere; ecquonam pacto in illius eſſe ſervitute ſuſtineam? Enimvero duorum cordium homo (quo quid Sinis ab honeſtate remotius?) talis tamen audiam, ſi tantum concipiam dedecus; eroque mulieris inſtar nubentis duobus viris. Quam adhuc rem tentavi, non equidem parvas in anguſtias me adduxit; ſed conſilium quo pulcherrimum facinus aggreſſus ſum, magno me opere ſolatur, reputantem præſertim, hoc exemplum proditurum ad poſteros, ut pudeat alteri ſervire, ab uno domino digreſſum.* Dum hæc cum amico loqueretur; ecce tibi *Uuſious* adeſt animum relaxaturus equitando. Diriguit ſubito metu *Yuiangus*, & ſub pontem, quem tranſiturus erat rex, ſubrepſit; nihilo tamen ſecius intentus ex occulto in prætereuntem, parato jam pugione confodiendum. Iamque pontem adibat rex; cum equus, quo vehebatur, nec hortatibus nec ſtimulis obſequens, pervicaxque continet gradum. Id in omen impendentis mali acceptum; & famulis omnibus undiqueverſum omnia quærentibus, *Yuiangus* agnoſcitur, protractuſque trucidatur è veſtigio. Magnum tamen apud Sinas, ut veræ virtutis ignaros, hujus nomen à fide fuit; quam laudem meretur, quiſquis uni tantum ſervierit, nec adulter, (quod Sinica phraſi perduellem ſignificat) ſed fidelis appellatur.

In authorem redit.

Magnus honor apud Sinas, dominum non mutare.

Sub hæc tempora mortuo *Guei* regni regulo ſucceſſit è filio nepos *Venheus*, comis, liberalis & præcipuus doctorum hominum amator. Quîs artibus allecti Philoſophi ad eum quam plurimi confluxere. Forte poſt venationem in mapali quodam cum aliquot Philoſophis epulabatur; cum cælum nubibus triſte pluviam formidabilem minari cœpit. Quæ priuſquam caderet; *Venheus* equis currui junctis domum properans, à Philoſophis, ut maneret, invitatur. Quorum princeps, *Inter epulas*, inquit, *ac ſonos muſicos felicitatis eſt omen cadens pluvia. Hæc te manere jubet; hæc claudit iter tibi. Morem igitur cælo gere; ac, donec ſudum erit,*

Venheus Philoſophorum amans.

Omen fauſtum a pluvia.

erit, lubens mane. Paruit rex, & facilitati hoc deferens, & Philoſophorum amori. Ex quo in proverbium abiit apud Sinas, cum volunt hominum doctorum amatores laudando extollere, *Venheo*, ut audiat ſapientes, eſt mapale pro palatio. *Proverbium.*

Idem *Venheus*, ubi Præfecto *Loyango* duce ditionem *Chungxan* in provinciæ, quam *Pekin* vocant, confinibus occupavit; urbem, quæ modo *Chinting* dicitur, filio primogenito contra leges Sinicas jure beneficiario tradidit. Quippe ſoli fratres vel ſecundò geniti beneficium ejuſmodi commodare ſolebant. E Præfectis deinde ſuis cum percontaretur, rectene feciſſet, an ſecus; plerique, ut in aulis aſſolet, ubi ſæpe veritate potior eſt adulatio, ceu pii regis factum collaudarunt. Uni *Ginzoo* libertas conſtitit; qui, *Pius dici non poteſt*, inquit, *nec egiſſe, quod pii ſolebant olim reges, qui fratri contra jus faſque primogenitum antepo-nit.* Rege in tam libere loquentem atrociter invehente, *Ginzous* pejora metuens exceſſit aula. Super eadem re rogatus à rege ſententiam *Yaoquangus*, juſti tenax Philoſophus, itidem pie factum eſſe reſpondit. Cui rex, *Et id unde colligis?* Tum Yaoquangus, *In aula, in qua rex pius eſt, aulicos fideles eſſe, ac vera loqui exiſtimo. In his* Ginzous *princeps, qui verè locutus eſt, atque ita, ut fidelem miniſtrum decuit. Cum igitur circa te tales habeas aulicos; quidni te pium regem exiſtimem?* Senſit acutum & ſagax dictum in ſe mitti rex; & in filio præferendo peccatum cognoſcens, *Ginzoi* fidem æſtimavit. *Yaoquango* itaque quam primum ad eum reducendum miſſo, venienti proceſſit obviam; lautè acceptum, velut ſapientem ac ſibi fidum majori poſt in honore habuit. *Arguta regis commonitio.*

Inde verſus ad *Likeum* præceptorem ſuum ex eo ſciſcitatur in hunc modum, *Sæpe de te audivi, pauperi familiæ probam & rerum attentam mulierem eſſe neceſſariam, ut res familiaris perduret ac creſcat; regno autem pari ratione probum prudentemque Colaum. Duos habeo,* Chingum *&* Hiangum; *quorum alterutrum huic muneri deſtinavi. Sed utrum alteri præferam, nunc à te potiſſimum exſpecto.* Cui *Likeus*, *In hac ancipiti ele-* *In miniſtris deligendis quid obſervandum.*

 ctione

ctione videndum cenſeo, quid quiſque amet, cum domi privatus agit. Si dives eſt, quid quantumque largiatur; ſi pauper, quid non agat aut omittat; ſin exerceat præfecturam, quos qualeſve provehat ad procurationes minores, quidque, cum, qui eligit; eſt inops, recuſet accipere. Atque ex his facile diſcernes, opinor, quem ad ſummos honores promoveas.

Ab Vkio cæde uxoris quæſita dignitas.

Vt autem intelligatur, quò mortales præcipitet ambitio; de *Ukio* quodam, qui vixit his temporibus, hic pauca ſubnectam. Erat hic acer militiæ quidem, animique magi; ſed gloriæ immodicus. Cujus ſummo cum ſcelere conjunctæ talis ei materia ſuppeditavit. *Lu* regni cum *Cio* bellum erat; cui bello ut legatus præeſſet *Ukius*, allaborabat unice. Sed votis ejus obſtabat uxor è regno *Ci* oriunda; *Luo* de mariti fidem ambigente. *Ukius* ut exſolveret ſe hac ſuſpicione, uxori ſua manu vitam eripuit. Deinde in hoſtile regnum contendens, victoriam reportavit; quæ res ad ſupremam ei militum præfecturam gradum fecit, etſi à plurimis apud regem parricidii arceſſeretur. Poſt etiam contra *Cinum* movit, & eo quoque devicto quinque cepit urbes; promotis armis ſine dubio capturus plures, niſi pax inter reges coaluiſſet. Ceterum *Ukius* non tantum bello ſtrenuus, ſed etiam mirifice fuit abſtinens. Inter milites ei vita gregarii modo; victus & veſtitus cum illis communis; labores, vigilias, ſtipendia, prædas denique diſpartiebat æquabiliter. De accumulando auro nihil unquam ſolicitus, unam aucupabatur gloriam, cujus cupiditate volitabat. Sed de hoc infra plura.

XXXII. Imp. GANUS.

Imperavit annis XXVI.

Cyclo 39. anno 17 ante Christum 401.

G*Anus Gueiliei* filius imperium auſpicatus à munificentia, *Tien* illius nepotem, qui regnum *Ci* turbaverat, reguli primum dignitate donavit. Deinde poſtquam *Ci* rex nullo regni relicto herede deceſſit; ejus regni, qua patebat, armis vendicati fiduciam eidem commiſit. Sic familia *Taicungi*, ab *Uo* Imperatore

tore

tore regno *Ci* olim donata, interiit; nobilis continua fere ſucceſſione regibus undetriginta, & ab U*o* Imperatore ad vigeſimum uſque tertium hujus Imperatoris annum proſeminata.

Mortuo interim *Venheo Guei* regi U*uheus* filius ſuffectus U*kium* ducem ingentibus promiſſis ad ſe invitavit. Contigit autem, ut ſecundo flumine cum U*kio* delaberetur. Cui regni ſui robur & opulentiam laudanti, *Atqui regnorum ſecuritas*, ait Ukius, *non in hoc, ſed in virtute conſiſtit. Qua ſi rex careat; vel iſti, qui nos vehunt nautæ, nobis in hoſtes ſufficere poſſunt ac perturbare regnum. Vuheus* vera dixiſſe U*kium* non modo ut fortem, ſed ut ſapientem etiam ducem collaudavit. *Sapiens dictum militis.*

Hinc adverſum *Cin* bellum moturus, eum exercitui præfecit, è prima victoria ſecundam ſibi promittens, ſi opera victoris uteretur. Nec eum ſua ſpes deſtituit. Quippe tanta iterum clade affecit hoſtem *Vkius*, uti *Cin* à *Guei* rege cogeretur pacem petere. Sunt alia non pauca ejus præclara facinora, quibus *Guei* res ac felicitatem auxit; niſi omnia corrumperet immodica & nunquam ſatiabilis ambitio. Hæc illum ex hoc etiam regno ejecit. *Quei* rex de Colao legendo deliberabat; maxime anceps, U*kium* huic muneri, an *Tienuenum* quendam præponeret. Hinc inter eos magna gliſcebat de dignitate contentio. Cum uterque coram rege merita ſua jactaret altercando; *Tienuenus* acerrime callidus, quia virtute non poterat, *Vkium* aſtu ſuperavit; apud regem in malæ fidei ſuſpicionem vocans eum, ac velut advenam obterens. Non ignarus ejus rei, nequid forte gravius in ſe ſtatueretur, profugiens *Vkius*, ad *Faum Zu* regem iter habuit. Ibi cognita viri virtute, caſtrorum Præfectus ingenti omnium plauſu declaratus, ex hoſtibus regum *Zu* deinceps victorias reportavit haud paucas. Præterea regulis nonnullis ad amicitiam pacemque ab rege *Zu* petendam compulſis, ad ſummos honores, quo referebat omnia, proceſſit. Verum non expers fuit & hîc virtus invidiæ. Quidam enim ferre non poterant hominem extraneum, quique primum advenerat, ad hoc *Æmuli Vkio infeſti.*

 culminis

culminis aſcendiſſe. Hinc & è Præfectis aliqui adverſus illum inſurgere, laudes ejus obtrectare, ac præcipue fidem criminari. Sed rex tanti viri virtute ſecurus, cujus egregia in ſe merita perſpecta ſibi eſſent, haud dedit aures calumniantibus. Qui cum hanc artem ſibi nil prodeſſe cernerent; non in *Ukium* modo, ſed & in regem machinantur exitium. *Ukius* comperto quid ageretur, ſeque ac regem egregie tutatus, perduelles ſceleris convictos necat; reliquos regni perturbatores in exilium ejicit. Inde nova regiminis ac politiæ forma introducta, nimiam Præfectorum licentiam reſtrinxit; effecitque, ut omnes ab uno rege penderent, omnes unius domini nutum intuerentur. Antea namque rex quadamtenus à ſummo Præfectorum conſilio pendebat. His talibus præquam ſperaverat, *Ukius* regnum *Zu* auxit, ornavitque, at operæ ſuæ non digno pretio. Hinc enim vicinis regulis omnibus *Zui* regis potentia formidabilis: hinc & conatus omnium ab hoc etiam regno *Ukium* extrudere volentium. Accedebat odium Præfectorum & magnatum in regno *Zu*, clam illum ob necatos ejectoſque parentes perſequentium; at præcipue ob debilitatam Præfectorum potentiam. Non enim commune regni, ſed ſuum emolumentum quærebant. Tandem res eo devenit, ut facta conjuratione, in ſuiſmet ædibus occiderent; & à reliquis regulis, & ſuapte vindictæ cupidine ſtimulati. Et hunc vitæ finem *Ukius* habuit.

Ukii cædes.

XXXIII. Imp. LIEUS.

Imperavit annis VII.

Cyclo 39 anno 43 ante Chriſtum 375.

DE *Lieo Gani* filio, nihil memoria dignum reperio, niſi quod hoc tempore imperatrix familia *Cheua* valde debilitata, Imperatoris autem majeſtas apud omnes jam fere viluerat. Vix ullum à regulis obſequium; omnes ſpreto Imperatore ſuis rebus ſtudere. Vnus *Li* regni regulus è *Liena* familia *Queius* nondum abnuebat imperium; qui patri proxime ſuperioris Imperatoris beneficiario ſucceſſor datus ſuper iis, quæ ab imperio ille acceperat, ſacramentum renovavit.

novavit. Quo factum, ut unus quoque apud bonos omnes eſſet in honore, fideique fama inclytus.

Adhæc proditum Sinenſium hiſtoriis, *Quieum* regem prudentia fuiſſe præditum prope ſingulari. Quippe arte aliqua magnoque judicio Præfectorum in provinciis morantium acta expendebat, ſcrutabaturque; aulicorum dictis, plus oſtentationis præ ſe quam rationis ferentibus, minime fidens. Subornabat etiam certos homines, qui obſervarent ſedulo, verane an falſa eſſent, quæ de illorum gubernatione acceperat. Inter alios erant Præfecti duo, quorum alter in aula continuò peſſime, alter audiebat optime. Cum ergo clam, ut ei mos erat, fidos homines miſiſſet exploratum; alia cognovit omnia. Nam ille flagrans infamia, provinciam ſibi creditam probe adminiſtrabat; contra is, cujus fama celebrabatur rem peſſime gerebat. Tum utroque vocato, coram aulicis omnibus ita primum alloquitur. *Ex quo ditionem* Me (ſita eſt, qua provincia *Xantung* deſinit in promontorium, ubi nunc *Kiao* civitas) *commiſi tuæ fidei; nulla dies abit, quin de te querelas audiam. Certis tamen authoribus compertum ac cognitum eſt mihi, agriculturam haud mediocriter abs te auctam, apertis etiam prolatiſque longius campis; populum rerum omnium abundantia lætum; tribunalia quieta, ſine rixis, ſine partium litibus; præterea effeciſſe te, ut è confinibus nulla contra nos arma moveantur; quin omnia in alta pace, ac quiete procedere. Sed & illud ſcio, cur adeo rem præclare gerens, male tamen audias. Aulicos meos non delinis pretio, nec muneribus gratiam aucuparis.* His dictis collaudatum, ad majores honores inde provexit. Deinde ditioni, *Oo* dictæ (tunc erat, ubi hodie *Tungping* civitas) Præfectum alloquens, *Iam inde*, ait, *cum te* Oo *ditioni præpoſui, quotidie tuis laudibus onerabantur aures meæ. Interim me non latebat, nullam te agrorum curam gerere, ut rem facerent agricolæ; populum, quem tibi concredidi, frigore perire, ac fame. Imo vero tua ſocordia factum, ut terram* Pilin *vaſtaret hoſtis; pervaſtandam funditus, ni* Kiuenus Quei *regulus tibi veniſſet auxilio. Nec ignotum eſt mihi, è quo fonte ſcaturiant, ac toties auribus*

Queii regis ſolertia in explorandis miniſtris.

Iniqua delatio.

meis obſtrepant laudes tuæ. Hos, qui adſtant, aulicos magnis largitionibus corrumpis. Vnde tibi tanta munerum copia? profecto à miſeris civibus extorques. Talem hominem vivere diutius haud decet; ſed & hi, quorum favorem alieno emiſti, una tecum morientur. Itaque non illum modo, ſed, quotquot ejus partibus ſtudebant, ac ſpecioſis mendaciis regi illuſerant, omnes inexorabili ſeveritate vivos exuri jubet. Inde reliquos aulicos præfectoſque tantus terror invaſit, ut nemo jam vitia vel ſua vel aliena colorare ſpecie virtutis auderet, omnibus in hoc unum intentis, ut partes ſuas ſedulo ac fideliter explerent. Qua re *Ci* rex ingentem juſti regiminis gloriam obtinuit, ut etiam Imperatori anteponeretur. Tantum valet boni regis cura de ſuis, ac ſolicitudo.

Graviter punita.

XXXIV. Imp. HIENUS.

Imperavit annis XLVIII.

Cyclo 39. *anno* 50. *ante Chriſtum* 368.

IN demortui fratris locum ſubrogatus *Hienus* (fuit enim *Liei* frater natu minor) diu quidem imperavit, ſi tamen imperaſſe dicendus eſt, qui vix aliud, atque Imperatoris nomen habuit; regulis omnibus eum deſerentibus, imo palam inſectantibus. Quippe vaſa imperatoria vendicare ſibi quiſque nitebatur, eaque propter unum à cunctis peti ſe videns, omnibus in *Su* profundiſſimo lacu demerſis, ambientium ſpes atque conatus omnes eluſit. *Cin* tamen poſtea quam occupavit imperium, eo maxime incubuit, ut eruerentur. Adhibitiſque plus quam mille viris ei negotio, caſſe tritum tempus eſt. Hujus Imperatoris infelicitas viſa portendi cometâ, præſago malorum ſidere; qui ad occidentis Sinæ plagam effulſit, anno iſtius imperii octavo, ante Chriſti vulgarem epocham trecenteſimo ſexageſimo primo. Erat his temporibus magnæ ſpei, nec minoris ingenii adoleſcens; diſcendi ultra modum avidus, ac præcipue cauſarum capitalium ſtudio capiebatur, *Yangus* dictus, *Guei* regis nepos, è concubina genitus. Hic ad *Quei* regni Colaum, *Xozoum* nomine, profectus, in ejus ſe diſci-

Yangi indoles, docilitas.

diſciplinam tradidit ſimul atque ſervitium, quo facilius audire docentem poſſet. At ille diſcipulum diligentem, intentum, rerumque magnarum capacem ſuſpiciens, non omnia tamen ſcientiæ ſuæ arcana explicanda ratus, eum nonniſi perfunctorie docere inſtituit. Timebat enim, ubi ejus in diſcendo ardorem perſpexit & ingenium, ne magiſtrum ſuperaret. Subinde *Xozaus* æger morbo gravi, ab rege inviſebatur. Huic inter colloquendum de *Yango*, quis eſſet, unde domo? roganti, *Xozous* reſpondit in hunc modum. *Hic etſi adhuc juvenis, ſenili tamen atque adeo ſingulari virtute pollet. Ne omitte, rex, opera illius uti, quamcunque committes provinciam, obituri ſane perbelle ac fideliter.* Rege ad hoc tacente, mutata in conſilium commendatione *Xozous*, *Si adhibere non vis*, *ait*, Yangum *ad moderationem regni tui; vide, ut illum quamprimum occidas. Hac enim cautione opus eſt, ne à te diſcedens, alterius ſe regis addicat obſequio.* Placuit regi conſilium; & cum, *Hoc enimvero agam*, dixiſſet, ab eo diſceſſit. Vix abierat, cum *Xozous Yangum* ad ſe vocans, quid cum rege locutus eſſet, exponit, hortaturque, ut ocyus ornaret fugam. *Xangus* ſibi ipſi diſcors conſilium riſu excipiens; *Si rex*, inquit, *te non audiit, ubi me adminiſtrando regno ut aptum laudaviviſti; quanto minus te audiet, cum occidendum ſuaſiſti, & innocentem?* Navata igitur aliquamdiu regi opera, ubi mutatum ejus erga ſe animum notavit, periculum propiori contemplatione ſibi ſubjiciens, ad *Cinum* regem ſe recepit. Qui primo paulatim, ſpecie tentantis, illo uſus, at ſubinde doctrina ejus atque prudentia, quæ in negotiis ei commiſſis enituere, cognitis, tandem ad Colai dignitatem prolatum, magnoque in honore habitum apud ſe retinuit, maximo regni bono. Is enim, quæ ad rectam ejus gubernationem pertinere viſa, præclare multa conſtituit. Primum illud, ut, qui perduellem deferret, quique occideret, eodem uterque præmio afficeretur; qui vero eum occultaret, eadem pœna teneretur, qua regnum invadens latro. Primos opimoſque reditus ac dignitates illis aſſignabat, quorum virtus clara bello fuiſſet; otioſos vero,

Periculum.

Fortuna.

Sanctiones.

vero, qui nec agro, nec artificio ſerico darent operam, peſtem, ut ſunt, reipublicæ vocabat, eoſque collectos perficiendis publicis regni operibus admovebat. Pauperes, qui non manci, ſed patientes laborum eſſent, & tamen mendicato viverent, captivos declarabat omnes, devotoſque primi capientis ſervitio, eo pacto, ut ad vilia ſaltem obeunda munia compellerentur. Militarem præfecturam nullam committebat iis, qui è regio erant ſanguine. Divites de republica nil meritos nullo honore nec nobilitate dignos judicabat, nec ornatu ſplendido vel domi vel foris permittebat uti. Pauperes contra vel ex eo, quod operam reipublicæ ſaltem aliquam exhiberent, haberi ab omnibus in honore voluit; otioſis autem & ſine publico munere aut opificio viventibus nullam fidem haberi, in litibus quidem, dicendoque teſtimonio. Erat enim ea bonis iniqua conditio, qui vexati deceptique facile cæderentur teſtibus ejuſmodi, cibum, non æquum ſpectantibus. Sanxit præterea, ne viatores admitterentur, niſi à Præfectis, qui ad hoc in ſingulis locis vigilabant, publica fide inſtructi. His rebus mirum quantum regis *Cini* vires excreverint. Hinc certe toties imperii occupandi ab his regibus prima conſilia coquebantur. Non modo autem has tulit leges; ſed conſtanti ac plane nimia ſeveritate minima quæque urgebat, &, ut ad amuſſim omnia ſervarentur, ſedulo invigilabat. Accidit nonnunquam, ut ipſe regis filius idemque regni heres in leges peccaret. Tunc *Yangum* dixiſſe memorant. *Quod leges non ſerventur à populo, inde eſt, quia primo contemnuntur à ſummis, quorum exemplum ad alios quodam quaſi jure devolvitur. Mihi quidem filium regis & regni heredem punire non licet, parentis iram verenti; verum illius præceptor eſt plectendus, ut impoſterum commiſſi ſuæ fidei principis majorem curam gerat. Profecto enim diſcipulorum noxæ in præceptorem redundant.* Dictum, factum: & quam pœnam princeps debebat, *Cungſunkinus* (hoc erat præceptori nomen) pependit ignominia præſigni notatus, uſtuſque candente ferro. Decennium *Yangus* Colai officio functus, legum à ſe latarum obſervantiam continua ſeveritate ſancivit.

Diſcipuli delicta pædagogus luat.

Et luit.

Regni ſub Yango felici-

ſancivit. Vnde regnum *Cin* uſquequaque refloruit. Res ab aliis amiſſas, nemo repertas humo tollere; nulla ſilva latrociniis, nulla civitas ſicariis infeſta; annona ubique laxiſſima. Nec minor rei militaris felicitas erat. Miles numeroſus ac fortis; duces fortiſſimi. Denique Philoſophis regnum abundans, raro litterarum armorumque conſortio, junctos Martem Pallademque vidit. Quia vero in rebus etiam minimis, ſeu dictum, ſeverus erat ac durus ultra modum; tyranni notam haud effugit, odium apud multos adeptus. Quare mortuo rege *Hiao*, apud *Hoeium* ſucceſſorem ab inimicis meditatæ rebellionis delatus eſt. Rex juvenis illi jam ante offenſus, quod initia dominationis nimia cenſura perſtringebat, & præceptorem tam acerbe tractaverat, faciles calumniantibus aures præbuit. *Yangus* ejus rei non ignarus & ultionem timens, profugit è regia. Sed à nemine exceptus, quod, ut ipſe ſanxerat, publicam fidem non acceperat, eodem coactus eſt reverti. Vbi regis permiſſu à fremente populo interfectus, direptis ejus ædibus totaque familia extincta, documento fuit, jubam leonis non ſolo pectine mulcendam. Moriens dixiſſe fertur, *Quod ipſe mihi intrivi, mihi exedendum fuit*; legem, cujus ipſe author erat, intelligens, necubi viator, ſine publica fide reciperetur.

Yangi odium.

Exitus fatalis.

Conſilium in authorem redundans.

Inter hæc mira quædam nec illepida inter *Ci* & *Quei* reges extitit contentio qualem alias inter reges nunquam exortam puto. Ad regnorum confinia ſpecie venationis convenerant. Ibi contra *Cinum* conſpirantibus, ut ſociis armis illius potentiam frangerent; inter colloquendum forte de lapillis incidit ſermo. Tum *Queio Cium* interrogante, num raros habeat, eleganteſque ac pretioſos uniones; primo negavit habere, nec talia magni ſe æſtimare. At ego ſubjecit *Queius*, etſi meum regnum non eſſet admodum amplum, tamen decem habeo lapillos, ovi fere magnitudine, quorum quivis adeo fulget, ut ad duodecim ſtadiorum ſpatium profundat lucem. Cui *Cius*, Mei lapides à tuis longe diverſi ſunt, quippe qui vivunt ac ſpirant. Quatuor, inquam, Præfectos in totidem provin-

Bonus miniſter gemma eſt.

provinciis habeo, tanta virtute præditos tantoque ſplendore, ut etiam ad mille ſtadia radios diffundant, dum juſtitia & æquitate meum regnum in pace, populum omnem in officio continent. His auditis *Queium* verecundia cepit, ſatis intelligentem, non lapides ſed bonos præfectos magni eſſe debere. Hoc autem *Ci* regis dictum apud Sinas in proverbium ceſſit, etiamque nunc eſt in uſu, bonos regis Præfectos laudare volentibus, iſtud acroama, *Quatuor Præfecti mille ſtadia illuminant.* Antequam hæc de unionibus eſſet inter eos orta contentio; *Guei* rex illatis *Chao* regi armis victor, *Hantan* etiam munitiſſimam urbem ceperat. Verum haud diuturnus illius victoriæ fuit uſus. Quippe reducem *Ci* rex prœlio fudit, nullo tamen icendi fœderis, de quo dictum, detrimento. His temporibus Sinæ belli maxime curribus utebantur. Erat tum illuſtre nomen cujuſdam *Kiupeni*, viri manu ſtrenui, militariſque diſciplinæ, præſertim vero curulis, admodum periti. Unus quingentis curribus dux præponi poſſe ferebatur. Hujus tamen induſtria *Queius* utendum non cenſuit, levia quædam commiſſa obtendens, in quîs erat maximum, quod ova duo è ruſtici domo, militari præfectura tum, licet ignobili fungens rapuerat. Sed enim *Zuſuus* & ipſe tribunus militum, poſt acceptam à *Cio* cladem, ad regem adiens: *In legendis,* ait, *militiæ Præfectis, optime rex, illud faciendum exiſtimo, quod fabri faciunt lignarii, qui non, quia lignum juſto longius aut brevius, idcirco abjiciunt, ſed adhibent ad id, ad quod aptum videtur, illoque dolando potiùs ac poliendo, tandem ultimam imponunt operi manum. Ne, rex, difficillimis hiſce temporibus* Kiupenum *ſperne; ſed objurgatum ob delicta ſuperiora muneri, cui aptiorem & magis egregium habes neminem, præpone.* Placuit regi conſilium, ob idque collaudato *Zuſuo,* mox *Kiupenum* rei curuli præfecit.

Proverbium.

Curribus in bello uſi Sinæ.

Rigor militaris diſciplina.

Apta ſimilitudo.

Haud multo poſt in *Hanum* regem exercitum eduxit. Is viribus ſuis parum fidens, cum *Ci* rex poſcenti ferret ſuppetias; amicitia inter hunc & *Quei* regem iterum diſciſſa, novo bello campum aperuit. *Queius* enim, quo binis regibus obſiſti poſſet, accitis, undecunque

cunque licuit, copiis *Xinum* filium ampla cum poteſtate præpoſuit, addito, qui ei eſſet à conſiliis, *Pangkiueno.* Acceſſit altera quoque armorum cauſa, cum quod ab illo poſt occupatam *Hantan* victor rediens clade affectus ſit, tum quia deſertum jus ſuperius amicitiæ. *Han* autem per Præfectos *Ci* regis advenientem *Xinum* anguſto ac difficili loco, qua ei penetrandum erat, inſtructis inſidiis præſtolatus, incautum invaſit, & ingenti ſtrage laceratum, ad ultimum etiam in equeſtri colle (ita locus dicebatur in montibus prope *Taming* urbem) captum tenuit. *Pangkiuenus* vero dux, ne vivus in hoſtium poteſtatem veniret, ipſe ſibi gulam præſcidit. Bis omnino morte dignus, & ſuopte judicio, & quia tanta clades accepta in ejus ferè unius perſona conſtiterat. Nimia enim ſecuritas ſui, hoſtiumque contemptus fecit, ut ei hoſtiles inſidiæ non intelligerentur. Stratagema ſucceſſit in hunc modum: *Xino* adverſus *Han* movente, jamque ingreſſo regnum, ex parte altera *Ci* regis auxiliares copiæ in *Guei* regnum ingreſſæ recta regiam petunt. *Queius* in his anguſtiis deprehenſus, cum hoſti non aliter ire poſſet obviam, *Xini* una cum *Pingkiueno* revocandi conſilium cepit. At hic, ut erat aliorum contemptor, *Ci* militem parvi pendere, nec obſcura contemptus ſigna edere. Advertit ea res *Tienkium*, *Ci* regis affinem ac ducem auxiliarium; illiuſque negligentiam ſimul & audaciam ſuis rebus opportunam videns, hoc ſtratagemate ſibi ſumpſit expugnandum. Primo centum hominum millia contra eum ducit; commiſſoque prœlio fugam ſimulans, in caſtra ſe recepit. Paucis poſt diebus quinquaginta tantum millia oſtendit hoſti, quaſi reliquorum partim fuſi, partim fugati eſſent. Iterumque conſertis manibus in caſtra, ut ante, undique vallata rediit. Alio deinde die tertium in eundem movet cum viginti tantum millibus, collocans interim in equeſtri colle copias omnes in inſidiis, & inibi proceram pinum depangens, ſuperimpoſito vexillo cum hac inſcriptione. *Pangkuienus à me in pugna cecidit. Adeſte mei milites; quos præterita ſtrages in fugam abſtulit; en regni* Guei *ſpolia*

Vltronea mors.

Stratagema ingenioſum.

ſpolia in veſtra manu ſunt. Quos autem in inſidiis poſuerat, eis imperat, ut conſpecto igne confeſtim exſurgant, invadantque *Pankiuenum*. Interim cum viginti millibus pugnam ciens, collatiſque ſignis repente, quemadmodum antea; canit receptui. *Pankiuenus* tertia jam fuga, non dubitans eſſe debellatum, fugientes inſequitur ſumma vi, contemptuque hoſtium tanto, ut jam nullos ſervaret ordines. *Tienkius* vero fugam ita ordinavit, ut ſero diei ad inſidiarum locum veniret. Ergo ſub crepuſculum erectam pinum prætergreſſus, nova quaſi caſtra molitur. At *Pankiuenus* conſpecto in arbore vexillo & inſcriptione fulminatus, confeſtim ignem ſubjici jubet. Quo viſo, qui conſederant in inſidiis, ſui ducis, ut erat, ſignum rati, ſubito conſurgunt, ſparſoſque & inconditos ſine ordine *Quei* milites aggrediuntur; *Tienkio* interim ſe inſequentibus in arctiſſimo quodam loco animoſe reſiſtente. Ita *Pankiuenus* maxima clade accepta, inſigne documentum dedit, hoſtem nunquam contemnendum eſſe. Nam ut plurimum, qui nihili vires hoſtiles æſtimat, accidit ſuas, & negligenter atque contemptim pugnam ineundo, viam præſternit hoſti ad victoriam.

Floruit his temporibus *Mentius*, nobilis facunduſque Philoſophus, qui apud Sinas, cum à *Confutio* diſceſſeris, primas tenet; philoſophiam doctus à *Sutio Confutii* nepote. Hunc jam ſenem interrogavit aliquando, quid in bona reipubl. adminiſtratione primo ac præcipue ſpectandum eſſet. Cum *Sutius* populi lucrum reſpondiſſet; excipiens *Mentius*, *Atqui vir probus ac ſapiens*, inquit, *pietatem ac juſtitiam populum docet, regitque virtutis utriuſque præſidio. Tu contra quamobrem lucrum primo quærendum cenſeas, haud ſane intelligo*. Cui Sutius, *ſi recte calculum ponas, eadem eſt utriuſque ſententia. Germanum lucrum, de quo loquor, nonniſi ex pietate atque juſtitia exiſtit. Nam ſi rerum publicarum Rectores pii non ſunt, damna ſubditi faciant neceſſe eſt, non ſine imminutione dignitatis ſuæ; ſin juſti non ſunt, id vero non regimen, ſed regiminis potius umbra ſit, ſub qua impune latebunt latrocinia, è quibus quid*

Quid præcipuè in adminiſtratione reipubl. ſpectandum.

populo

populo lucri ſperes? immo vero prater rei familiaris multiplex naufragium timeas? Scopus ergo pietatis ac juſtitiæ regni lucrum eſt: in hoc collineandum primo dixi, quod fit media pietate ac juſtitiæ. Hinc liber, Yeking, *Lucrum,* inquit, *eſt juſtitiæ comes; lucro ſtudemus, ut tranquillam vitam agentibus omnia ſint ad virtutem expedita. Et hæc eſt lucri ſimul juſtitiæque vera perfectio.*

Anno hujus Imperatoris trigeſimo tertio *Mentius Hoei* regem regni *Guei* convenit; ab eoque congreſſu philoſophiæ ſuæ librum orſus præclaris ſane præceptionibus regem ad populos bene atque ex virtute regendos informat, dialogi modo. Quanquam ſtilum intra hujus argumenti fines non compeſcuit; in rerum aliarum tractationem varie digrediens. Ex eo libro viſum eſt operæ, quædam tranſſcribere, huic fini, ut tanquam ex ungue leo, noſcatur philoſophiæ Sinicæ genius, plerumque agentis de bono regimine, ac minima quæque agitantis, quæ ad hoc videantur poſſe conducere. *Igitur in hoc*, ait, *eſt regi ſedulo incumbendum, ne, quæ tempora ſibi agricultura vendicat, divertantur in alia negotia, ruſticos vexando impediendove, quo minus agere poſſint, quod tunc agendum. Sic enim non tantum non erit frugum inopia, ſed annona convaleſcens earum etiam ſuperabit uſum. Tenui macula retibus ad piſcatum rex uti ne permittat; ut magni tantum capiantur piſces, data elabendi facultate minoribus, qui procedentibus annis affatim ſuccreſcentes, omnibus ac ſemper ſufficient. Arbores temere ne cædantur, ſed è cæli temporumque nutu; neve ſecuri ſint obnoxiæ, queîs ætas adhuc & fructus immaturus, quo ad omnes uſus ligna ſuppeditentur. Has leges ſi animabit obtemperatio; & vivi præſenteſque facilem vitam vivent, & morte functi non carebunt honore ſepulturæ, nulla ſubditorum juſta querela, cujus mitigandæ prima regibus eſſe cura debet.* De lignis atque arboribus hæc dicit *Mentius.* Quippe rei lignariæ frequens eſt uſus apud Sinas, ſive ad ſtruendas domos, quæ columnis ferme ligneis conſtant; ſive ad capulos funebres parandos. Nam in magnæ felicitatis deputat loco, qui ſibi ante mortem ex optimo ſolidoque ligno curavit arcam, in qua ſepeliatur. Non raro ad duo aureorum

Præceptiones Mentii Philoſophi.

Sinæ feretra ſibi adhuc vivi procurant magno pretio.

rum millia eoque amplius unius arcæ pretium augetur. Firmiſſimos enim aſſeres, & è materia oppidò rara, corruptioniſque impatiente è longinquis regionibus advehunt. Inde nulla civitas eſt, in qua non veneant arcæ funebres; imo quam plurimi multis ante mortem annis emunt quantovis pretio, attinentque apud ſe domi. Porro præcepit Mentius, *Ne in agris ſerantur arbores, umbra obſtaturæ frugibus. Mori bombycibus alendis ſtent circa ædium parietes, ſericum ſenibus amictum ſuffecturæ. Gallinas, porcos, canes, animantiaque reliqua nemini mactare liceat, antequam adoleverint. Ita hominibus facile ſuppeditabunt carnes, quîs veſcantur.* Ex hoc Philoſophorum dicto manavit uſus, ut animalia non mactentur à Sinis, niſi præfixam à natura creſcendi cuique metam attigerint; ridentibus, nos ad aſſandum præſtinaturos porcellum, gallinæve pullum, & nequaquam vendentibus. Subjicit deinde Philoſophus: *Regi ſummæ curæ ſcholæ ſtudiaque ſunto, ut juvenes omnes puerique dicto audientes eſſe diſcant, majoreſque natu revereri. Quod ſi fiet, nemo juvenum ſenes laborare patietur, vel iter facientes onere premi. Obſequentes enim filii haud ſane committent, ut hoc officii à ſe deſideretur, quin ultro ſenum laboribus ſe ſubſtituent. Pro certo autem reges habere convenit, qui patri, fratribus ac tribulibus ſuis obſequens, non moleſtus, non turbulentus eſt, etiam ſuo regi fidelem atque ſubjectum fore. Hæc qui in regno ſuo procurat, eum ego pulchre ac quiete regnaturum dixerim. Sin autem beſtiæ caneſque Regum ac Præfectorum, inutilis domi foriſque turba, triviis nata, conſumendiſque frugibus, officiunt publico, neque rex huic malo eat obviam, quod dicat: anni ſterilitas occidit homines, non ego; hunc talem ego cum eo comparem, qui miſſa militum manu ſuis necem offerens dicat: Hi non à me ſunt, ſed à militibus occiſi. Non ergo ſemper accuſandus annus, cum ſæpe ſterilitatis malum creet mala gubernatio.* Hæc aliaque multa *Mentius* ubi diſſeruit; tum rex, *Multa*, inquit, *eaque præclara denarraſti, ſenex, quorum ſumma mihi videtur hæc eſſe, regna virtute augeri, pravo regimine ſubverti. Ego vero etſi à virtute, quæ eſt exigua, blandiri mihi non queam*; (eſt modus loquendi,

Non occidenda animalia niſi adulta.

Scholarum Cura.

quendi, quo ſeipſum vocat nimium *Guagin*, hoc eſt, exiguæ virtutis compotem) *tamen hanc rem ſecretius æſtimans, in multis meliorem eſſe me, quam vicinos mihi reges, atque ſeverius, ne dicam, modeſtius habere poteſtatem invenio. Quamnam igitur cauſam eſſe putem, quod alia omnia experiar? hoc eſt, nec vicinorum regum regna minui, nec meum creſcere? qui modo etiam* Xinum *filium amiſi, à* Ci *rege luculenta clade affectus, coactuſque, terris aliquot in hoſtis ditionem concedentibus pro pace ſupplicare?* Sic locuto regi occurrens Mentius, *Scio*, inquit, *optime rex, te militari re gaudere, cumprimis. Itaque ſimilitudinem è militia petitam, oro, quæſoque, ut audias. Audito tympanorum, tubarumque & armorum ſtrepitu, ad primum impetum omnis ex una parte terga vertit exercitus; abjectis etiam armis, ut velocius fugerent. Militum pars dena ſtadia profugerant; alii quina; alii bina; alii denique unum. Tum qui fugam intra ſtadium quintum continuerant, eos ridebant, qui decem ſtadia profugiſſent; & qui duo, eos qui quinque; qui vero unum, hos, qui duo, ignaviam ac metum exprobrantes alteris alteri. Quæ tua, rex, de hoc facta eſt ſententia? Male omnes egerunt:* ſubjicit rex, *Nam licet ultimi minus fugerint, fugere tamen, haud minori pavore marcentes, quam ceteri. Quando igitur*, ait Mentius; *ô rex, iſtud intelligis, ne mirere, ſi regnum tuum non magis quam vicina, floret; quippe cujus gubernacula non uſquequaque bene tractas, ſimilis unum ſtadium aufugientibus, ut hac tempeſtate ſuos patitur manes quodcunque regnum.* Tria inſuper præcipua in terrarum orbe prædicabat *Mentius*; honores in regia, in municipiis venerandam ſenectutem, & ubique virtutem.

Apta ſimilitudo.

Tria præcipua quæ, juxta Mentium?

Agit multa & pulcherrime de animi motibus componendis, & de externis ſenſibus; ubi de conſtantia ac fortitudine mirabiliter diſputat. Fortitudinem in internam & externam dividit. Illam in eo ſtatuit, ut vir fortis nihil formidet aut horreat, nec de victoria dubitet: vultque omni timore hominem carere. Fortitudinem vero externam in eo ait eſſe poſitam, ſi quis nihil injuſtum, nihil rationi abſonum egerit; injuſtum autem vel à ratione alienum aliquid patrare, debilitatem vocat.

Fortitudo duplex.

Scripſit etiam de natura librum, ea complexum, quæ de illa cum *Cautio* Philoſopho diſputaverat. *Cautius* de ipſius eſſentia, *Mentius* vero de efficientia atque in bonum propenſione loquebatur; verbis diverſis, eadem ſententia. Ajebat igitur, naturæ tam eſſe proprium, efficere bonum, quam aquæ deſcendere; malum autem efficere non eſſe ſecundum naturam, nec ab hac velut à cauſa malum procedere, niſi invita & repugnante ſibimetipſi; quemadmodum aqua contra ſuam indolem, nec niſi vi propulſa in altum nitatur. Sed hæc de *Mentio* ſufficiant; cujus aliqua dogmata religioni Chriſtianæ maxime apud Sinas hodieque officiunt; præſertim illud, quo ſtatuit, eſſe ſatius, concubinam accipere, quam carere prole: quam infelicitatem ait eſſe maximum crimen læſæ pietatis, quæ debetur parentibus. Quod ne fiat, modis omnibus allaborandum eſſe, ut parentum ſenium gignendis nepotibus oblectent. Habet inſuper alia quædam, à quibus apud ipſos etiam Sinas male audit, illud inprimis ægre ferentes, quod malos reges latronum nomine, non regum appellat.

Mentii dogmata.

His *Mentii* temporibus aliæ quoque Philoſophorum variæque ſectæ floruerunt. In his una *Chungcii* cujuſdam erat, nihil fas attingere ſtatuentis, quod injuſtum aut ab injuſto eſſe ſuſpicaretur. Quare nec paternam domum inhabitabat, quod crederet à malis viris ædificatam; nec cibum à parentibus aut fratribus capiebat, inique partum timens. Inviſenſque aliquando ad matrem, cum par anatum videret fratri dono datum; eam ſic affatur. *Vide, ne donum hoc ab injuſto ſit, vel ob cauſam injuſtam, quin potius eas domino ſuo reſtituite.* Mater id facturam ſe pollicita, clam filio jugulat ex iis alteram, coctamque apponit. Ille captionis ignarus, indulgebat genio, nihil ſuſpicans injuſti, cum ecce frater illius adeſt, ac ridens, *Hem, frater!* inquit, *& tu comedis anates, quas tam ſcrupuloſa æquitate vis reſtitui?* Quo ille audito celeriter è domo ſe proripuit, comeſtamque carnem procurata vomitione rejecit, nefas exiſtimans retinere ſtomacho, quod cum injuſto poterat eſſe conjunctum. Hanc ſuam calumniandi miſeriam

Chungcii Philoſophia, omnia metuentis,

Exploſa.

miſeriam irridens *Mentius*, *Ab uxore*, inquit, *appoſita comedit, à matre nequaquam; ruſtici domum habitat, paternam minime. Vnde vero novit, uxoris omnia juſta eſſe; ac ruſtici domum ab hominibus probis ædificatam? non deſeritur juſtum, ſi non admittas, agaſve, quod injuſtum eſſe, ſcias. Sin autem de ſingulis rebus dubitandum, ut vult* Chungcius; *erit neceſſe, ut vermiculi evadamus, queis paſtum terra domumque præbet, injuſti nihil utique ſuſpicantibus. In reliquis enim utenſilibus nunquam aberit ſuſpicio latentis periculi.*

Memini me legere, ni fallor, in Laërtio, ad ludos olim Olympicos è Scythia veniſſe quendam Philoſophum, qui tota ſtupente Græcia ſuis ſibi manibus ipſe confecerat omnia, queis utebatur. Hujuſmodi ſecta *Mentii* quoque temporibus in Sinis erat. *Hiuhingus* enim quidam cum diſcipulis non paucis hanc vitæ rationem ſequebatur. Veſtes è panno, quem texebant è pexis herbis, calceos è ſparto, culcitram è ſtramine ſibi conficiebant. Alimenta colendo agro parabant. Erat hoc eorum præterea placitum, ut nullo inter homines diſcrimine, omnes eſſent æquales; nullum imperium, nullum obſequium, tributa nulla, imo nec pecunia. Procul otium; atque ut omnes neceſſe habent comedere, ſic decreverant, ut omnes quicunque poſſent, opus facerent. Omnia volebant omnibus eſſe communia, & ab alio quemque accipere, queis indigeret, ac viciſſim dare, nemine repugnare vel negare auſo. His talibus effecturum ſe ſperabat, ut omnes doli atque fallaciæ ex orbe terrarum tollerentur. Contra quam ſectam prolixe diſſeruit *Mentius*, ac primum oſtendit, in orbe neceſſarios eſſe alios, qui mente; alios qui manu laborent. Illis rerum majorum curam attribuit, his minorum. Mente laborandum iis, qui ſcientiis ac virtuti ſtudent, ut omnibus proſint; manu vero mechanicis ruſticiſque. Tum conveniens ait eſſe, ut illi ab his alantur, quippe quos doceant ac regant. Hinc tributa pendenda eſſe conficit, quorum uſus ſit, ſuſtentare Præfectos, & malis reipublicæ, qualia ſunt bella, occurrere. Multa denique proponit eorum exempla, quibus ad pauca tantum

Secta Philoſophorum laborioſa.

Cui omnia communia.

Refutata à Mentio.

 agri

agri jugera colenda nunquam otium fuit, univerſæ reipubl. prodeſſe ſtudentibus, mortalium bono, quibuſcum male agitur, ubi ſumma rerum labat. Hoc enimvero magnorum virorum opus eſſe, hunc laborem; afflictari contra, quod pauca terræ jugera obſoleſcant incultaque ſint, eam hominis plebeji & agreſtis triſtitiam eſſe.

Itii Philoſophia æqualem amorem ſtatuit.

In alia hæreſi fuit *Itius* Philoſophus & antiquæ *Mei* ſectæ reformator. Huic placebat unum inter omnes homines atque communem amorem eſſe, ita, ut nemo plus parentes, quam conſanguineos amaret, aut reliquos homines; ſed prius tantum ordine, non item intentius. Improbat hoc extremum *Mentius*, arguens hinc, amoris in homine duo fore principia; unum quo prius, alterum, quo intentius parentes diligendi; quod à recta ratione ſit alienum. Vnum enim duntaxat amoris à Cælo nobis indictum eſſe principium, quo amore ſimul omnes eodemque tempore complecti liceat, etſi adverſus parentes ſit ac conſanguineos intentior. Atque de Philoſohis Sinenſibus ſatis fere, imo pro tempore nimis fortaſſe multa diximus. Omnes enim hæ ſectæ jam interiere, una tantum literatorum reliqua, de qua ſub *Confutio* eſt à nobis narratum.

Sucinii Philoſophi faſtuo.

Iiſdem temporibus *Cinum* regem convenit *Sucinius*, Philoſophus ſupra modum arrogans, & artis fiducia ſubnixus, ei ſuam operam ſpopondit; viam ac rationem oſtendens, quî totius imperii potiretur.

Repulſa.

Rex, ut Philoſophiæ contraria docenti, regnorumque turbatori à ſe ſpreto mox abitum imperavit. Ille injuriæ impatiens in vindictam exarſit eouſque, ut iræ ſuæ, quacunque ferret occaſio, litare certum ei eſſet, etſi totius regni exitio. Ingentem igitur tragœdiam fallaci facundia, qua pollebat, orſus, totam fere Sinam omneſque regulos perturbavit.

Vindicta.

Primum egreſſus regno, per *Chao* regnum iter habens, ad *Uencungum* regem, cui parebat *Yen* regio, contendit; & ad ejus amicitiam obrepens, captata occaſione ſic eum alloquitur.

Conſilium.

Quod regnum tuum tibi tranquillum ſit, nec arma Cini *regis infeſta, rex optime;* Chao *regi*

debes.

debes. Hic enim inter te Cinumque *medius eſt pro muro tibi. Reſtat hoc unum, quo diuturnitati otii rerumque tranquillarum magis conſulas, ut ad ejus amicitiam te ac neceſſitudinem aggreges, eo pacto, ut mutuis vos armis tutantes, ſimul etiam* Cini *regis potentiæ reſiſtatis.* Placuit *Uencungo* conſilium; ipſumque *Sucinium* ad hanc ſocietatem firmandam ampla cum poteſtate legat. *Legatio.* Qui poſtquam ad *Chao* regem pervenit; è dignitate rem agens, ita locutus eſt. *In medio poſitum & apertum eſt, rex, inter ea, quæ vergunt ad orientem, nullum regnum tuo firmius eſſe, nullum potentius. At illud quoque fatendum eſt, quia* Cin *regnum eſt ei confine; periculis opportunum, nec unquam ſatis cautum eſſe rebus tuis. Non enim te fugit, quam avara deſtinatione* Cin *immineat imperio; ſi tamen tranſitus per nobiliſſimam ditionem tuam ſit ei clauſus, nunquam par ad ſpem victoriæ. In omnem igitur eventum viribus oportet inſtructum eſſe te; quæ ut ſufficiant tibi, ea de cauſa* Yen *rex ad te miſit me legatum, offerens arma ſua, ſi forte* Cin *bellum moveat. Sin animus eſt, non vi tantum reſiſtere, ſed etiam invadere penitus delendum; mea fert ſententia,* Guei *&* Han *reges ut ad ſocietatem fœderis invitemus. His namque debes, quod ab illo nihil adhuc experta ſit hoſtile ditio tua; ſatis gnaro; non paſſuros, occupato regno tuo, ſe tantas vires colligere. Quæ cum ita ſint; quo magis in tranquillo vivas, ſocietatem illorum ambiendam, icendum fœdus cenſeo, ut unius conatibus obuiam eatis omnes, communibus armis tutiores futuri.* Quod uni ſuaſit *Sucinius*, perſuaſit omnibus. Eo enim authore quatuor reges ſocietatem ac fœdus iniere; *Zu* & *Ci* regibus inſuper traductis in ſuam ſententiam. Percuſſo fœdere *Sucinius*, tanquam ejus dux & author, apud regem ſubſtitit; ibique allaboravit atque effecit, ut omnium regum copiæ convenirent.

Poſteaquam *Cin* rex compoſitum in ſe fœdus audiit; æſtuans contemplatione periculi, ſumme ſtuduit illud ante diſtrahere, quam coirent exercitus. Ac primo reges Orientem verſus remotiores miſſis legatis ac muneribus, ad fœdus deſerendum ſolicitans, *Ci* & *Guei* reges ab armorum conſilio revocavit. Nam &

Cinum timebant, viribus potentem ac robore militari; & legatorum muneribus exquiſitiſque rationibus flexi, cum præterea longius abeſſent, facile neglexere fœdus. Dein eodem tempore, magna celeritate collecto ingenti exercitu, repente, ne fœderatis regibus conveniendi ſpatium eſſet, *Chao* regnum ingreditur; obtendens, invidiæ vitandæ, non hoſtem ſe veniſſe, ſed ut ab hoſte pœnas expeteret ac turbatore regnorum. *Sucinium* notabat, quo necato vel proſcripto non dubitabat fœdus nullo negotio ſolutum iri. Oppreſſus inopinato malo *Chaus*, ac tantam belli molem in ſe unum converſam videns, *Ci Gueique* regum fide primum conqueritur. Qui cum adeſſe nollent, quod iniquum eſſe dicerent, ſubditos ſuos *Sucinii* unius hominis cauſa vexari; rex omnem iram in Philoſophum, ut malorum omnium cauſam, vertit. Is conſcientia ſceleris ſibi timens, orat, ut legatus ad *Ci* regem mittatur, vacillantem amicitiam ſtabiliturus, atque ut inde mitterentur auxilia. Quo poſtquam pervenit, regis juſſu captus, ac velut reipubl. turbator, impoſtorque morte multatus eſt. Cujus rei nuntio ad ſe perlato *Cin* rex, victorem exercitum quam primum reduxit domum, ne, ſi proferret armorum felicitatem, aliena regna videretur, non juſtam à *Sucinio* ultionem expetiiſſe. Quam opinionem niſi evelleret ex hominum animis; nihil proclivius erat, quam aliorum regum arma in ſe fœderaque concitari. Præſens tamen fœdus hac abſtinentia convulſum eſt. Hæc acta ſunt anno iſtius Imperatoris ſeptimo atque trigeſimo.

Verum non diuturna quies ea regibus fuit; inſtaurato inter eos fœdere, ſociaque contra *Cinum* arma ferentibus. Unus *Ci* rex ad eorum cauſam ſe non acclinaverat, qua de re infra docebimus.

XXXV. IMP. XICINIUS.

Imperavit annis VI.

Cyclo 40. anno 38 ante Chriſtum 320.

X*Icinius Hieni* filius, ſolum Imperatoris à patre nomen accepit, nulla re geſta poſterorum memoriæ

moriæ commendabilis. Quanquam non defuit ei creſcendi è regum diſcordiis occaſio; niſi pro virtute ignavia fuiſſet, inſigni majeſtatis injuria.

Quinto hujus Imperatoris anno, poſtquam *Cini* regis potentia ceteris regibus jam formidabilis eſſe cœpit; quinque ſimul in eum conjuravere, *Zuus*, *Chaus*, *Hanus*, *Gueius*, *Yen*. Contra quos omnes collectis copiis ac viribus *Cinus* profectus, atroci commiſſa pugna quinum exercitum fudit, ingenti eorum ſtrage. Hominum triginta millia cæſos reperio. Et ſi *Cinus* victoriam proſequeretur, ad quinque regna potienda patebat ei plana nec uſpiam impedita via. Sed ille tum quidem compeſcuit impetum victoriæ, regibus pacem orantibus id tribuens; & quod affulgeret occaſio novas regiones ad Occidentem verſus occupandi, queis dici vix poteſt, in quantum ſuas vires auxerit. Ex hac tamen, quam reportavit à regibus victoria gradum fecit ad omnem ſubigendam Sinam *Cini* regis familia. Sed hac in præſens relicta, illum in Occidentem ſequamur.

Bellum & victoria unius regis adverſus quinque.

His temporibus regiones Occidenti obverſæ, quas nunc ambitu ſuo *Suchuen* provincia complectitur, nondum imperio Sinico annumerabantur. In illis dominium penes duos dynaſtas erat; quorum alter *Pa*, alter *Xo* vocabatur. Ii ſub hoc tempus acri diuturnoque bello inter ſe diſtracti, quod utrique *Cin* regnum erat vicinum, miſſis ſeparate legatis *Cinum* regem rogant auxilia. Opportuna regi legatio fuit. Nam ob eas regiones, ut eſt dictum, cum devictis quinque regibus pacem fecerat; ſpe duplici jam ſubnixus, & ferendis alteri ſuppetiis, & alteri negandis, ſine dubio victor. Et ſtetere pro *Pa* contra *Xo*, regis arma; miſſo exercitu, cui *Zoum*, Præfectum militum, ducem præpoſuit. Id ægre ferens *Changius*, & ipſe regiarum copiarum Præfectus, ſive quod eum honorem ſuis meritis deberi crederet, ſive quod ex alieno bello nihil emolumenti regi ſuo ſperaret, an quia mallet in reges arma protolli, ſic *Cinum* alloquiquitur. *Minime te fugit, optime rex, honores, famam & magni nominis exiſtimationem in veſtris aulis*

eſſe quærendam ; in nundinis contra mercimoniiſque lucrum. At nunc regna ſunt, imperiumque adeo ipſum venale. Hic, ſi potentia prolixior, ſi nominis celebritas eſt cordi, mercare ; laxaque impetum armis victricibus, per quæ non eſt ambigua tibi ad imperium via. Cur elabi ſinis felicitatem ſponte venientem è manu? ecquod tibi negotium cum terris barbaris, cujus obſequio ſe proſternit id, quod eſt majus terris omnibus? Optarem ſane, ô rex, Han *regnum potius abs te occupari ; quippe qua patet aditus atque ſucceſſus ad ſummum faſtigii. Quod ſi tibi lucrum erit, uti debet eſſe, curæ ; næ tu non omnes modo merces in his nundinis, ſed ipſos etiam mercatores facies juris tui.* Atqui *Zoo* mens alia fuit, &, *Qui regnum*, inquit, *vult opibus creſcere, terminos ejus ampliare atque proferre debet ; qui vero fortes optat generoſoſque milites, frequentem populum eumque divitis abundantem ut habeat, operam dare ; qui denique regnare cupit, in augendis perficiendiſque virtutibus occupari. Hæc tria, qui conſecutus erit, is facile potietur imperio.* Xo *regnum à Sinarum regnis diverſum, abundat quidem divitiis ; verum tyrannice, impetuque magis, quam ratione gubernat populos. Illo triumphato ſanctiſque moribus exculto, in melius traducti regni nomen habebimus, & ingens ex eorum opibus compendium. Nemo nobis invidebit, nemo indignabitur, non aliam ob cauſam illud in ditionem redigentibus, quam ut barbaros ejus mores Sinicis legibus mitigemus. Contra ſi* Han *regnum ſubactum imus ; totius orbis in te concitabis arma, pii quoque regis amittendo nomine, ac nullo fortaſſis emolumento, cunctis regibus in nos atque ipſo Imperatore conſurrecturo.* *Cinus* haud aſpernatus recta ſuadentis orationem, duceret ergo in *Xo* exercitum, imperavit. Quod & fortiter ab eo præſtitum & feliciter, occupato toto regno interfectoque rege. *Pa* vero, ut inter eum regemque *Cinum* convenerat, ultro in illius imperium clientelamque conceſſit.

Inter hæc *Guei* rex è vicinitate *Cini* poſt acceptam ſuperiorem cladem ſibi ac ſuis rebus timens, ut in quiete & otio regnaret, nec de toto regno periclitaretur ; ei ſe tributarium fecit, omne obſequium promit-

tens

tens non aliter atque Imperatori, ſimul & amicitiam illius ambiens. Omnia *Cinus* ei tribuit, maxime lætus, per amicum jam tributariumque regnum facilem ſibi patere tranſitum ad reliqua Orientis regna ſubigenda. Quod & factum, ut ſub inſequenti Imperatore videbimus.

XXXVI. IMP. FOUS.

Imperavit annis LIX.

Cyclo 40. *anno* 44. *ante Chriſtum* 314.

FOus Xicinii filius multis quidem annis Imperatoris nomen habuit, at nullo ſplendore majeſtatis; amiſſis demum omnibus, à *Cino* rege captus, & in ordinem redactus, ut oſtendetur infra.

Primo hujus Imperatoris anno *Cinus* per tributarium *Guei* regnum iter habens, contra *Ci* regem arma movit, palam prædicans, Sinarum ſe imperium occupatum ire. *Cius* hoſti tanto impar, quo tamen ei reſiſteret, *Lu* regem ſolicitat, conjunctis viribus vim depulſurus. Præterea miſſo ad *Zu* regem legato rogat, ut *Cin* regnum invadat, debilitandæ regis potentiæ, copiiſque divertendis. Pollicito *Zu* rege ſuppetias, *Cinus* rerum ſuarum trepidus, in id ſtudio omni incubuit, ut amicum ſibi *Zuum* ſervaret, novamque ſocietatem diſtraheret. Ad eum igitur & ipſe legatum mittit *Changium* præfectum magna prudentia nec minori rerum uſu inſignem. Hic ubi pervenit ad regem, *Ad te*, inquit, Cinus *frater tuus, rex meus me miſit, amicitiam tuam expetens; ſimul ut à* Ci *rege, ut hoſte ſuo digrediare. Quod ſi poterit abs te impetrare, regni ſui, qua tuo vicinum eſt, partem offert ſtadiorum ſexcentûm; ac præterea* Ci *regis filiam excellentiſſimæ formæ, quam tenet adhuc in regia ſua, captam bellis ſuperioribus.* Hæc pauca regi legatus; at Præfectorum animis longe prolixius atque ſagacius incubuit, eorum præſertim, quorum gravior erat authoritas apud regem. Pleroſque fere omnes muneribus corruptos eo inclinavit, ut eorum inſtinctu *Cius* cum *Cino* pacem vellet. Hic enimverò triumphare gaudio Præfecti omnes in concilio præter unum *Chinchinum*, qui demiſſo

demiſſo vultu geſtuque triſti, ſecus ſentientis indice, regis inconſtantiam haud obſcure damnavit. Et ille hoc animadvertens, cauſam ex eo ſciſcitatur, cur unus aliorum non ſequatur ſententiam? *Chinchinus* quod mutis ante ſignis oſtenderat, nunc ore promens, *Quod te*, inquit, *ô rex*, *afficiat honore* Cinus *æſtimetque magni*; *cauſa inde eſt*, *quia tibi cum* Ci *rege fuit amicitia. Nunc repente cum fortuna ſua mutatus ſuadet*, *ut eundem deſeras. Ego vero etiam atque etiam conſiderandum putem quo* Cinus *hac petitione ſpectet*, *quidque velit. Partem promittit tibi regni ſui*, *ſi jus amicitiæ violes. Magnifica promiſſio! ſed vereor*, *ut fuco careat. Ni me fallit opinio mea, ſuis rebus ſtudet non tuis*; *eo tendit*, *id agit*, *ut*, *qua regnas Boream verſus*, Cium *hoſtem habeas*, *quo dein expeditius ipſe per occidentalem tractum ſubeat tuum regnum. Omnino diſplicet hæc pax mihi*, *quæ ſine magno periculo tuo coagmentari non poteſt. Timeo*, *ne utrumque hoſtem tibi hac amicitia facias.* Cius *ſane fidem tam leviter abs te fractam*, *non feret*; *&*, *ubi diffidet rebus ſuis*, *ad* Cini *ſe amicitiam conferet in perniciem tuam.*

Salutare ſine dubio conſilium erat; ſed neglectum tamen *Zu* regi, plurium ſententiis adhærenti. Hanc autem amicitiam diſcidiſſe, viſa *Changio* pars victoriæ; cujus ſpem ut exaggeraret, inter *Zuum* ac *Cium* excitatis inſuper odiis bellum hac arte conflavit. Multos dies in urbe *Zui* regia moratus, nunquam regem adiit; queſtus etiam privatis ſermonibus, eum non vere *Cii* amicitiam videri, ſed ſimulate tantum exuiſſe. Parum ipſi fidei habendum; quin timendum potius, ne acceptis à *Cino* rege terris, male diruptam cum *Cio* ſocietatem conglutinet denuo conſocietque ſua cum illius armis. *Zuus* à corruptis Præfectis ea de re admonitus, ſi illud eſt cauſæ, inquit, quod *Changius* me non conveniat, differatque promiſſa regis ſui, quia timet, ut *Ci* regis amicitiæ penitus renunciaverim; faciam, ut intelligat id à me cum fide factum. Itaque ad Aquilonis regiones primo ponit præſidia; deinde miſſo legato conditiones pacis apud *Cium* reſcindi jubet; imo papyrum, in qua erant exaratæ,

Fraus Changii legati.

exaratæ, inſpectante rege concerpi. *Cius* acerbitate inſolentiſſimæ contumeliæ accenſus, eaſdem pacis conditiones, quas penes ſe habebat, ſcindit iraque fervens, legato *Zu* regis juſſo faceſſere, mox ad *Cinum* ipſe legatum dimittit ſupplicem ac pacem oraturum; *Guei*que regis exemplum ſecutus, ultro ſe illi ſtipendiarium facit, ſine vi, ſine armis, ex unius *Changii* conſilio ac fraude potius in tantum creſcenti. Tunc demum *Changius*, ubi deſtinata proceſſerant è voto, diſcedit è *Zu* regno, ducens aſſignatos ſibi homines ſecum, queîs promiſſa terræ *Cinæ* ſtadia ſexcenta traderet. Sed ingreſſus regnum, jamque in tuto agens, ridet comites ſuos, &, *Accipite*, inquit, *hæc ſexcenta terrarum ſtadia*; (montem digito monſtrans) *quæ regi veſtro promiſi.* Hunc in modum deluſi ad ſuum regem redeunt, admonentes de *Cini* perfidia. Qui ultionis inardeſcens cupidine, quam primum infert ei bellum; at regnum ingreſſus, & ab ejus Præfectis ſuperatus, ignominioſam ſibi, ſed neceſſariam pacem petiit. Quod ſane bellum nunquam ſuſcepturus erat, ſi *Chinchino* paruiſſet, ſaluberrime ſuadenti, ut *Cio* potius, quam *Cino* intentaret arma. *Satius mihi videtur*, ajebat, *uti* Cio *moliare bellum, quam finem ponas amicitiæ, quæ cum* Cino *tibi adhuc eſt in integro. Plus enim inde terrarum ſperare licet, quam ſi ab eo ſexcenta ſtadia accepiſſes.* At ille, velut ante bene monentem ſpreverat, ita nec jam ſalubris conſilii patiens fuit, magno ſuo malo.

Interea *Cius* omni metu ſolutus, quippe qui jam in *Cini* regis eſſet fide & clientela, accitis ab eodem auxiliis adverſus *Yenem* regem arma captat. Nec *Cino* improbata ea molitio, cujus conſilium eo ſpectabat, ut regna mutuis regulorum armis feſſa poſtmodum invaderet, ipſe vel in clientelam acciperet. Ac *Cius* quidem ſecundo Marte uſus, *Yenis* totum prope regnum occupavit; quem denique commiſſo apud regiam urbem prœlio victum morte affecit. Erat ei filius jam ætate provectior, *Chaus* nomine. Hunc igitur exercitus profligati reliquiæ civitateſque hoſti reſiſtere adhuc auſæ, patri ſubrogant; egregia indole, animi-

animique magnitudine hoſti, etiam victori parem. Poſt variam belli fortunam obvenit *Chao* victoria; devictuſque prœlio *Cius* regno pulſus eſt. Adſpirabat ad alteram victoriam *Chaus*, ipſum *Ci* regnum deſtinans armis palmaribus pretium; ſed, quia *Cinum* timebat, ſuſpenſo impetu haud dum maturo, intra ſui ſe regni fines continuit.

Illud potius eſt viſum, ut ejectis, qui ſupererant hoſtibus, late vaſtatum afflictumque paternum erigeret regnum, cui rei optimos undique milites duceſque collectos liberaliter ornateque tractavit; invitatis ad ſe præterea variis illo ævo præcipui nominis Philoſophis, & ubique diditam ejus liberalitatem atque munificentiam ſponte ſequentibus. Inductus eſt ad hoc conſilium à *Coqueio* Philoſopho, qui aptam ad rem præſentem narrans hiſtoriam, Rex quidam gaudebat olim, inquit, equis plurimum, quos undique adductos emebat quantovis pretio. Eaque propter homines certos è ſuis ſubditis in externa dimittebat regna, qui optimos equos quærerent, & in iis unum præcipue, quem audierat velociſſimum eſſe atque ante alios generoſum, & intra viginti quatuor horarum ſpatium mille curſu ſtadia emetientem. Quo denique reperto, ſed jam mortuo, ne prorſus vacui redirent domum, aureis quingentis emunt ejus oſſa, regique afferunt. Miratus ille inſcitiſſimam emtionem, primo iraſcitur; mox tamen audito eorum prætextu placari ſe ſinit, hanc facti ſui rationem reddentium. *Nos*, inquiebat unus ex omnibus, *nos, ô rex, omni quidem diligentia quæſitum, quem juſſeras, equum adeo velocem eundemque vivum nullum invenimus; ſcito tamen, vivos ejus indolis ad te brevi adductum iri. Cum enim percrebuerit te vel oſſa tanti emiſſe; profecto mercatores majoris lucri cupiditate allecti minime cunctabuntur vivos adducere.* Acquievit his dictis rex, eodemque anno tres emit equos, qui ultro adducebantur, eadem velocitate, quàm fuit alter, quem fruſtra quæſierat.

Hiſtoria de emptis equi oſſibus, & emptionis cauſa.

Admonitus hac narratione *Chaus*, quanto in honore habendi eſſent magno & excellenti ingenio peregrini; advenientes peregre doctos homines benigne

ac

ac liberaliter excepit. Quo factum, ut quam plurimi confluerent; quos inter *Yoÿus* nominatur, cujus opera quantum uſus fuerit, quamque res præclaras geſſerit, infra memorabimus.

Cinus interea *Changium* ſibi perquam fidelem cum legati poteſtate reges omnes adire jubet atque authorem eſſe ut ſibi tanquam Imperatori ſeſe ſubjicerent. Id ſi feciſſent, promittebat eorum ditiones in clientelam ſe acc pturum; ſin abnuerent, exitiale bellum ac vaſtitatem minabatur. Iamque nimia ejus potentia pleriſque formidoloſa erat; cum inſperata morte vitam ſimul & imperium, quod ad ſe trahere nitebatur, amiſit. Cujus filium, quem patri nec belli nec pacis artibus parem futurum crederent, omnes deſeruere, antiquo fœdere inſtaurato conjurantes in illius perniciem, ſi cui eorum tentaret bellum facere. At filius etiam patre fortior, avidiorque imperii, cognitoque fœdus contra ſe coaluiſſe, ac regulos patris ſui clientes à ſe deſciviſſe; confeſtim adverſus *Hanum* regem cum ingentibus copiis mittit Præfectos ſuos, & *Iyang* nobiliſſimam urbem, in qua magnum erat momentum ad ſubigendum imperium univerſum, obſidet. Quinque omnino menſes tenuit obſidio, tantumque laborem fruſtra ſumſerant miſſi duces; cum formidandus adeſt fœderatorum exercitus. Quem tamen *Cinus*, haud ſane ignavus aut timidus adoleſcens omnibus collectis viribus, eodem loci fortiter excipiens collatis utrinque ſignis victor, cecídit hoſtium ſupra ſexaginta millia. Tum demum obſeſſi facta deditione ſeque & urbem tradidere regi. *Cius Queius*que reges ſub imperio victoris obedientes ſe futuros denuo promittunt, præteritorum veniam rogantes. Quam ne *Cinus* negaret, magnum & anceps bellum fecit, quod in occidentali ejus regno exarſerat. Nam exteræ gentes aperto per *Tanyu* regnum tranſitu, jamjam ipſius regno imminebant. Quamobrem omiſſa victoria, ut illis iret obviam, tutiora ſequens, máximam exercitus partem reduxit, compoſita cum regibus pace. Sed qui hoſtes poterat vincere, nec armatos exercitus timebat; ab amicis propemodum ſubver-

Ingens victoria.

ſubverſus eſt, cum ampliſſimi regni amittendi periculo. *Mentangkiunii* cujuſdam ira. Ille quidem erat è *Ci* regno oriundus; ſed ob egregias naturæ dotes, & ſapientiæ opinionem apud *Cinum* regem proxime ſuperiorem ad ſummos honores pervenerat, factus Colaus. Sed enim quod plerumque ſolet, novus rex patris Præfectos parum æquis oculis aſpiciebat, & minime omnium ſummum Præfectum *Mentungkiunium.* Erga quem explorata regis voluntate, qui ejus felicitatem ferre non poterant, nec hominem exterum primam occupaſſe dignitatem; apud regem in perfidiæ ſuſpicionem vocant, prætexentes, *Eum è* Ci *regno eſſe, pro* Cio *multa agere. Timendum, ne, ſi luceat occaſio, amore patriæ actus in tranſverſum*, Cino *exitium moliatur. Denique homini extraneo parum fidendum.* Pronum erat ſua ſponte ac præjudicio incumbentem in ultionem meditati ſceleris impellere. Itaque ſumma eum Præfectura primo movet, alio ſuffecto; ruentemque delatores & invidi variis querelis multorumque criminum ſuſpicione oneratum, ut aſſolet, in ultimum conantur exitium provolvere. Quæ ille omnia, & pejora etiam ſagaci metu præcipiens, fuga, cantantis galli beneficio, ſalutem invenit. Alii dicunt, hominem fuiſſe unum è comitibus *Mentangkiunii*, qui cantantem gallum artifice lingua imitabatur. Ea res accidit in hunc modum. Noctu quadam fugienti tranſeundum erat propugnaculum. In eo mos erat, ut portæ non aperirentur niſi ad galli cantum. Hujus moris haud ignarus *Mentangkiunius*, ut inſequentium ſe manus effugeret, multo ante galli cantum vigilabat ad portas. Iamque imminebant, qui ad eum capiendum erant miſſi. Quo in rerum ſuarum articulo deprehenſus, ex ultimi diſcriminis ictu conſilium cepit, vel gallum, quem ſecum habebat, neſcio qua arte ſibi canere jubens, vel imitans ipſe canorum animal. Galli quidem, qui erant in propugnaculo, cognatæ vocis excitati præcentione reſpondebant, ut ſolent; & præſidiarii tempus aperiendi portas eſſe rati, nilque doli ſuſpicantes, *Mentangkiunium* tranſmittunt, inſequentium ſecurum.

Fuga galli cantu promta.

Hic

Hic itaque acceptæ injuriæ dolore calens, primo *Ci* regem ſuumque, ne *Cino* tributum penderet, ab eoque ſecederet, impellit. Deinde *Ci*, *Guei* & *Han* reges ejuſdem ſuaſu, ſuam inſuper operam appromittentis, miſſoque maximo exercitu non dubii victoriæ. Intenderatque ſpem eorum hoſtis ipſe, diſtrictus aliis in occidente bellis, & ægre tantis viribus par. Quo facilius ei, commiſſo per Præfectos prœlio, victoriam extorſit *Mentangkiuinius*; iniquis etiam conditionibus ad tres reges miſſa legatione pacis gratiam ab eis ambienti. Diſſuaſerunt multi Præfectorum; nec enim vires defuturas ſibi, quibus tres regulos vincerent, ſi modo tantum temporis detur, quantum erat ad milites à tantilla clade colligendos neceſſarium. Rex *Cin* autem maluit ſingulos reges in breve tempus aliquot terris ac libertatis umbra frui, quam ſummam rerum in diſcrimen conjicere: ſed Præfectorum conſilio favit regum ſuperbia, *Mentangkiunio* authore pacem cum *Cino* reſpuentium. Qua repulſa magis ille roboratus, *Croceo* ſuperato poſitiſque in occidentali litore caſtris tranſitum regibus occluſit. Ea demum fuit ad pacem via; in quam, ubi tranſire diu, ſed inani contentione tentaverat, conſenſere reges hac conditione; ut, quidquid terrarum *Cin* rex haberet ad uſque *Crocei* fontem, illis cederet. Annuit rex, pacemque necquicquam contra nitente *Mentangkiunio* obtinuit.

Sunlungi Philoſophi theſis.

His temporibus claruit *Sunlungus* quidam Sophiſta; cui multum loquentiæ, multum aſtutiæ, ſed ſapientiæ parum. Is tamen in publico Philoſophorum conventu ſolus ſuſtinuit hanc theſin, Hominem tres aures habere; & illam, qua audimus, aliam eſſe à duabus, quas videmus. Eaque de re tanta veritatis imitatione diſſeruit, ut nemo quiſquam ei contradicere ſit auſus. Vnde cum quis impoſſibilia vult probare vel rationi repugnantia, ex proverbii conſuetudine dicitur à Sinis, de tribus auribus diſputare. *Proverbium.*

Ci rex poſtquam à *Cino* ſeceſſerat, ſuique jam juris erat; in *Sung* dynaſtam bellum ſumit, gnarus militiæ, ac ſimul inquies; devictumq; omni ditione exuit. Nec contentus

tentus tot terris, & victoria elatus, *Zu* regi bellum facit, Imperatoris nomen affectans. Sed qui aliena quærebat, etiam ſua vitamque ipſam amiſit. *Chaus* enim rex *Yen*, quo de ſupra docuimus, ubi regem *Ci* aliis diſtentum bellis vidit; cum *Yoyo* ſummo Præfecto agitatis de eo debellando conſiliis, quantum maximum potuit exercitum conſcribit, cui ſumma cum poteſtate *Yoyum* præpoſuit. Adhæc *Guei* & *Han* ſuppetias petenti miſerunt; cunctis, quod *Cius* Imperatoris nomen uſurparet, indignantibus. Auctis igitur copiis *Yoyus Ci* regnum invadit, ingenti exercitu terribilis. Quem quidem *Cius* collectis omnibus viribus excepit, & ad ripam occidentalem *Ci* fluminis, à quo regno nomen, *Xantung* provinciam transfluente, congreſſus acie, horrendam cladem accepit, aliquot centenis hominum millibus cæſis; ipſe cum paucis fugiens, evaſit. Nunciata ſtrage regnum omne miſcetur. Invadunt urbem regiam hoſtes ipſi, captamque diripiunt, pretioſiſſima quæque ad *Yenem* regem tranſmittentes ex opulentiſſimo regis palatio. Tum *Yoyus* inſperatæ occaſionis luce victoriam longius latiuſque differendam ratus, miſſis variis ducibus, cunctas fere *Ci* regni urbes ad deditionem pronas occupat munitque præſidiis. *Minius* autem (nam hoc erat *Ci* regi nomen) ad auſtrales plagas *Kiu* dictas, *Zu* regno vicinas, ſe recepit. Inde ab rege petita illati belli venia, multaque promittens, ab eo flagitat auxilia. *Zu* rex occaſione rei bene gerendæ lætus, quippe qua *Ci* regnum occupari poterat per ſpeciem auxilii, *Naocium* mittit juſto cum exercitu. Ille ad ſe invitat *Minium*, obſequium omne promittit, at venientem perfide capit. *Yenem* deinde regem de regni partitione allocutus, *Minium*, majore ſe perfidia maculans, necat. Ita *Ci* regni terras, quæ ad Auſtrum jacent, *Zu*; quæ ad Boream, *Yen*, reges inter ſe partiti, ex unius ruina ſuo uterque regno firmamentum quæſivere.

Ingens clades.

Perſidia per ſpeciem auxilii.

Erat eadem tempeſtate in *Ci* regno Philoſophus quidam U*angxous* nomine, virtutis ac ſapientiæ fama inclytus. Hunc *Yoyus* omni modo ad ſui regis obſequium pellicere, miſſis primum literis perquam honorificis

norificis eum ad ſe invitans; recuſantem vero tanquam viſurus ipſe coram conventum velle. *Uangxous* contrà illius vitare conſpectum, nec uſquam parere. Tandem æger inexſpectata cunctatione *Yoyus*, regionem, in qua Philoſophus agebat, milite cingit, ultima minatus, niſi quam primum adſit, blandus tamen ſimul atque ad magni nominis præfecturam invitans. At *Uangxous* & minis & blanditiis intactus, maluit in ſui regis obſequio mori, quam ad *Yoyum* accedere; laqueo fidei ſuæ teſte vitam finiens. Miſer haud dubie, ac nihil minus, quam Philoſophus; facti tamen laudatores etiam inimicos habuit, more Sinico, ejuſmodi fidelitatem in ſuos reges permagni æſtimantium. *Yoyus* ipſe honorifica ſepultura affectum, monumento inſuper ornavit, ut inſignis fidei ad poſteros exemplum. Fuit hoc olim, & eſt etiamnum ex parte ſollemne Sinicis Præfectis fidelioribus, ut mortem ſibi conſciſcant, ne veniant in manus alicujus, qui eſt in ſui regis hoſtium numero, eique ſervire cogantur. Hoc enim à Sinis maxime probroſum habetur, ſi cum rege ſuo mori non præoptant, à quo præfecturam acceperant, quam regi victori ſervire, illique ſubjectos eſſe. Itaque ſatius eſt quam plurimis, glorioſe perire (ut ipſi putant) quam hac perfidiæ ignominia notari. Hinc ſtatuis, hinc fanis ad poſteritatis memoriam propagant atque produnt ejuſmodi fidem Sinæ, quam inter primas ſummaſque virtutes ponunt. Vidimus hac ætate multos, queis potior erat mors vel voluntaria, vel à Tartaris crudeliſſime oblata, quam ut illis ſe ſubjicerent, eorumve ritu, imperioque caput raderent.

Yoyi Philoſophi in fide ſui regis conſtantia;

Et mors ultronea.

In hunc modum *Ci* regnum peſſumdatum à diverſis hoſtibus, unius feminæ virtus & in regem ſuum amor utcunque reſtituit. Hæc memorandæ fidei matrona filium inter regios Præfectos numerabat haud ultimæ dignitatis, *Sunkiaus* erat ei nomen; occiſo rege ad matrem prudentia & ætate provectam confugienti. Illa de deſerto rege filium increpans, & ad fortiter agendum vel moriendum pro ſuo rege adhortans, *Malo*, inquit, *mihi non eſſe filium, quam infidum regi ſuo.* *Sunkiaus* pudore affectus, ac ſimul à matre animatus,

Matronæ fides rem Ci regi reſtituit.

tus, in publicum proruens inclamare cœpit. Naocius *Zu regis militiæ legatus regnum noſtrum contra jus faſque occupavit, occiſoque* Ninio *rege ſcelus auxit, perfidus in utroque. Quare cui fides in regem ſuum, cui regnum cordi, cui animus petendæ è* Naocio *ultionis; me ſequatur.* His dictis erecti multi, exponenteſque ſe ad utramque fortunam pro libertate patriæ, de improviſo *Naocii* domum invadunt eumque necant. Quo facto quamplurimi *Ci* regni incolæ ad *Sungkiaum* undique confluentes *Fachangum*, interfecti regis filium etiamdum latitantem, creant regem. Qui *Zu* regis præſidiis è ditione *Kiu* nullo negotio ejectis paternum regnum jam tum ex parte reſtaurare cœpit.

His auditis *Yoyus*, qui agebat in *Ci* regno Boream verſus, totius regni occupandi cogitationem ſuſcepit. Collectis ergo viribus, quantaſcunque habuit, in *Fachangum* movet. Ad primum expeditionis impetum deſtinata *Me* urbs maxima; quam obſidione premere paranti Præfectus urbis occurrit extra mœnia. Certatum utrinque fortiter; ſed cum *Yoyus* viribus eſſet ac virtute militari ſuperior, victus ille atque interfectus eſt. Milites duce deſtituti refugiunt in urbem ac jurejurando ſe obſtringunt ante morituros, quam ſeſe urbemque dederent. Ac primo ducem, cujus nutum omnes intuerentur, ſibi legunt uno omnes conſenſu militem gregarium, *Tientanum* nomine; ſed cui tunc prœlio nemo, conſilioque par habebatur. Interea moritur rex *Yen*; in cujus locum electus *Hoaius* illius filius, *Yoyo* non optime cupiebat, nimiam ejus potentiam ſuſpectans. Itaque nec ſubſidia mittit ei nec ſtipendia, ut ſolebat pater; quin etiam, qua licuit, ejus rebus obſtabat. *Tientanus* averſam regis ab *Yoyo* voluntatem, ſuam occaſionem ad res bene gerendas ratus, quam poteſt occulte, ne quà pateret conſilium ſuum, per fidiſſimos homines ſiniſtris ſermonibus *Yoyum* differt eatenus, quoad fama gliſcente ad regis aures jam pronas illius obtrectatoribus perveniret, *Yoyum* cum *Ci* rege occulta jam agitare conſilia, & ab illo regni partem petere; qua obtenta in *Yenem* regem meditata procederet rebellio. Quia

Fraude Yoyus ab exercitu dimovetur.

vero

vero metueret, ne rex *Yen* meritas à ſe pœnas ſumeret; idcirco *Ci* regno velut aſylo ſe tenentem, conſulto bellum trahere. Præterea *Ci* regi non ignotum, *Hoeum* ab *Yoyo* averſum eſſe, magno proin opere ſolicitum, & quamprimum cum *Yoyo* convenire velle; timere enim, ne illo remoto magis fidum ducem præficiat rex *Yen.* Cujus animum ab *Yoyo* jam abhorrentem iniqui rumores eo perpulere, ut virum ſibi fidiſſimum in regiam vocatum militari præfectura ſpoliaret, alio duce interim ſubmiſſo, *Kikieo.* Tum triumphare gaudio *Tientanus*, jamque victoriam ſibi quanquam à potentiſſimo exercitu promittere; ingenti atque unica ſolicitudine liberatus, quam *Yoyus* injecerat, exercitatiſſimus, omnibuſque partibus abſolutus non dux minus, quam miles.

Yoyus atroci injuria vulneratus ab rege, inconſulto juvene, vindictæ quidem impetum compeſcuit, traditoque in *Kikiei* poteſtatem exercitu ad *Chao* regem ſe recepit; ab eo perbenigne, ut tanti vir nominis exceptus. At longe alia rerum facies in exercitu erat. Is enim *Yoyi* ducis enixe amans factique indignitatem in ſeceſſionis titulum detorquens, rumpit obſequium, deſerto novo Præfecto, lectoque alio ſibi duce. Cumque ſeceſſiſſet illius maxima pars, ortis factionibus languebat *Me* urbis obſidio, quæ tamen paulo poſt accepto novo ab rege imperio, ſolutiſque ex integro ſtipendiis urgeri denuo cœpta.

Tientanus interea non modo milites, ſed & cives, imo mulieres quoque adhibet ad urbis cuſtodiam. Atque ut erat futuri perſagax, omnia prævidere, quæque *Yenis* miles tentaturus erat in obſidione, prædicere, nullo proinde negotio eludens omnes artes obſidentium. Qua re tantam militaris ſcientiæ famam obtinuit apud ſuos, ut jam illo duce erumpere geſtirent ex urbe poſcerentque prœlium. *Tientanus* videns, quantum ducis poſſet exemplum militiæ atque authoritas ſuoſque tam promtos eſſe, in quorum fide merito acquieſceret, primo paulatim ex urbe aufugientium fraude ſubornatos, debiles quoſdam viros feminaſque ac pueros emittit. Qui ab hoſte inter- *Stratagema obſeſſorum ingenioſum.*

cepti, res civitatis in calamitoſo ſtatu eſſe nuntiant; cives à deditionis conſilio proxime abeſſe, annonæ extrema penuria. His talibus auditis *Yenis* milites, tanquam res omnis eſſet in tranquillo, atque in manu victoria, læti ac ſine cura eſſe, ſtationes agere laxius, deſidiæque & otio ſeſe tradere. Interea *Tientanus* collectis, quotquot erant in urbe, vaccis, quarum erant plus quam mille, omnium cornua exacuta falce armat, veſtitque panno draconem ignitis coloribus referente, illitum pice ac bitumine ſtramen adnectens ad caudas. His cum cura paratis intempeſta cæcaque nocte per portas, perque alios exitus è mœnibus in id apertos, emittit vaccarum exercitum, fortiſſimorum militum quinque millibus ſequi juſſis, pendulumque de caudis ſtramen accendere. Interim in mœnibus horribili ſtrepitu tympana, cornua cupreæque pelves pulſari; confuſus etiam omnis ordinis ſexuſque clamor in cælum boare; vaccæ velut agitatæ furiis diſperſæ, quocunque furor impellebat, hac illac diſcurrere, & obviis quibuſque, quid ageretur, inſcientibus, arietatis in terram, falcibus & igne cædem maximam facere. Ad terrorem præcipue valuit earum ſpecies, quæ lemurum nocturnorum dæmonumve credita, illuni nocte ac ſpiſſis tenebris omnia in majus augentibus, obſeſſores ultimo pavore concuſſerat. Itaque milites inopinato malo attoniti, ſtationes deſerere, diſperſi inordinatique confuſe hac illac diſcurſare. Vnde vel à vaccis vel à militibus, qui eruperant, occiſione occiſi ſunt, reliquis caſtra impedimentaque deſerentibus ac de ſola vita ſollicitis. *Tietanus* videns è ſententia ſtratagema procedere, repente adeſt cum omnibus copiis, inſtatque fugientibus, & ſtragem propagat. Tum caſtra civibus diripienda permittens, ipſe cum ſuis utens victoria, fugientes omni præciſa mora inſecutus intra breve tempus urbes amplius ſeptuaginta occupavit. Hac enim nuntiata clade *Ci* gens omnis conſurgit in præſidia; necatiſque aut ejectis hoſtibus *Ci* regnum ad *Fochangum* rediit, *Siangum* ſe inde volentem appellari. Effuſis igitur omnium gaudiis è *Kiu* ditione veniens exceptus, accepti beneficii memor, *Tien-*

tano

tano principem regni præfecturam committit, omnem exercitum ſubjungens ejus imperio, nunquam marcente gloria, qua maxime florebat, de quo plura infra.

Chaus rex pretioſum habebat lapidem à Sinis *Yu* dictum, è quo Sinici Imperatores regium ſigillum conficiunt. Refert alabaſtrum fere vel gagaten, etiamnunc ad Sinas à Mauris è regno Caſcare afferri ſolitus. Sed ejus præcipue magnitudo in pretio eſt, &, ſi quadratum æquet, cujus latus unum non ſit dimidio dodrante minus, tunc enimvero immenſi eſt valoris, ac ſolo Imperatore dignus. Talem ergo cum haberet *Chaus*; *Cin* rex miſſo legato quindecim civitates, ſi eum ſibi tradat, pretium promittit. Quo audito *Chaus* *Cinum* regem belli occaſionem quærere non dubitans, è *Siangio* conſultiſſimo Præfecto fidoque inprimis, quid ſibi agendum, percontatur. Cui *Siangius*, *Facies*, inquit, *quod voles, rex*; *ſed, ſi alterutrum è duobus feceris, tuo malo facies. Si enim petenti* Cino *lapidem negas, apud eum offenſam ſuſcipies; ſin oblato lapide promiſſas civitates tradere ſuperſederit, pravum illius animum technaſque cognoſces. Mihi tertium quiddam eſt in mentem, ut lapidem in meam mihi fidem tradas, & vel hunc vel quindecim civitates à me repoſcas.* Non ægre perſuaſit hoc regi, acceptoque lapide ad *Cinum* legati nomine tetendit. Ipſe quidem regiam urbem ingreſſus, at in regni confinibus certos homines juſſerat ſubſiſtere, illis tradito clam lapide. Poſthæc ad regem adiens, promiſſas urbes petit; quarum jus ſi ſuo regi cederet, lapidem in promtu fore. Cunctante *Cino*, quod à *Chao* lapidem ſibi dono datum iri ſperaverat; *Siangius* ad eos, qui lapidem attinebant, nuntium mittit, jubentem quamprimum illum ad *Chaum* referre. Ipſe aliquamdiu in *Cini* aula commoratus tandem admonet ſe remiſiſſe lapidem, eo quod nec ipſe ſteterit promiſſis. Iratus primo rex, quod ſe inconſulto lapis remiſſus domum eſſet, mortem ei minatur. Cui *Siangius* intrepide, *Mihi vero pulchrum erit*, inquit, *pro fide adverſus regem meum inſontem ſpiritum impendere; quod tibi viſum eſt, age.* *Cinus* cognita *Siangii* fidelitate at-

Lapidis pretioſi audax poſtulatio eluſa.

que conſtantia placatus, muneribus affectum incolumemque dimiſit. Eſt nunc apud Sinas in proverbio, cum rarum aliquid pretioſumque laudare volunt, ut dicant quindecim urbes valere.

Proverbium.

His temporibus, ut dictum, penes Imperatorem una cum Imperatoris nomine inſignia ſimul erant imperii; quin imo ea ipſa eſſe, quæ ab *Yo* facta ſunt vaſa, multi ſuſpicabantur, nec vera, ſed ficta atque ad illorum formam figuramque expreſſa, in *Su* lacu demerſa, reguli credebant. Quam enim non veroſimile, cum ea eſſent inſigne imperii, maximaque apud Sinas in veneratione, nec niſi qui ſervaret illa, Imperator appellaretur, nullo digno operæ pretio, abjecta eſſe? Quare *Zu* rex horum vaſorum cupidine allectus, & hæc & alia imperii ornamenta per vim, illato Imperatori bello ſtatuit ad ſe trahere. His enim potitum Imperatoris etiam dignitas atque majeſtas continuo ſua ſponte ſequebatur. At unus ex ejus Præfectis ſalubriora ſuadens, *Quo tibi affectas imperium*, inquit, *cujus amplitudo jam vix in centum ſe diffundit ſtadia? &, ut illud obtineas; quod incrementum accedet inde tuo tam amplo, tam longe lateque diffuſo regno? Populus, qui ei paret, ad exercitum tuum adeo numeroſum præter inutilem numerum, neque hunc obſervabilem, nihil addet. Tam tenui victoriæ præmio propoſito, perduellis notam nomini tuo inurere non times? ſcio te ſola Imperatorum vaſa ornamentaque ambire: hæc vis armorum tuorum eſſe pretium, ut aliorum in te regum concites arma? Quiſque ſtabit ab Imperatore tanquam à te affecto injuria; quiſque pro ſe ditiſſimum tuum regnum invadet. Si nunc omnes unam putremque tigridem* (diminutum imperium notat) *quæ nulli jam uſui, nec in unius cœnam ſufficiant, tanto ſtudio venantur tantum ob antiqua vaſa; quid illos deinde facturos putas, poſtquam ea in ingenti tuo regno, velut in pinguiſſimo cervorum grege eſſe cognoverint?* His aliiſque rationibus rex victus *Zu* ab incepto deſiſtit.

Contentio pro vaſis regiis.

Interea *Cin* rex confectis omnibus in occidente bellis, hoſtium ex ea parte ſecurus animum denuo ad imperium obtinendum adjecit. Commodiſſimus ad imperii ditiones tranſitus erat per regnum *Chao*; cujus

jus proinde regem ſtuduit omni officio ſibi demereri & amicum facere. At ille quamvis amicitiam non abnueret, tranſitum tamen negavit; aliorum regum fœdus, quod omnes inierant, in quibus & ipſe, novis conſiliis opponens. A repulſa igitur ad inſidias verſus, cum palam non auderet in *Chaum* inſurgere, ne collectas fœderatorum vires in ſe unum armaret; ſimulata amicitia regem parat occidere, quo pronior eſſet in vacuum regnum irruptio. Itaque ad regni tendens confinia, quamque fieri potuit occultiſſime magno exercitu vicinis in locis diſpoſito, cum paucis dein progreſſus venationis ſpecie, *Chaum* regem, ut ejus conſpectu fruiturus, ad ſe invitat, amicum amice. Cohibuit primo aſſenſum *Chaus*, aliquid ſiniſtrum timens. Sciebat enim *Cinum* regem ex occulto iratum ſibi, quod illo ſpreto cum reliquis regibus fœdus pepigerat. Ergo cum Præfectorum fidiſſimis *Siangio* ac *Lienpoſo* conſilia confert de eo, quod agendum eſſet in præſens. Illi, *Cinum* viſendum omnino ſuadent, quia, ſi omitteret hoc ſalutationis officium, ſe illius hoſtem non obſcure declarabat. Sed & modum, quo ire debeat, docent; hortantes ut ante in omnem eventum filium regni ſucceſſorem deſignet, quo facto ſpes omnis *Cino* præcideretur. Nam ſiquid perfidioſe tentaret, regnum tamen haud vacuum reperturum eſſe. *Siangius* autem iret cum rege, *Liempoſo* apud filium manente regnique rebus proviſuro, prout uſus foret. Itaque factum, & *Chai* filius in regem electus, omnium ordinum conſenſu dataque fide regni heres ac ſucceſſor agnoſcitur. Interea *Siangius* ſelectiſſimos militum, armis clam bene munitos, ſeque jubet ac præcipue regem comitari, famulorum ornatu, quo tutius lateret conſilium; promtos interim ac paratos ad omnia futuros, præcepto etiam ſigno, quo admoniti confeſtim arma capeſſerent. Vbi reges in mutuum venere conſpectum; primo ſeſe comiter conſalutant. Tum deinde *Cinus* inſtructo convivio paucis ſuorum adhibitis, nequà in ſuſpicionem devocaretur, inter epulas ex deſtinato in *Chaum* regem acribus verbis invectus, quod ſe deſeruiſſet, hoſpitem

Sinus *inſidioſa invitatio.*

Prudens fidumque conſilium.

aperta contumelia violavit. *Siangius*, qui regi ſuo adſtabat, ſemper, at nunquam magis fidus, quam cum ejus ſalus ageretur, de injuria, deque violato hoſpitii jure queſtus, iratuſque *Cinum* ſumma libertate alloquens, *Poſtquam rex meus adeo tibi contemtus eſt*, inquit; *vide, ne hoc quinque paſſuum atrium tuo tuorumque ſanguine paulo poſt natet.* His minis exciti *Cini* regis famuli ad arma reſpexere, quorum impetum tamen *Siangius* atroci ſupercilio compeſcens incuſſoque terrore, ac dato ſigno ſuos in armis eſſe jubet. *Cinus* & contemtu ſui furens eo magis, quod venerat à minore; quique famulos inermes eſſe crediderat, ſe potius deceptum videns, periculi præſentis imagine perculſus, ac multum timens exceſſit è triclinio. *Siangius* ſuos injuriam ferro perſequi parantes, vetuit, ne illum occiderent, ſibi ſatis atque abunde factum dicens, quod regem ſuum incolumem ſervaverit. Nec enim eo ſe ad lædendum regem veniſſe.

Modeſtia Siangii.

Chaus domum reverſus, ſummam *Siangii* fidelitatem æſtimans, pari honore cultum, Colaum regnive adjutorem fecit. Quam dignitatem habuit adeo moderate, ut æmulos quoque & culmini ejus inſidiantes, comitate ac modeſtia demulſos, beneficiis inſuper amicos fecerit ſibi. *Lienpoſus* inprimis, de cujus fortitudine, bellique peritia multa Sinæ, prælatum ſibi *Siangium* indigne ferens, in omnes occaſiones intendit animum æmulo ſuperiori officiendi. Quo animadverſo *Siangius* ubique congreſſum ejus fugere; cum *Lienpoſus* palatium ingrederetur, ipſe alio diverti; ne, ut mos erat, alter alteri decedere ac primas dare cogeretur. Atque etiam in plateis curru vectus, ſi forte obvium haberet, eandem ob cauſam declinabat. Reliquis Præfectis de hoc *Siangium* ut nimis timidum atque demiſſum ridentibus; ipſe forte quadam in eorum corona, *Quod noſtrum regnum*, inquit, *eſt ab inſidiis atque irruptionibus* Cini *regis tutum & incolume; cauſa eſt illa, quia ſcit hic rex* Lienpoſum *meque una in hoc regno eſſe. Si nos duo concordia non ſimus conjuncti; ſed ſtudiis potius diſſenſionis diſtracti, ſimultates exerceamus, in quibus regni*

ſalus

ſalus nititur; extremum ei impendet diſcrimen, haud alii cauſæ, quam diſcordiæ noſtræ imputandum. Regis regnique commodo, non ſum in ſimultate cum Lienpoſo, *fortiſſimo ac generoſo viro; privataſque injurias publicis utilitatibus libenter ſubmitto. Lienpoſus* de hac æmuli ſui modeſtia edoctus, vehementer erubuit, & ad pœnitentiam verſus, nudum corpus ſpinis veſtiit, eoque habitu proceſſit ad *Siangium*, præteritorum veniam petens. Ita è mutuæ modeſtiæ certamine concrevit inter utrumque amicitia lapidea, ut Sinæ loquuntur, hoc eſt, firmiſſima nec facile ſcindenda; evidenti documento, plus beneficium in æmulos poſſe, quam injuriam.

Modeſtia ex æmulo facit amicum.

Amicitia lapidea.

Nunc ad *Tietanum*, quo de ſupra diximus, nos revocat hiſtoria. Is regno *Ci* reparato firmatoque felix, ad invadendum *Yen* regnum animum applicuit. Omnium primo *Tie* urbem attenta obſidione cinxit; adhibito tamen prius in conſilium *Chumlieno*, viro *Ci* regni conſultiſſimo. Hic futuri perſpicax, *Tu quidem*, inquit, *oppugnabis hanc urbem; at non occupabis.* Quo audito *Tientanus* ira faſtuque plenus, *Chumlieno* reſpondet in hunc modum. *Ego ille, qui non ſane copioſo milite* Ci *regnum uſquequaque jacens reſtitui, qui ex eodem regno* Yenem *hoſtem feliciter ejeci, qui pluſquam centum civitates ad mei regis obſequium reduxi; nunc tanto ſtipatus exercitu eoque victore unam* Tie *urbem non ſubjugabo?* Hæc locutus inſalutato *Chumlieno* indignabundus inde ſe proripuit, ac *Tie* ipſos tres menſes fruſtra circumſeſſa, metu ſimul ac pudore confectus *Chumlienum* conuenit, jam in mœrentis humilitatem ſubmiſſus, &, unde coguoverit ea obſidione urbem à ſe non capiendam, rogans. Tum ille: *Quo tempore*, inquit, *optime dux, in urbe* Me *privatus agebas miles; corpus militaribus exercitiis domabas, procul deliciis, quas, ſi quando affluerent, etiam abs te repuliſti. Ante cibum arma, poſt cibum arma tractabas; vitæ contemtor, periculorum ipſiuſque mortis impavidus. Poſtea vero, quam à rege amplos honores, terras ac reditus accepiſti; nil præter voluptates cogitas, mortem rerum omnium extremum times, majores honores ſperare vix audes, accedente inſuper*

Libera commonitio.

per carnifice metu, quæ habes, amittendi. Hi ſunt cuniculi, queîs antiquam tuam illam fortitudinem ſubruiſti. *Tientanus* his auditis, *Egregia,* inquit, *ac ſanctitate plena oratio. Nudaſti mentem meam non ſecus, atque ſi eam introſpexeris. Sic eſt omnino, ut dicis; nec ego committam, ut te pœniteat libertatis atque conſilii tui.* Nec mora, eoque ſalvere juſſo ad exercitum redit, omnibuſque miſſis, quæ luxui ſervire poterant, exercitationes campeſtres etiam infimæ ſortis retractare cœpit. Quo factum, ut reſtituta militari diſciplina, intra paucos dies *Tie* potitus coëgerit *Yenem* regem à *Cio* pacem efflagitare.

Commonitum emendat.

Et victorem facit.

Ceterum non ſola bellica virtute *Tientanus*, ſed etiam pietate erga pauperes ac milites inclaruit. Neminem nudum videbat, quin veſte donaret; neminem famelicum, quin cibaret. Ad ægros ipſe inviſere, conſolari, &, ſiquid deeſſet, providere. Quibus rebus tantum ſibi civium ac militum amorem conciliavit, ut *Ci* rex timeret ne ſolicitatis illorum animis invadendi regni conſilium ab eo conquiretur, inuſitatis obſervantiæ amoriſque ſignis intumeſcente. Qua tamen ſuſpicione perquam dextre *Quonchuus* Præfectus ſimul atque Philoſophus eum expediit. *An non ſatius erit*, inquit, *ſi* Tientani *erga tuos pietatem tuam faciam? tamque fidi ac bene de te, bene ac tuo regno meriti duüs fidem abſolvas? ſi me audis, promtum eſt tibi omnium amorem in te unum traducere. Sciat populus idque per edicta publica, maxime probari tibi* Tientani *officia, quæ pauperes, quæ milites experiuntur; imo te hoc non modo velle, ſed etiam imperare. Quicquid adhuc fecerit, à te mandatum habuiſſe, atque ut humanitatem intendat, denuo jubere; cui rei multum conducet, ſi reditus ejus auxeris. Nemini dubium erit, quin à te velut à primo fonte manarint omnia hæc beneficia. Paſſim audies patriæ populique pater; te tuorum triſtitia non minus quam ipſos moveri, te illorum nuditate frigeſcere, illorum labore fatigari Sic efficies, ut* Tientanus *& ſua ſponte propenſus ad benefaciendum, & tua voluntate longius impulſus, tuæ felicitati, tuæ ſecuritati commodet virtutem ſuam.*

Prudenti conſilio diſcuſſa ſuſpicio de miniſtro regio concepta.

Ceterum magnus ille *Yoyus*, ut ſupra diximus, ab *Yene* rege juvene offenſus, ad *Chaum* regem confugerat. Hic qui hominis magnanimitatem armorumque peritiam noſſet, ratus eum *Yeni* quoque offenſum, ejus regni occupandi conſilium cum illo ſtruit. Sed, ut ſolent altæ mentes, *Yoyo* vindicta poſt fidelitatem, qua ſe ingratus rex fecerat indignum, fuit, *Chaum* ab hoc bello hujuſmodi dictis averteuti. *Olim jam erga* Chaum *regem extitit utcunque ſervitus mea; nunc tibi ſervio, te regem meum agnoſco. Vtrumque mihi offendere non licet. Profugi quidem è patria, non tam quia illa erat meorum in ſe meritorum immemor, quam ut mea ſaluti conſulerem; proinde in eam quantumcunque ingratam iniquus eſſe nolo. Si aliud regnum invadere cogitas, quod vita ſuppeditabit, à te ſtabo pro viribus, nihilque omittam, quin me fidelem tibi ſervum experiare.* Deſtitit ad hanc conſtantiam ab armorum conſilio *Chaus*, illud in *Yoyo* maxime ſtupens, quod ingratum regem patriamque pergeret illibata charitate diligere.

Amor in ingratam patriam.

Sed & rex *Yen* non perfunctoria ſolicitudine æſtuabat, quod *Yoyus* apud *Chaum* eſſet. Timebat enim iratum ſibi, & aliquid, ſi vindictæ affulgeret occaſio, ſine dubio moturum. Hinc eum ſæpe ad ſe invitare multa promittens, & tantum non palam ab eo veniam petere. Subinde ad eum ſcripſit in hunc modum. *Quod regnum* Yen *non utatur te ſui ſtudioſo, qui ad* Chaum *fugeris; ſi privato conſilio tuaque ſalutis cura id feciſti, à recti virtutiſque tamite nondum aberraſti. Sin ideo migraſti è regno tuo, ut veteris tui regis ac patria oblitus, in me illius filium vindictam coqueres; hoc enim vero indecorum erit tibi, tui nominis famam eo facto inſigniter denigranti. Quin potius conſidera quid deceat virtutem tuam; ad patriam reflecte animum, atque ad tuos redi. Scito te ab omnibus ſumma lætitia excipiendum, & à me quam maxime, fide publica interpoſita, te ad amicos eſſe venturum.* Ad hanc epiſtolam Yoyus ita reſcripſit: *Hoc unum mihi ſemper in votis fuit, ſummo ſtudio adniti ad mei regis animum omni fide mihi demerendum; idque nunquam non accurate cavi, caveoque, nequid iniquum*

Amica revocatio fugitivi.

quum de meo rege non modo dicam, ſed ne cogitem quidem. Quod autem ab æmulis crimina mihi objecta ſunt, immerito meo; id vero in parte felicitatis deputo. Vtcunque ſe res habet, ab eo, quod juſtum eſſe cenſeam, nunquam, nec latum unguem, diſcedam. Antiquitus perfectæ virtutis homines, licet veterem amicitiam diſſolverent, non tamen idcirco in deſertum amicum dicto factove injurii fuere. At ſubditus ſuo rege regnoque relicto, vix fidelis viri nomen tuebitur, nec poterit ſe purgare de fuga. Vix eſt enim credibile, illum eſſe fidelem, qui deſerit regem ſuum. Ego me de fuga non purgo, ne regem meum accuſem; contendam tamen, ut bonam exiſtimationem conſervem. Si mihi non licuit eſſe fidelem, infidelis non ero. Ego ſubditus tuus optimis ſæpe viris operam dedi, eoſque mihi ad imitandum propoſui; horum eſt injuriam obliviſci. Yen hac epiſtola, quæ in Sinica phraſi miram vim habet, perlecta lætus deque *Yoyi* virtute ſecurus, quem apud ſe habebat ejus filium in patris dignitatem extulit, magnoque in honore habuit.

Interea inter fœderatos reges exortæ ſimultates magno *Cini* rebus emolumento fuere. Quippe ſecundo & quadrageſimo hujus Imperatoris anno *Chaus Gueius*que reges cum *Hanum* regem communibus armis unum peterent; coëgerunt ſimul à *Cino* rege flagitare ſuppetias. Hic lætus occaſione ſuas vires oſtentandi, mittit ingentem exercitum. Poſtquam acie decretum utrinque acerrime, victoria ſtetit à *Cino*, contra duos reges, quorum miles victus & in fugam verſus eſt terribili ſtrage. *Gueius* ab irato victore pejora timens, miſſoque legato denuo pacem emit, traditis terris omnibus, quaſcunque *Nanyang* regio complectebatur. Id ne fieret, multum obluctatus *Sutaius Guei* Præfectus, *Tot terras*, inquit, *ô rex*, Cino *tradere ac ſperare pacem; perinde eſt atque lignis ignem extinguere.* Cui rex breviter, *Quid vellet, intelligere ſe reſpondit; ſed ab eo, qui pejora merito timeret, acta reſcindi non poſſe, præſertim neceſſitatem æſtimante.* Sutaius contra, *Scis, ô rex, eos, qui ad aucupium vulture vel falcone utuntur, tamdiu paſtum his animantibus ſufficere,*

Pax inconſulto empta.

dum

dum ex eis utilitatem percipiunt; hac autem ceſſante, dimittere. Ita & conſilium mutare prudentis eſt, cum illud, quod ſtatuerat, cognoverit ſibi eſſe præjudicio. At rex obſtinatus in damna ſua bene monentem non audiit, transſcriptiſque terris *Cini* regis famem accendit magis quam explevit, ut paulo infra videbimus. Hinc enim, debellatis cunctis regibus denique gradum ad imperium fecit.

Sero pœnituit *Gueium* ſpreti conſilii; ſed tamen quo tutior eſſet, & è *Cini* ſe potentia emergeret, *Ci* regis ambit amicitiam. Quem quidem miſſa legatione facile traxit in ſuas partes; verum regni ſui exitio, per æmulationem legatorum, quod ſervare debebant, ſubruentium. Mira fuit tragœdia, quæ his legatis actoribus *Cino Guei* regnum occupandum aperuit. *Suikiaum* legationis principem miſerat *Gueius*, addito comite *Fancio*, magnæ eloquentiæ viro. Qua *Ci* rex magnopere delectatus redeuntem non temnenda auri ſumma donat. *Suikiaus* vel invidia vel in ſuum regem fidelitate motus, ubi domum rediit, *Gueicium* regni Colaum admonens de eo, quod factum eſſet ſub finem legationis, *Prodimur, Colae,* inquit, Fancii *technis, qui ſine dubio arcana quæque regni noſtri negotia* Cio *regi aperuit, concoxitque clandeſtina in perniciem noſtram cum eo conſilia. Nam quo alio ex pacto auri tanta copia profluxiſſe poteſt?* Facile in *Gueicii* animo fictum crimen inſedit; iræque impotens *Fancium* primo fuſtibus excipit haud perfunctorie; deinde, ut præceps ira ſemper excedit modum, dentes ei pugnis magna vi volantibus elidit. Reperit in arena conſilium *Fancius*, humique ultro procidens mortuum ſimulavit adeo ſcite atque ad vivum, ut involutus in ſtramen imperio *Gueicii* projiceretur in ſterquilinium. Inde *Fancius* ſilentio noctis occultus prorepit, deceptiſque cuſtodibus ex urbe fugiens, mox autem mutato habitu ac nomine regreſſus eodem, impune latuit. Interim à *Cino* ad *Guieum* regem legatus venit. Summa legationis erat, *Cinum* invitari à *Guieo*, ut una ſecum bellum contra *Ci* regem ſumeret. Hunc domum redeuntem *Fancius* furtim comitatus, ad palatium *Cini* regis uſque perve-

Fancii legati eloquentia.

Remunerata invidiam parit.

Publico malo.

pervenit. Ibi priſtino Philoſophi habitu reſumto mirum quanta ſolertia *Cinum* ad bellum *Gueiò* inferendum & ad ineundam cum *Cio* pacem induxit. Quod ut ad cognoſcendum ſit illuſtrius, ſcire licet, Sinicos melioris famæ Reges ut plurimum in uſu habuiſſe, ut, cum à Philoſophis ac bonis viris vel de fugiendis vitiis, vel de virtute ſectanda, vel de re alia quacunque ad regni bonum pertinente monerentur, ea flexis genibus exciperent. Nec de his regem admonere doctis probiſque viris vitio vel crimini vertebatur. *Fancius* ergo *Cini* regis aulam ingreſſus ſeque aulicis immiſcens, cum illi hominem ut ignotum exeſſe juberent è palatio, tum ille alta voce ludibundus exclamavit, *Quod rex* Cin *adhuc placidis rebus utatur in regno ſuo, id ſcilicet* Yangheo *regni adjutori debet.* Rex ironiam intelligens, etſi hominem non noſſet, ex agendi modo tamen & habitu non è vulgo doctum occultumque Philoſophum eſſe ſuſpicans, flexo poplite imperat, ut, ſiquid è bono publico futurum ſciret, actutum proferret in medium. Tum *Fancius*, *Poſtquam fas eſt*, inquit, *ô rex, coram te proloqui, quæ ſentiam; tria ſunt, quæ tibi tuoque regno ſpero magno emolumento fore.* Cum rex, *Maximæ felicitatis in loco ponam, ſi me libere monueris ac ſine ambage*, dixiſſet; Fancius denuo, *Iam*, infit, *nec mihi tacere fas eſt. Ego extraneus quidem, at à meis toties inique vexatus, tandem injuriæ magis magiſque valeſcenti cedens adſum, ut, ſiqua potero, tibi ſerviam. Etſi vero necdum admiſſus ſum ad dignationem ſervitii tui, tamen quæ meditatus affero, auſim in tui regni bonum ceſſura polliceri. Sum in manu tua jam, ô rex; vel fidem vel ſtultitiam meam facile deprehendes. Timeo quidem, ut ignarus voluntatis in me tuæ, ne de his, quæ certum eſt modo loqui, me paulo poſt locutum eſſe pœniteat; verum ſiqua tuis commodis favens oratio contigerit mihi, ego vero ob eam rem mori poſſum.* Dubitantem adhuc vera loqui rex bono animo eſſe jubens, *Audire te*, inquit, *pars erit felicitatis meæ; indulge tandem impetui, qui te inſtigat, &, quæcunque habes expreme.* Hîc denique propius accedens ad regem Fancius, *Magnitudo regni tui, ô rex*, ait, *& militum numerus ac*

Admonitiones a regibus flexis genibus exceptæ.

robur

robur ad obtinendum orbis imperium tam tibi ſufficiunt, quam ad unum leporem capiendum optimi venatici canes. Quo mirari ſubit impenſius, nondum in poteſtate tua provinciam Xantung *eſſe, unde tibi ad reliquas oppido mollis eſt aditus. Atenim ſi rem ſecretius expendo, malorum omnium cauſa in* Yanghei *Præfecti tui perſona conſiſtit, cujus conſilia mihi plus nimio ſuſpecta, tibi æque noxia, invidiæ partem, ſi verum fateri licet, in te aliquam exonerant, occaſiones rei bene gerendæ negligentem.* Non ſine ſtomacho rex iſta tam audacter ingerentem audivit, atque, *Clarius hæc*, inquit, *ediſſeras impero; & in quo peccet* Yangheus *Colaus meus, & in quo ego regni mei ampliandi facultatem è manibus elabi ſinam.* Fancius majori alacritate reliquum ſermonem perſequens, cum moderate videret iraſci regem, ita ratiocinatur. *Bellum, ô rex, inferre* Ci *regi cogitas. Qua id, obſecro, cauſa? quo conſilio, quod relinquens retro intacta* Han Guei*que regna cum remoto bellum habeas? An non ſatius foret cum iis, qui longius diſtantes minus incumbere regno queunt, conciliata pace, in finitimos arma transferri? Sic enim fiet, ut, cum terram digito non majorem ſubegeris, in ſtadium ea particula procreſcat tibi. Sic poteſtas extenditur; ſic longe lateque regnatur.* Han *&* Quei *regna loquor; hæc tibi vicina, hi ſunt cardines, in quibus orbis totius imperium volvitur. His in deditionem redactis* Ci *reliquaque regna prona erunt ad imitationem obſequii.* Multa alia præclare *Fancius* cum in hanc rem dixiſſet; *Cino* haud operoſe perſuaſit, ut ſtabilita cum *Cio* pace, in *Guei* regem tranſmoveret bellum. *Fancius* præterea, quanquam hoc non ſpectaret, quamprimum præfecturæ dignatus honore, dein regis conſiliarius, cum de amplificando regno ipſoque obtinendo imperio multa cum eo agitaret; denique mortuo *Yangheo*, ad ſummam dignitatem proceſſit, Colaus creatus, eventu ſibi felici, at regi feliciſſimo, quippe qui illius conſiliis ad imperii culmen evaſit.

Vicini debellandi.

Dum hæc geruntur, audiens *Guei* rex, à *Cino* bellum in ſe decretum eſſe; maturat *Suikiaum* legatum ad eum mittere, impetrandæ paci promittens omnia, ſeque

O tribu-

Fancii diſſimulatio.

tributarium ultro faciens. At *Fancius Suikiao* juxta *Guei*que regno infeſtus, pacis negotium turbavit. Nam ſimul inaudiit adeſſe *Suikiaum*; lacero amictu ſordidus ad eum inviſit, germanum nomen ſuum indicans (nam apud *Cinum* regem illud diſſimulabat) quod more Sinico in libello, in quo luſtrati regni acta erant, inſcripſerat. Obſtupuit lecto *Fancii* nomine *Suikiaus*, quippe quem à *Gueicio* interfectum putabat. Eo deinde intromiſſo, *Adeſtne*, ait, *revera* Fancius? *& ſine fraude, ſine maleficio?* Demum convivio exceptum nova veſte donavit, ignarus eum regni Colaum eſſe, cujuſque potiſſimum arbitrio pax innitebatur. Inter colloquendum *Fancius* legationis cauſam rogat; quam ubi didicit, ſe illi comitem ad regni adjutorem iturum promiſit. *Suikiaus* utilem ſuis rebus ſocium, ut putabat, tacite gratulatus, curru ſuo exceptum ſecum ad Colai domum deducit, nihil dum etiam ſuſpicans Colaum eſſe, quem ſecum vehebat. Ad fores ubi ventum, mox è curru deſcendens *Fancius*, Ego prior ingrediar, inquit, &, quid agendum ſit, explorato ſtatim huc reverſus te docebo. At ingreſſus domum cum non exiret amplius; *Suikiaus* moram demirans, quid actum eſſet cum eo homine, qui paulo ante palatium ingreſſus nuſquam appareret, è famulis ſciſcitatur. E quibus poſteaquam illum ipſum *Cini* regis adjutorem eſſe cognovit; tum ex conſcientia præteritorum pavore marcens, humiliter flexis genibus annixus ad omne ſupplicium ſeſe demittentis modo, domumque tali habitu irrepens, humilius delicti veniam petit. Cui *Fancius* illuſtri ſatellitio ſtipatus, Quod mortem diu tuis factis debitam nunc effugias, inquit, donatæ mihi veſti debes. Illo enim qualicunque munuſculo veteris amicitiæ te adhuc memorem oſtendiſti. Ceterum negotium, cujus cauſa miſſus es, neutiquam ſucceſſurum ſcias niſi prius domum reverſus regi tuo ſignifices, ut quamprimum præciſum *Gueicii* caput huc mittat. Nam à *Gueicio* vapulaverat, uti dictum, *Fancius, Suikiai* calumnia. His dictis magnifica pompa ac ſpecie inter magnates *Suikiaum* abire jubet. Ille, quod infecta re domum rediret, re-

Ab ipſomet detecta.

gis

gis iram timens, ſimul & *Gueicii* potentiam; ne rem periculi plenam exponere cogeretur, ei declinando peregre abiit. Quæ fortuna eum alibi exceperit, quidve de eo factum ſit, nondum liquet.

Sub eadem tempora *Tientanus* jam provecta ætate, à *Ci* regno iterum ſecedentis notam vix effugit; ut virtus plus habet invidiæ, quam imitationis. A novem itaque Præfectis æmulis de regni ambitu reus agitur. Iamque regem eo adduxerant, ut timeret. At *Tiaopous* ejus conſiliarius omnem ſuſpicionem deterſit ex animo regis, cum diceret. *Poſtquam ex urbe* Me Tientanus *exivit; uno impetu plus quam mille terrarum ſtadiis jugum impoſuit, quod à te acceperant. Et hos tractus tibi inermi ſumma cum fide reſtituit. Si qua igitur tunc eum regni tentaſſet ambitio; nemine procedentibus armis obſtante regnum erat in ejus manu. Quæ cum ita ſint; quid putas, ô rex? eſtne cuiquam credibile, qui, quod jam haberet victoriæ præmium, ſi vellet, ultro contempſerit, reſervans majori domino, id eſt, tibi; eum proditione repetiturum, cui fides non tantum præ hoc ſcelere, ſed etiam præ regno adhuc fuit? Tanta quidem puerilitas à* Tientani *moribus longe diſſentit.* His dictis placatus rex, ac tandem deprehenſa Præfectorum calumnia, novem illos occidi jubet, & meritas inſidiarum fraudiſque pœnas perſolvere.

Calumnia ab amico propulſa.

In Authores redit.

Interea rex *Cin*, ut diximus, à ſummo Præfecto *Fancio* edoctus, de occupando imperio publice conſultare cœpit, conſcriptoque ingenti exercitu, quinquageſimo hujus Imperatoris anno duos ſimul reges invadit, *Chaum Hanum*que; dextro cornu contra illum, contra hunc ſiniſtro pugnare juſſo. In regno *Chao* filii nuper electi loco, qui tum decimum quintum agebat ætatis annum, gubernacula reipubl. tractanda ſuſceperat, ſuperbiſſima ſimul & imprudentiſſima femina. Hæc à *Ci* rege popoſcit auxilia; quæ in promtu erant, ni reſpuiſſet æquas conditiones, quaſque totius regni & Præfectorum omnium conſenſu accipere rogabatur. Interim U*angheus* ſiniſtri cornu dux in *Han* regnum infuſus, *Xangtung* ditionem occupavit. E qua non minus milites quam incolæ relictis

Malum feminæ conſilium.

ſedibus ad *Chao* regnum profugi, victori viam eodem præſtraverant. Itaque *Chaus* à gemino exercitu coanguſtatus oppreſſuſque, matris contumaciam luit, commiſſis aliquot præliis ſemper inferior.

Accepta igitur tanta clade *Chaus* duces de ignavia prius increpitos, exuit munere, ſuſpectans etiam illorum fidem; & *Houm*, extraneum quidem, de cetero fortitudinis atque ſcientiæ militaris laude inclytum exercitui præpoſuit, ob has artes omnibus formidabilem. Hic ergo quamprimum venit ad exercitum; corruptam diſciplinam militarem reſtituit, ſtationes ordineſque ſervare milites docens ac perpetuis exercitationibus prædurans in hoſtem. Effecitque, ut victus exercitus erigeret ſeſe ad ſpem victoriæ. Aliquot velitationes certe cum hoſte concurrentibus ad illam ſemper proſperæ fuere; non auſo *Cini* milite rei ſummam aperto Marti committere. Quare *Cin* rex ab *Hoo* multum metuens, eumque vi & aperta pugna ſuperari poſſe deſperans, ſibi ſumſit ſtrategemate percutiendum. Nec ceſſit illud infeliciter. Iam ſiniſtrum cornu, quod *Uangheus* ducebat, erat in proximo; cum *Gankiunius* dexteri cornu dux committit pugnam, &, ut cum *Uangheo* convenerat, fugam ſimulat, urbem *Pie* in valle accumbentem celeriter ingreſſus. Ad eam urbem commodum per vallem aditum montes laxaverant. *Hous* igitur illac fugientes inſequens, ubi ſe victorem credidit, victus eſt. Vrbs enim tuta munitionibus, validoque firmata præſidio, illum ab oppugnatione deterruit; & *Uangheus* interim ex condicto cum ſiniſtro cornu adeſt, valliſque fauces obſidet. Hîc *Hous* inter ſacrum & ſaxum poſitus, quod ait vetus proverbium, & iniquiſſimo loco clauſus, intra quadraginta ſex dierum ſpatium, deficiente omni commeatu, famem cum ſuis humana carne propulſare cœpit; miſſa interim per avia montium ad *Ci* regem legatione, qui auxilia & maxime annonam inde peterent. Sed rex utrumque negavit, offenſus à regina, ut ſupra diximus. Ita rebus deſperatis *Hous* ferocior ad oppetendam potius mortem ſuos una ſecum, quam ut ingloria fame perirent, induxit. Ac licet perini-

Stratagema.

quo

quo loco, & admodum feſſo inedia milite uteretur; cum *Uangheo* tamen in faucibus vallis prœlium committit, ſcintillante adhuc aliqua ſpe, ſe poſſe perrumpere. At ille caſtra valide communierat; & ex urbe, ut conventum erat, *Gankiunius* ſuis *Houm* penitus intercepit. Diu tamen & in hac rerum inclinatione anceps prœlium fuit, donec tandem *Hous* ipſe ſagitta vulneratus occubuit. Cujus caſum, velut præciſo capite, ſecutus eſt exercitus incredibili ſtrage; ad quadringenta hominum millia cecidiſſe ſcribunt. Pauci per abrupta montium connixi fuga ſalutem repererunt; duodetriginta tantum in hoſtium venere poteſtatem vivi, quos *Cin* rex incolumes ad ſua redire permiſit. *Ingens clades.*

Horum tumultuum initio rex *Guei* rebus ſuis diffidens *Cini* regis obſequio ſe devoverat, regno tributario ei facto; nec ita tamen ſatis tutus ſibi viſus, optimos undique viros, vel ſcientia vel armis claros invitabat, quorum opera, ſiqua neceſſe, uteretur. Erat tum celebre nomen *Cumpinii*, præſertim à ſapientia doctrinaque non vulgari. Hunc *Gueius* ad ſe invitatum regni adjutorem aſſumſit, quamvis ante repugnantem. Cum enim ad eum legati veniſſent; mandata regis exponentes, reſponſum ab eo tulerunt hujuſmodi. *Si rex audire me volet*, ajebat, *& conſilia mea commendare factis; ſentiet is, ut ſpero, ad regnum bene adminiſtrandum his difficillimis temporibus ea perquam opportuna. Sin aſpernabitur, meque audire nolet; non eſt cauſæ quicquam, cur ad illum me conferam. Nulla enim in re proderit illi præſentia mea; non magis, quam hominum reliquorum nullam regno utilitatem afferentium.* Cujus ſermonem unus ex iis, qui miſſi erant, excipiens, *Si nollet*, inquit, *conſilia tua ſequi rex, non te invitaret in regiam. Nam ea de cauſa te vocatum adſumus; fruſtra miſſi, niſi te comitem noſtri reditus, imo enimvero ducem habemus.* Aſſenſus igitur legationi *Cumpinius*, cùm veniſſet ad regem, multa de illorum temporum bellis ac calamitatibus ab eo rogatus, *Si quis, ô rex, decedat morbo*, inquit; *plerumque id exiſtit ex inopia remedii, aut, ſi hoc ſuppetat, cum morbo non conſentientis. Nunc* *Cumpinius vir ſapiens in conſilium vocatur.*

Sinarum orbis magnopere laborat, inclinatus ad interitum, niſi præclari medici ferant opem, ruinamque ſuſtineant. At iſti tales nulli ſunt; aut, ſi qui ſunt, ignorantia medendi laborant ipſi. Rex Cin *nimium creſcit, incumbitque contentis viribus imperio. Et, quod Cælum avertat omen! metuo tamen vehementer, ne prius illo potiatur, quam viginti labantur anni; cui jam nunc obſiſti non poteſt. Ita eſt*, ſubjecit Gueius; *&, quia modo* Chaus *&* Han *reges à* Cino *devicti ſunt, omnes ſunt authores mihi, ut fortunam victoris gentium ſecutus, meas cum illius copiis conjungam, contra illius hoſtes depugnem. Hac demum, id eſt, armorum ſocietate me felicem illum amicum fore.* Ad ea *Cumpinius*, *Non ſuaſerim*, inquit, *ô rex, ut res tuas in tantum diſcrimen committas.* Cin *aliena per fas & nefas invadit; Sinarum orbi per tyrannidem cogitat jugum imponere. Si primi conatus proceſſerint, ſi reges alii regnaque ſub jugum abierint; haud erit regni tui temperantior, niſi etiam irrumpet avidius, quod unum illud intelliget obſtare ſibi ad faſtigium. Quare potius author tibi ſim, uti tuo contentus, quietuſque velut è ſpecula eventum rei exſpectes. Magno enim opere timeo, ne tuis viribus auctus, univerſas denique convertat in exitium tuum. Ab avaro, ab alienarum rerum, & ipſius adeo imperii appetente mitius nihil ſperare licet.* Exemplum *ab hirundine accipe. Avis illa primo in magnatum tectis nidificat, pullos excludit, læto cum ſociis garritu laſcivit, ex alto ſecura ſuperventuræ calamitatis, omnique metu ſoluta. Sed ſi deinde parva forte ſcintilla excitaverit incendium, flamma paulatim ſuccreſcens in altum, proximam nido pulliſque cladem admovet, adhuc ignara matre orbitatis ſuæ, periculumque nimis ſero ac tum primum notante poſtquam omnia perdidit. Idem, ô rex, de te cogita.* Cin *graſſatur inſtar ignis,* Hanque *&* Chao *regna quaſi depaſtus tibi jam imminet, ni obviam eas in tempore, bellique facem extinguas potius, quam accendas.* Perſuaſit hac ſimilitudine *Gueio Cumpinius*, ut deſerto *Cino*, mitteret *Chao* regi auxilia, conjunctis armis in communem hoſtem itura; queis U*ukium* filium ſuum, fortiſſimum juvenem præfecit. Felici quidem ad primos congreſſus Marte; ſed ad

Sana ſuadet.

Adducta ſimilitudine.

ad *Cinum* fortuna demum transferente victoriam, ut videbimus.

Interim *Cini* regis exercitus devicto extinctoque *Hoo*, ut diximus, *Chai* terras invaſerat, multiſque captis urbibus, denique ad nobiliſſimam ac munitiſſimam urbem regiam *Hantan* admovit vires ſuas; quam ſi expugnaſſet, regnum univerſum ad deditionem pronum erat. In has anguſtias adductus *Chaus*, *Pingyuenum* legatum ad *Zu* regem mittit auxilia petiturum. *Pingyuenus* duodeviginti comites partim bello, partim literis claros aſſumens, poſtquam incepit iter, undeviginti numeravit. *Maoſius* enim ſeipſum intruſerat; parum ille adhuc notus, (nam fere occultus hucuſque vixerat) ſed magnis adornatus virtutibus. Quo conſpecto *Pingyuenus*, *Docti ac ſapientes homines*, inquit, *in orbe terrarum ſe habent, ut artificum inſtrumenta in theca recondita; quæ niſi promantur & adhibeantur ad opus, ignoratur eorum utilitas. Triennium jam eſt, cum apud me domi ſedes. Exiſtimabam te aliquid præſtare poſſe bono publico; at nihil adhuc memoria dignum geſſiſti, credo, quia inerti es ingenio.* Tum *Maoſius* diſſimulata contumelia, *Ita eſt*, ſubjecit; *adhuc in theca mea me abdidi, ut apicula in favo mellificans aptanſque inſtrumenta. Nunc tempus eſt eis utendi, poſtquam regnum omne turbatum: quicunque aliquid in commune conferre poſſunt, eos pietatis lege vetat amplius latere, provocatque in publicum. Nunc quidem itineris tibi comes eo, & tantum comes; quæ autem paulo poſt acturus ſum apud* Zu *regem, non videbis modò, verum etiam palpabis.*

Legatio adornata.

Similitudo.

Pingyuenus ubi ad *Zu* regem pervenit, regis ſui mandata exponit, *Cini* regis violentiam accuſat, rogatque ſuppetias ad hoſtem utriuſque repellendum. Atqui *Zuus* acerbe de *Chao* rege queſtus, quod fœdus ruperit, quod amicitiæ renunciaverit, & longiſſimam orationem exorſus, à mane ad meridiem uſque in abſentem detonuit, tanto *Pingyueni* terrore, ut ne mutire quidem contra ſit auſus. At non tam molliter negotium egit *Maoſius*; ſed repente nudato, quo erat præcinctus, enſe, ſtans in aulæ gradibus, & ad *Pingyuenum* converſus ex abrupto, *Noſtri regis*, inquit, *anguſtiæ tam*

longos non patiuntur ſermones. Quo rem ambitioſo dicendi furore protrahimus, quæ duobus verbis expediri poteſt? Zu rex cum rege noſtro fœdus ferito, auxilia mittito. *Zuus* peti ſe videns, & in iram verſus, *Maoſio* ſilentium imperat, ni pejora velit experiri. Nihil fractus his minis *Maoſius*, imo audentior & ad regem propius accedens, *Amicitia*, inquit, *& auxiliares copiæ, quas à te petimus, ô rex, non tam noſtri regis commodum ſpectant, quam tuum. Ampliſſimum tuum eſt regnum, quippe non minus quam quinque ſtadiorum millibus patens. Tanta potentia, tam invictæ vires, ſi* Chaum *regem amicum habeant & faventem ſibi, ad totum imperium obtinendum facile ſuffecerint. Non ſponte ſua rex noſter deſcendit ad hæc conſilia; præſens neceſſitas telum maximum nos iſtuc ſubigit à te exigere, cujus illum & nunc pudet, & poſtea fortaſſe pœnitebit. Hoc enim totum ſolumque paret felicitati tuæ.* Rex iſta loquentis conſtantia ac libertate attonitus, quamprimum jugulati galli ſanguinem *Pingyueno* propinat. Fit hoc etiamnum apud Sinas, quoties ſancitur amicitia, non inter reges modo, verum inter quoſcunque alios etiam, qui ſeſe invicem fraterno jure donant. Quin & latronibus eſt hoc ſolemne, ad mutuum auxilium ferendum ſervandamque fidem conjurantibus. His rebus completis *Zuus* per *Chunxinium* Præfectum *Chao* regi magnum exercitum ſubmittit ſuppetias laturum; à quo tamen nihil admodum memorabile actum eſt.

Galli jugulati ſanguis in feriendo fœdere epotus.

Anno hujus Imperatoris octavo & quinquageſimo, cum jam multo tempore *Cini* exercitus cum *Uangheo* ſediſſet ad urbem *Hantan*; *Guei* rex filium *Uukium*, ut diximus, ſubſidio miſit. Ille obſidentes aggreſſus, magna eos ſtrage affecit, urbemque obſidione liberavit. Ex alia parte *Ganpignius* impetu in *Chai* regis exercitum facto, delevit ad viginti millia. Vnde *Cinus* utramque fortunam in uno eodemque actu expertus eſt, ex una parte victus, ex altera victor. *Uukius* inde in multorum odium incurrit. Iuvenis & victoria ferox, alto ſupercilio præ ſe alios aſpernabatur. Non tulit eum faſtum unus ex amicis, & molli ſermone in animum ejus irrepens, *Sunt*, inquit,

inquit, *alia, quorum obliviſci oportet: & alia, quorum meminiſſe. Accepta beneficia oblivioni danda nunquam; neque data ſunt in memoriam unquam revocanda. Hæc tibi, ô rex, dico; quem nunc ab una victoria tantopere tumentem meminiſſe decet, apud* Chaum *regem te duntaxat, apud patrem tuum non perinde gratioſum eſſe. Spes enim omnes, quas concipere de te poterat, una ſuperbia elidis; à quo vitio, ut malorum omnium radice, nihil unquam boni ſperandum.* Mirum quantum valuit hæc apud juvenem admonitio. Nihil eo poſthac modeſtius, nihil in tam excelſa fortuna ſubmiſſius. Quoties eſt injecta de victoria mentio; quaſi ſua laude læderetur, erubuit. Fuit, ut copias ſuas traduceret non procul urbe, in qua *Chaus* tunc agebat. Rex eum convivio exceptum quinque donat oppidis, velut partæ pretio victoriæ. Quæ tamen ille recuſavit omnia, non ſuam eſſe, ſed militum ejus palmæ gloriam ingenue profeſſus ac ſine fuco. *Chaus* ergo ſaltem in miniſtro regem honoraturus offert *Chunglieno* ejus Præfecto dynaſtiam. Quam cum & iſte recuſaret; ille magnam pecuniæ vim ſubmittit, dynaſtiæ pretium non impar. *Chunglineus* auro longe obnixius à ſe ſpreto, *hoc non eſt*, inquit, *quod magni æſtimo; ſed pro regno, pro, rege, pro populo, pericula ſubire, pericula eorum avertere, tranquillatis rebus nihil præmii accipere, hæc mihi prima, hæc ſumma ſemper fuere. Præterea, quod palam pronuncio & omnes exaudire volo, qui ſuſceptos pro republ. labores infamant accipienda pecunia, mercatores eſſe. Mihi nomen hujuſmodi nimis eſt quam vile, & mercatura hæc morte pejus abominanda.* Erat omnino *Chunglienus* vir cetera egregius, niſi laudes ejus detereret faſtus nimiaque ſui æſtimatio. Liberalitas *Chai* regis, quaſi auro compenſare volentis merita ſua in offenſæ loco habita, & ſufficiens ei materies viſa, ut relicta præfectura diſcederet alio, nunquam poſtea in *Chao* regno viſus.

Proficua objurgatio.

Spreta laboris præmia:

Interea *Cin* reparato exercitu *Chao* regnum denuo invadit. Contra quem cum *Guei* rex per *Cinpinum* Præfectum (U*ukium* enim filium mitti tunc non placuit) ferre vellet ſuppetias; ille ſcriptis ad

Gueium literis acerrime de violata toties fide expoſtulat, ultima minatus ſi perſeveraret à *Chao* ſtare. Epiſtolæ ſententia hæc erat. *Mihi cum eo bellum eſt; tu ſi pacem amare domi non potes: & ſuccurris hoſti meo, cunctas vires, quantiſcunque polleo, in te unum convertam.* Chao *regnum jam victum quin obtinere poſſim, non dubito. At is deinde viderit, quid ſe futurum ſit, qui regi ſummiſit auxilia.* Vtique minaces erant literæ; quibus lectis *Gueius* timuit haud mediocriter. Quare ad *Cinpinum* mittit alterum legatum cum novis mandatis, illi perſuadere conatus, ut exemplum ſuum ſecutus, *Cinum* Imperatorem agnoſcat, eique faciat ſe tributarium. Ni facerent, pacem nunquam habituros; nec quieturum ante *Cinum*, quam omnia regna ſubegiſſet Interceſſit tamen huic legationi *Changlienus*; qui in legatum *Guei* regis incurrens in itinere, ſic ei reditum, quanquam infecta re, ſuaſiſſe ſcribitur. Cin *rex à rationis & juſtitiæ tramite longe receſſit, rectique normam abjecit; potentia fretus alienis regnis inſidiatur. Si, quod affectat, evaſerit ad culmen; quot quantiſque malis preſſum ingemiſcet imperium? Nam ab eo, qui jus omne pervertit, quid boni ſperes? Iam prævideo tyrannicas leges, quas invehet, ac noſtris, heu! longe contrarias. In iſta miſeriarum contemplatione diutius hærere mihi non eſt animus; eaque propter ad orientis nunc mare tendo, tot malorum fugiens aſpectum. Ibi vivam, ibi moriar, ignarus rerum, quæ iſthic gerentur. Rex vero tuus cur* Cinum *tantopere timet? cur non reſpicit ad regnum ſuum, quod potentiâ & viribus* Cini *regno non multum cedit? cur eum ultro protrudit ad culmen, ad quod ſurgenti, deberet ſummis opibus viribuſque potius obſtare? An ignorat* Guei *rex*, Cinum, *juratum æquitatis oſorem, ubi ſe viderit in rerum humanarum eminere faſtigio, pro libidine omnia acturum? an à ſolo ejus regno vim abſtinebit? an ſi tributarium ei ſe fecerit, qui modo ſuis non contentus, tam avide regnis inhiat alienis, modum ejus avaritiæ conſtituet?* Legatus his auditis domum reverſus, regi ſuo ex eadem *Chunglieni* oratione perſuaſit, ut omitteret illam legationem.

Legatio diſſuaſa.

Interea *Chaus* à *Guei* rege auxiliorum petendi finem

nem nullum facere. Quæ cum ille differret, *Chai* denique conjux, *Guei* filia & U*ukii* ſoror natu major, à fratre quam potuit magno contendit opere, ut ſibi, ut marito ſuo contra *Cinum* eſſet iterum præſidio. Nihil enim ab eo ſperabat mediocre, cujus animi robur ac felicitatem jam apud *Hantan* urbem cognoverat. Nec deerat ſororis precibus U*ukius*, ſi ſuæ ſpontis eſſet; pugnandi deſiderio calens, & à patre ſæpe ſæpius enixe petens, ut tandem *Cinpinio* copiam faceret contra *Cinum* pro *Chao*, affine ſuo, ſumendi belli; ſeque ipſum offert iturum. Cum *Gueius* nimium propoſiti tenax pernegaſſet utrumque; iratus U*ukius* à patre inſalutato diſcedens, & ſuo tantum ſatellitio comitatus (centum currus erant) contra *Cinum* animoſe procedit ſuiſmet auſpiciis. Sed ruentem intercepit amicus, armanſque ſtratagemate improvidum ducem, *Magni quidem animi res eſt*, inquit, *quam incœptas, ô Princeps; conſiderandum tamen eſt tibi, te nihil aut certe non multum effecturum adeo paucorum militum manu confiſum. Si cum his* Cinum *aggrediare, perinde feceris, ac ſi tigridi fruſtum carnis objicias. Si me audis, compeſces hunc impetum, ac tantiſper hic ſubſiſtes, dum te, quid agere poſſis, addoceam. Fortaſſe non diſplicebit conſilium. Audivi patrem tuum juxta lectulum, in quo ſomnum capit, habere ſigillum regium. Illud* Iuya *concubina facile furtim ſurreptum tibi tradet. Si enim promiſeris eo te uſurum, ut fictis diplomatibus conſcribens militem, Imperatori contra* Cinum *auxilio venias; tui patris amore tacta nihil non faciet, quod in ejus commodum intelliget eſſe maxime ceſſurum.* Erat *Iuya* Imperatorum familiæ *Cheua* ſanguis, ſupra ceteras concubinas dilecta *Gueio*, adornandæque fraudi cumprimis apta. Fluxit è ſententia conſilium. Traditum U*ukio* ſigillum; deſcripta ſignataque diplomata; ſigillum loco ſuo repoſitum, nec umbram ſiniſtræ ſuſpicionis faciebat regi. Tum U*ukius* ad *Cinpinii* exercitum magnis itineribus properare, ab rege ducem illi ſe præpoſitum diplomate teſtari, agnoſcique ſe ducem jubere, truci & accommodatiſſimo ad aſſerendam poteſtatem ſupercilio. Nihilominus tamen agitabat eum

Stratagema ſigillo procuratum.

eum metus, ut fidem inveniret apud *Cinpinium.* Subornat igitur in ejus caput ſicarium, hominem robuſtiſſimum, ut contra nitentem, dubitantemve credere, trucidaret è veſtigio. Explevit ille partes ſuas, ac ferrea clava quadraginta libras pendente cerebrum ei fregit. Et ſtatim diditus per caſtra rumor, occiſum jubente rege *Cinpinium* ut perduellionis reum, ſparſis ubique diplomatibus, totum exercitum aſſeruit U*ukio.* Erant hominum octoginta millia, queis confeſtim contra *Cinum* movebat, *Chao* ſuppetias laturus, at necquicquam. *Gueius* enim re cognita, ſubmiſſo novo duce *Lienpoo* filium ad ſe revocat, mandans militibus, ne dicto audientes parerent. In hunc modum arte *Gueius* artem eluſit.

Sed denuo eluſum.

Inter hæc *Cinus* regnum *Chao* totum ferme occupaverat, devictis etiam *Zu* regis copiis. Quare cum ad Imperatorem jam pateret via, partem exercitus, duce *Kieo* Præfecto, contra eum mittit ac debellat haud magno negotio, viribus longe imparem. Ibi miſeranda *Foi* fortuna erat. Coactus enim à victore venire ſupplex imperator, *Cinum* ſubditorum more, velut dominum & Imperatorem ſuum abjectus humi venerabatur; omnes terras, hoc eſt, triginta ſex urbes, quæ de tanto imperio illi ſupererant, offerens, militumque triginta millia, imperii exercitum, jubens ei ſacramentum dicere. Cujus obſequii humilitate *Fous* vitam quidem ſervavit; ſed in ordinem à *Cino* redactus, & amandatus in occidentem, ſuis cuſtodiendus traditur. Ejus deducendi negotium *Fancio* dedit; cui multum *Cinus* in hoc bello debuit, quod ex ejus prudentia & conſiliis non modo ſuſcepit, ſed etiam geſſit, ſemper docentis, quid faciendum eſſet, quidque fugiendum.

Sinarum Imperator victori ſupplex.

Cyclo 41. *anno* 44. *ante Chriſtum* 254.

Sinenſes hiſtorici quidam ab hoc anno, qui fuit ante vulgarem Chriſti epocham ducenteſimus quinquageſimus quartus, imperium familiæ *Cinæ* incipiunt, quod nullus tunc alius erat Imperator. *Han* rex ubi *Foum* Imperatorem captum accepit rerum ſuarumt trepidus ad *Cinum* venit, ſeque ac regno

ſuo

ſuo in ejus fidem tradito, ut Imperatorem coluit, tributarius ei factus, augensque transſcriptis, quas habebat, copiis omnibus victorem exercitum. *Foi* quidem clades incidit in annum ſuperiorem; ſed hunc totum tamen illi attribuunt. Porro *Cinus* alio nomine *Chaoſiangus* dicebatur; qui cum Cælo ſacrificaret, *Xangti* ſive ſupremi Imperatoris ſimulacrum ei oblatum memorant, niſi forte id ipſe finxit, quo facilius perſuaderet aliis, traditum ſibi à Cælo imperium eſſe. Vtut eſt, ut plurimum tamen regis tantum, imo tyranni loco timebatur. Iamque alius ex familia *Cheua* lectus Imperator erat *Cheukiunius* nomine, de quo infra; poſtquam innotuit *Foum* in provincia *Xenſi* eodem quo victus eſt anno, amiſſi contabeſcentem imperii mœrore diem ſuum obiiſſe.

XXXVII. Imp. CHEUKIUNIUS.

Imperavit annis IX.

HIc ergo à fidis Præfectis regulisque nonnullis cooptatus Imperator, haud lætiorem quam *Fous* ejus frater exitum habuit; nimia jam & invicta propemodum *Cini* potentia. Bellum quidem ei moliebatur adjutus à ſuis; verum invito Marte, quod *Ci* & *Zu* & *Guei* reges etſi copiis valentiores ei nollent eſſe auxilio, ſuis quiſque rebus intenti. *Cin* enim victoriis & copiarum multitudine tumidus, *Cheukiunio*que per *Liupugueium* Præfectum reſiſtens, adduxit eum in tantas anguſtias, uti demum præſentium rerum faſtidio concepto, ubi nihil effici labore dignum videt, ac pejora metuens imperio ſe abdicavit ultro. Atque ita *Cheua* ſtirps, penes quam ſumma ſceptra diutiſſime fuerunt, extincta eſt, ignavia *Cheukiunii* ſepulta, ſervandæ vitæ in occulto reliquam ætatem agentis, & hominis privati modo. Verum nec *Chaoſiangus* imperium, ut nihil fere diuturnum, quod violentum, diu tenuit; mortuus, antequam videret æmulum ſuum deceſſiſſe imperio, id eſt, anno ejuſdem Cycli quadrageſimo ſeptimo. Succeſſorem habuit *Hiaouenium* filium, pari feli-

Cyclo 41. *anno* 44. *ante Chriſtum* 254.

Cheua *ſtirps imperatoria extincta.*

felicitate ac prudentia continuantem paterna bella. Sed & hunc in ſecundo impetu fluxuque rerum nil niſi victorias cogitantem propera fato mors intercepit, vix elapſo poteſtatis anno; illuſtre conditionis humanæ documentum. Hunc excepit *Chaoſiangus*, qui triennio rerum potitus, *Guei* regem aliquot prœliis fudit, uſus *Mungao* Præfecto duce. Quibus icti victoriis Sinici reges tandem ſapere cœperunt. Cum enim viderent *Cinum* non imperium ambire modo, ſed omnibus omnino regnis imminentem, ipſos denique reges extinctum ire; conſpirant, feriuntque fœdus, antea *Cino* non parum obfuturum, ſed neque nunc pœnitendum. Conflatus quinque regum exercitus ad decies centena hominum millia ſuccrevit;. cui *Sinlinius* cum ſummo imperio præeſſe juſſus, *Mungaum* in *Guei* regno fudit ac fugavit. Moritur interea *Chaoſiangus*, *Chingo* filio relicto ſucceſſore, qui bella confecit omnia, &, quæcunque cœptaverat, ad exitium inſigni conſtantia & felicitate adduxit, ut in ſequenti libro docebimus.

SINICÆ HISTORIÆ LIBER SEXTUS.

De imperante Familia CINA.

I. Imp. CHINGUS ſive XIUS.

Imperavit annis XXXVII.

Cyclo 41. *anno* 52. *ante Chriſtum* 246.

CHingus rex ubi Sinicum adeptus eſt imperium, *Xius* dici voluit; nequitia & virtute diverſis temporibus inſignis. Nihil medium tenuit; magnanimus æque ac crudelis; effuſus in publicis operibus, quorum aliqua exſtruxit præclara ſane artiſque præcipuæ, de quibus ſuo loco. A ſubditis pecunias extorquebat miris modis; bello potens milites optime tractabat amabatque; cives autem pluſquam æquum eſſet, vexabat, novarum rerum curioſus imprimis. Nam ſub eo primum Sinæ magnis claſſi-

claſſibus omnem Indiam pervagati ſunt; quam emiſſis copiis navalibus maxima ſubegit ex parte, pedeſtri etiam itinere *Bengalam* uſque *Scori* & *Camboyan* penetravit. Subjunctis deinde in poteſtatem ſuam provinciis Auſtralibus auxit mirifice Sinicum imperium. Sed has & reliquas hujus Imperatoris res, erit, cum perſequemur breviter alio loco. Illud hîc non tacebo, videri mihi admodum probabile, non apud Indos modo, verum apud exteras etiam nationes Sinarum nomen ab regiæ iſtius familiæ nomine fluxiſſe, ut *Sinarum* ſeu *Cinarum* potius appellaretur imperium. Iſtorum namque regum tempeſtate primum, *Cinarum* fama nomenque pervenit ad exteras gentes, ad Indos præcipue, apud quos poſtmodum hæſit, & ab illis accepere ſubacta India Luſitani. Hæc enim *Cina* familia in maxima Sinarum ad occidentem vergentium parte regnabat; imo cum exteris gentibus bellum geſſit, ut ſupra diximus. Fixa dein ibidem imperii ſede, *Cinicum* dicebatur imperium. Poſtea vero quam ad rerum humanarum culmen evaſit, multo plura externis bella fecit. Vnde nil mirum, ſi *Cinicæ* appellationis uſus apud eos invaluit. Ac licet extremam hanc Aſiam vario nomine appellent Sinæ, prout imperatrices quoque familiæ variant; primo tamen auditum nomen exteri retinuere. Notandum vero, primam literam (non Italorum, ſed Hiſpanorum vel Germanorum more pronunciandam, ita, ut ſcriptum *Cin* per Z. aſperiore ſono prodeat è gutture. Argumentum in hanc rem ſuppeditat lapis ille, (de quo ſuo loco) qui anno domini ſeptingenteſimo octogeſimo ſecundo ab illis, qui primi divinam legem in Sinis promulgavere, partim Sinicis, partim Syriacis literis inſcriptus & in provincia *Xenſi* repertus inter alia vocabulum *Zinoſton* habet, quod extremam Aſiam ſignificat, quaſi dicas *Zin* regionem ſive terram. Hæc mea eſt de Sinici nominis notatio opinio, de meliore conjectura nihil præjudicantis. Sed revertamur ad hiſtoriam, quam nihilominus Sinicam molliore litera placuit inſcribere, quo tam facilis eſſet, quam communis omnibus pronuntiatio.

Vnde Sinarum appellatio.

Sina-

Proverbium. Sinarum proverbium eſt, volucre & concha certantibus piſcatorem lucrum facere, ajentium; quod cum noſtrate conſentit, quo inter duos litigantes tertium gaudere dicimus. Quippe concharum quoddam genus eſt, cum è mari exierint ſeſeque aperuerint, ita in aprico litore ſomnum capientium. Tum pelagiæ aves, ſiquam forte dormientem conſpexerint, prædæ ac carnibus inhiantes invadunt unguibus, eam tollentes in aëra. Concha vulnerata confeſtim ſe magna vi claudit, attentamque volucrem ſecum ſuo pondere ſimul in terram trahit. Quo animadverſo piſcatores una volucrem cum concha capiunt. Idem prorſus hac tempeſtate contigit. Quippe reges Sinarum poſt victoriam, quam à *Cino* communibus armis reportaverant, ſtatim ruptis fœderibus, velut quietis impatientes inter ſe contendere cœperunt inſigniter adjuta Imperatoris felicitate, qui cognitis eorum diſcordiis debellavit ſingulos atque delevit.

Primum bellum inter *Guei Chao*que reges exarſit, ex hoc initio. *Chaus* per *Lienpoum* Præfectum *Gueio* devicto, quas *Faniang* regio complectebatur, urbes eripuit. *Chao* interea rebus humanis erepto, filius ejus abrogata *Lienpoo* Præfectura alium ſummiſit. Cui cum nollet *Lienpous* decedere; ad arma ventum eſt, acceptaque ab utroque Præfecto luculenta clades. Denique *Lienpous* ad *Gueium* confugit, nova diſcordiarum inter duos reges materia. Erat *Lienpous* homo prævalidus: unus oneri manibus in ſublime tollendo ſufficiebat, quantum alii decem è robuſtioribus vix levarent; ſed & unus vorabat, quantum alii decem.

Imperator hac bene gerendæ rei occaſione utendum ratus, primum U*angcieno* Præfecto duce contra *Chaum* movet. Cujus exercitum ab aliis regibus deſertum commiſſo apud *Hantan* urbem prœlio magna ſtrage delevit, impetumque victoriæ ſecutus, cum ipſa regia regem quoque cepit. Quem Imperator ad ſe miſſum jubet è medio tolli cum tota illius ſtirpe, nec inſontibus parcendo; regnum autem in provinciæ formam redegit. Antequam conflaretur ti

bellum,

bellum, Imperator aliquos è *Chai* Præfectis corruperat; qui apud regem hoc egere calumniis, ut *Limoum* egregium bello ducem, cujus ille fortitudinem ac militarem ſcientiam formidabat, in rebellionis ſuſpicionem vocarent. Rex, ut fit perturbatis rebus, credulas aures præbuit calumniantibus, revocatoque *Limoo* duos alios duces ſubſtituit. Is indignitate rei motus, utrumque necat; milite tamen, ſecus ac præcavebat, in duas factiones diſtracto. Nihilominus à ſuis adjutus, cum Imperatoris exercitu conflixit; at viribus impar, accepta illa clade, de qua paulo ante dictum eſt, *Chao* regnum perdidit.

Limous dux belli calumniis petitus.

Poſthæc *Tanus*, *Yenis* filius, *Chai* regis affinis ſui cædem perſequi occiſo Imperatore ſtatuit. Habebat apud ſe captivum Imperatoris ducem, *Fanyukium* nomine, qui offenſus à *Cino* profugerat. Hunc ergo & *Kimkoum* è regno *Guei* oriundum copiis ſuis præfe[cit]. Qui cum vix aliquid aperta vi acturos ſe ſperare poſſent, cognita Imperatoris potentia; cum *Tano* primum de *Xio* per proditionem interficiendo agitant conſilia. Convenit inter eos, ut *Kimcous* Imperatorem adiens offerret *Yenis* nomine regionem *Chocheu*, cujus deſcriptionem una ferebat, petitæ pacis & amicitiæ præmium, ultro ſe tributarium faciens. Erat in ea regione magnum ad occupandas, quæ Boreæ ſunt adverſæ, plagas momentum. Quin etiam apud Tartaros, inde ventum eundem excipientes, facilis patebat aditus; eorumque incurſiones à ſitu loci æque facile impediebantur. *Kimcous* ergo ſicam occultans manica, ut, dum traderet Imperatori tabellam chorographicam, incautum obtruncaret; poſteaquam ad *Hienyang*, quæ eſt in provincia *Xenſi* urbs Imperatoris ſedes, pervenit, ille cognita adventus cauſ[a], magno exceptum gaudio, ſtatim admiſit ad colloquium. Ibi *Kimcous*, etſi frequenti aulicorum corona cinctus, ſimul in manum tradit Imperatori chorographiam, ſimul accipientem educta ſica ferit; at ictu cœco. Imperator enim inſidias notans in tempore, modico flexu corporis periculum evaſit in[c]ol[um]is. Verum ut alterum ille tentauit ictum; reli-

Proditio in Imperatorem.

ćto ſolio properat elabi ſicario. Quem fugientem urgens audaciſſime *Kimcous* per obſtantes undique aulicos, prout quemque fors offerebat, impune feriendo viam aperit ſibi. Nemo enim ex illis, ne cultellum quidem habebat; è ſeveriſſimo Sinarum more, ut in aulam arma quæcunque intuliſſe pro crimine læſæ majeſtatis habeatur. Ipſum quidem Imperatorem periculi novitas adeo perturbavit, ut non meminiſſet ſe acinace præcinćtum; donec ab aulico quodam monitus eumque diſtringens *Kimcoum* immani vulnere medium ſecuit, modo exanimis, repente animoſus vićtor.

Eluſa.

Hoc periculo defunćtus vehementiſſime in *Yenem* excanduit. Nec enim credebat à filio ſolo tentatum facinus; ſed mandaſſe patrem. Itaque ingentem exercitum in illum ducit; eoque magnis cladibus obtrito, mox omnem ipſius provinciam pervaſtat; *Hium* quoque in tantum perſequens, ut *Yen* rex *Tanum* filium ſuum, tanti mali fontem obtruncaret ipſemet, ad Imperatorem miſſo capite pacem oraturus. Quam tamen ne ſic quidem obtinuit; obſtinato ad eum ultimo perſequendum Imperatore, quoad demum captum publice juſſit è medio tolli cum omnibus è regio ſanguine, quotquot conquiri potuere, deminuto in provinciæ modum ac depopulato miſere regno. Quinquennium tenuit hoc bellum. Quo tempore ſimul inferebat Imperator arma *Guei* regi per *Puenum* Præfećtum ſuum; qui ſub eos ipſos fere dies, queîs *Yenem* ille debellavit, etiam devicit *Gueium*, & in urbe obſeſſum eo adegit, ut ſe permitteret vićtoris arbitrio. *Tuonus* nomen erat regi; quem ad ſe venientem *Puenus* excepit honorifice. Sed gnarus, Imperatori conſtitutum, cunćtos reges delere ac reſtituere lapſam in diverſos dominos monarchiam; eum necavit, *Gueique* regnum univerſum, quod erat ampliſſimum, in provinciæ humilitatem dejecit.

Filius pacis vićtima nullo fruću.

Iamque *Xius* omnes prope Boreas Imperii Sinici regiones in ſuam ditionem redegerat, incredibilem celeritatem uſque comitante fortuna. Provincia *Xantung* ſubjuganda reſtabat ex ea parte, qua *Ci* regnum complećtitur; cum quo tanquam tributario pacem ſimulabat

mulabat magis quam habebat. Capto igitur conſilio de adjiciendis imperio provinciis Auſtralibus, primo decrevit *Zu* regem bello laceſſere; *Kiangſi* & *Huyuang* ampla tenentem regna, circumque jacentium regionum dominum. Quare advocato *Liſinio* militum Præfecto, *Indigeo*, inquit, *opera tua ad regnum* Zu *armis noſtris ſubigendum. Conſidera diligenter, quanto exercitu, quibuſque rebus aliis opus ſit tibi, ut bene inſtructus contra tantum regem procedas.* Tum ille, *Ducenta militum millia mihi abunde ſufficient; his, quod mandas, effectum dabo, regnumque* Zu *ſubſternam imperio tuo.* Dein eodem modo U*angcienum* interrogat, veterem bonumque militiâ ducem, cujus operam belli jam multum expertus erat. Sed hic longe aliter ſentiens, *Ego vero*, inquit, *tantum regem, tam late regnantem, tantiſque copiis abundans* Zu *regnum aggredi non auſim, niſi ſexcentûm millium inſtructus exercitu. Multo enim plures, ut audies, adverſum nos educet* Zuus. *Illud te meminiſſe velim, cum de ſumma rei agitur, ſummas vires neceſſarias eſſe, ne deinde nos pœniteat eas non adhibuiſſe.* Subridens Imperator, *Tu vero ut video, jam ſenex es*, inquit, *nec miror adeo timidum conſilium:* eoque poſthabito *Liſinium* cum ducentis millibus, ut petierat, contra *Zuum* mittit. At majore cum exercitu proceſſit obviam illi *Zuus*; atque, ubi ad arma ventum, ingenti commiſſa pugna, coëgit tandem *Liſinium* terga vertere, cum immodica repulſum ſtrage. Pluſquam octoginta hominum millia cecidiſſe memorant.

Exhorruit ad nunciatam cladem Imperator; vehementerque ſolicitus ac metuens imperio, ſine mora U*angcieni* domum tendere, tantumque non rogare, ut contra *Zuum* præfecturam militum ſuſcipiat. Tum Uangcienus, *Atqui nunc ſenior ſum*, inquit, *quam, cum me ridebas, eram; quin & ad ſenium jam acceſſit morbus. Si tamen obſtinate placet me contra* Zuum *ire, ſexcenta militum millia in procinctu ſunto; his perditam rem reſtituam, his regnum* Zu *tibi ſubjiciam.* Annuit jam Imperator, &, conſcriberet ergo, quantum vellet exercitum juſſit. Nec moratus imperium U*angcie-* *Magna cædes.*

P 2 *nus*,

nus, collectis undique militibus maxime veteranis ac ducibus quamplurimis, qui jam ſub ſuis ſignis militaverant, cum ingenti & inſtructiſſimo exercitu contra *Zuum* progreditur. Sed neque nunc cum minoribus copiis occurrit ei rex, *Hiangyueno* ejus Præfecto ductore. Pugnatur atrociter, & magna utrimque contentione, dubio Marte; ſed demum *Uangcieni* virtutem ſequente victoria, *Zu* regis exercitus, qui modo victor fuerat, victus eſt, amiſſo etiam *Hiangyueno*, fortiſſimo duce. Scribunt, aliquot centena hominum millia eo prœlio utrinque cecidiſſe, tantum ſanguinis fuſum, ut ſuperſtites genuum tenus eo merſi pugna excederent.

Major priori.

Poſt hanc inſignem victoriam *Uangcienus* regnum *Zu* aggreſſus, magnam illius partem occupavit. *Zuus* interea omnes ſuas vires convocans & exercitu non modo reparato, ſed aucto etiam, utpote de tota re periculum facturus, pluſquam decies centenis armatorum millibus collectis, animi plenus in *Uangcienum* movet. At ille conſpecto exercitu pugnam detrectat, cunctando tantam multitudinem debilitari frangique poſſe ſperans. Itaque vallatis undique caſtris ſe continet, invecta è vicinis regionibus, quas vaſtaverat, annonæ vi magna; quæ dum conſumeretur, interea non dubitabat *Zu* regis exercitum fame premendum, tanta hominum equorumque multitudine conſtantem. Sed enim *Uangcienum* fefellit hæc opinio. Nam undique affatim annonæ ad *Zu* regis exercitum è fertiliſſimo, eoque rebus omnibus abundante regno advehebatur. Quare mutato conſilio, alio ſtratagemate vicit hoſtem. Clauſus in caſtris continuo exercet milites ſuos, ordines ſervare docet, proprium cuique locum aſſignat, ubi ſtare debeant, ubi cedere. Quo factum eſt, ut, ad nutum monentis intentus omnis exercitus in ordinem mira celeritate coiret, exiretque caſtris; tamdiu conſiſtens, quam exercitum regium acie nondum compoſitum videbat. Verum ubi acies exornata erat; illico dato ſigno ſuos *Uangcienus* reduxit in caſtra. Sæpius hac arte luſus hoſtilis exercitus & denique fatigatus, omiſſa cura toties inani,

Stratagema.

inani, etſi ſtrueret *Uangcienus* copias ſuas, nunquam poſtea ſe pugnæ compoſuit. Et hoc demum erat, quod dudum ſpectaverat *Uangcienus*. Quare deſtinato die ſummo mane ſuos ad pugnam egregie inſtructos ac tota de re prius edoctos ſolito more producit è caſtris. Illi momento compoſiti ac cohærentes, ita ut didicerant, hoſtem tale nil opinantem & imparatum invadunt edita ſtrage tam furiali, ut, ſi fides habenda ſcriptoribus. ligna trabeſque in ſanguine humano natarent. *Foſous* ipſe (nomen hoc erat *Zu* regis) captus ac poſtea cum conſanguineis, quotquot aderant, ad Imperatorem miſſus, ejuſdem juſſu, barbaro gentis more, una cum illis morte affectus eſt. Ita *Zu* regnum occupavit univerſum Imperator, antecedentium fortunæ ſociatum redactumque in provinciam. *Ingens clades.*

Barbarus iſte mos, qui occupato regno jubet omnes regi conſanguinitate propinquos mares una cum ipſo funditus deleri, perantiquus eſt, hodieque durat. Quot nos vidimus his annis inſontes nec niſi de natalium felicitate reos puerulos, juvenes, regulos denique ſub Tartarorum jugum ultro abeuntes, ab iis hoc ſolum nomine occiſos, quod ex imperatoria ſtirpe oriundi? *Tamingam* dico, ſive conſanguineos è *Chu*, quos hodie crudeliſſime Tartari perſequuntur. *Crudelitas in regiam familiam.*

De hujus *Foſoi* parente Sinenſis hiſtoricus miranarrat hoc loco. *Uonus* rex *Zu* ejus proavus habebatur. In iſtius demortui locum ſuffectus *Kaolieus* filius, licet in annos perquam multos vixerit ac regnarit, nulla tamen unquam prole felix fuit. Quæ res apud Sinas, ut olim apud Iudæos, inter primas calamitates numeratur, idque non à regibus & magnatibus tantum, ſed ab infimis etiam hominibus. Quin ex eorum philoſophia ſterilitatis malum ſumma cenſetur protervitas in parentes, quorum ſucceſſio filiorum ſcilicet vitio ſcindatur ac concidat. Teterrimum facinus admiſiſſe minus probrum eſt, quam abſque liberis eſſe. Maximæ quoque triſtitiæ materies eſt illa, quaſi non habituri ſint poſt obitum, à quo plorentur, exſpectentque honorem ſepulturæ. Hinc eſt, ut omni ſpe prolis abſciſſa, concubinarum præcipue copiam ſuperinducant. *Sterilitas apud Sinas calamitoſa.*

ducant. Idem faciendi probabilis cauſa *Kaolieo* regi viſa; cujus Præfectus maximus *Chumxinius* de regia propagine ſolicitus incredibilem omnis ordinis puellarum gregem ſubinde ad illum introducebat, ex aliqua poſſe fortaſſe gignere ſpe ductus; at inani. Habebat tunc ex ima plebe quidam comœdus miræ pulchritudinis filiam, & ipſam geſtum agentem in ſcena. Eam deamabat *Chumxinius*; è quo ſe gravidam illa ſentiens, de patris ſui conſilio ſuum amaſium alloquitur in hunc modum. *Regi* Zu *nec eſſe ſcis nec adeo exſpectari filium; quo proinde mortuo frater ejus natu minor invadet regnum. Vide, obſecro, ut caute agas. Non enim & illud te latet, aliquoties eum abs te offenſum, negante, quæ poſtulabat. Tu quidem egiſti ex mandato regis omnia; ſed ille non dubitat, quin ea ſint acta te authore, in quem ſine dubio quippiam ſtatuet illatabile, injuriarum, quas ei nullas obtuliſti, umbra in memoriam redeunte, ubi ad gubernacula regni acceſſerit. Accipe, chariſſime, ſi potes, à muliere conſilium. Ego nunc ex te ſum gravida; cujus arcani præter me ac te conſcius eſt nemo. Eugè, uti ſoles ceteras puellas, me quoque ad regem intromitte; favente Cælo maſculum enitar*, Zuoque *regi ſucceſſorem è tuo ſanguine.* Statim annuit impudentiſſimæ mulieri non jam libidine tantum, ſed ambitione quoque inſaniens amator; atque, ut rem celaret melius, illam è domo ſua clam dimittit ad patrem. Ipſe ad regem eodem adhuc die venit; docet inventam à ſe adoleſcentulam vultu venuſtiſſimo, eamque in ceteris, quanto poteſt opere, commendat. Exarſit illico ejus videndæ deſiderio rex; eodemque die introducta ad novum amatorem, quæ adhuc comœdias actitarat, haud multo poſt ingentem excitavit tragœdiam. Exactis menſibus, quos natura maturando in lucem fœtui dedit, in palatio totius regni lætitia marem enixa, quem *Yenum* vocarunt, *Foſoi* patri regnum aſſeruit; omni populo, quamprimum natus eſt princeps, in ejus obſequium jurante. Mater habita pro vera regina & ab rege unice amata coronam accepit; ejus etiam patre ab humillimo fortunæ gradu ad ſummos honores ſublato. Verum continuo intervenit, aulis fa-

Comœda puella fraude in reginam aſſumta.

miliare

miliare malum, invidia. *Chumxinius* enim ſoceri felicitate livens ferre non poterat æquatum, imo prælatum ſibi nullius nominis comœdum. Et hic veritus, ne fraus à conſcio *Chumxinio* vulgaretur, nil intentatum relinquere, quo eum è medio tolleret. Inſidiis denique mors *Kaoliei* regis feneſtram aperuit. Novi namque regis mater falſis criminationibus impetravit à filio, ut occulte *Chumxinium*, verum quidem patrem, ſed æque occultum necari juſſerit. Pœnas quidem nequitiæ ſuæ *Chumxinius* non modo perſolvit ipſe, ſed etiam tota ejus familia; quam arbitrio ſuo permiſſam comœdus, & hanc, & arcanorum conſcios exſtinxit omnes Hic ergo rex dictus eſt *Yenus*, Comicæ & *Chumxinii* filius, qui *Foſoi* regis à *Cino* Imperatore interfecti pater fuit. *Odia orta inter ſceleris miniſtros.*

Deerat adhuc *Ci* rex, cum quo pacem ſimulabat magis, quam habebat *Xinus* Imperator. Initio namque bellorum, ut eum ad rumpendum fœdus adigeret, pacem cum illo fecerat, multa promittens. Subornaverat etiam amicos *Ci* regis, ſeu verius perfidioſos ac prævaricantes Imperatori. Hi à *Xino* corrupti, regem variis rationibus ac conſiliis induxerunt, ut deſiſteret à fœdere. Verum, ut erat perfidus, ac totius imperii obtinendi flagrans cupiditate, poſtquam aliunde quod raperet, non habuit, *Ci* regnum invaſit, *Pueno* Præfecto duce. Ille re ſtrenue geſta *Kienum Ci* regem acie ſuperatum captumq; ad Imperatorem abduxit. Quem *Xius* non quidem occidi juſſit, ſed intra nemus pinis nobile, ſeu vivarium undique ſeptum claudi, precariam vitam permodico tolerantem cibo. Sed non erat neceſſe illum fame plectere, qui nemus ingreſſus, id ſupplicium auxit ſimul ac finiit, voluntaria ſolutus inedia. *Mors regis voluntaria.*

Unus *Han* rex ad Imperatorem ultro profectus, regnumque ac militem omnem ei ſubjiciens, in aula tanquam tributarium regulum ſe commoraturum promiſit. Unde cumprimis gratia florebat apud *Xinum*, inter aulicos ab eo numeratus; & quia philoſophiæ Sinicæ peritus erat, ac bonus conſilio, illum ſibi voluit à conſiliis eſſe, multumque gaudebat cum eo de gubernatione ac legibus diſputare.

Interea ne tranquilla & læta omnia eſſent, *Laotous* unus ex aulæ famulitio rebellionem cœptavit. Sed Imperatoris ſive virtus ſive felicitas hunc etiam delevit, & poſt illatam cladem comprehenſum cum conſanguineis omnibus ad tertiam uſque progeniem exſtinxit. Hunc regina *Xini* mater apud ſe famuli loco habuerat, dominam impudicam tam familiariter depereuntis, ut duos ex eo filios genuerit. Hic ergo adjutus ab amaſia, majora cogitare cœpit, &, quod mireris, è ſervili fortuna in ſpem imperii conſurgere. Temeritatem hominis protollebat maxime ſigillum imperatorium; quo, quoties volebat, utebatur. Erat enim illud in reginæ matris poteſtate; quo diplomatis in futurum uſum ipſe fictis, ita rem ordinavit, ut adverſus Imperatorem in procinctu ſtaret ingens exercitus. At, ſicut paulo ante dictum eſt, ſuperatus tandem commeritas perduellionis atque libidinis pœnas dedit. Habuit & alium procum libidinis exſtimulata furiis Imperatoris mater, *Liupugueium* nomine, cetera egregium bello ducem; qui poſteaquam ab Imperatore rem detectam audivit, fuga captivitatem antevertit. Sed enim quæſitus undique, ne vivus in Imperatoris veniret manus, ipſe ſua manu interiit. Tum denique Imperator verſa in propudioſam parentem ira, multat eam exilio, duos è *Laotoo* filios necat; ſanciens edicto publico, nequis Præfectorum id factum ſolita libertate regi vitio daret, capitis pœna conſtituta peccantibus. Sciebat enim Præfectos Philoſophoſque Sinicos non laturos tantam, ut ipſi putant, impietatem in matrem. Incredibilis eſt enim Sinarum erga parentes obedientia, veneratioque tam religioſa, ut nefas habeatur, in quacunque demum cauſa filium patri matrive vel leviter iraſci aut reſiſtere. Qua laude Sinas plane cunctis nationibus facile ſuperiores eſſe, ſupra diximus.

Sigilli uſus famulo conceſſus malo eventu.

Prohibita monendi libertas.

Verum enimvero quantumcunque vetuerit Imperator, ne fieret expoſtulatio; Præfectis tamen compluribus aviti moris æquitas inexorabilis ante mortem fuit; graviſſime ferentibus, Imperatori ſuo in tantum adverſus matrem obſequium periiſſe. Diverſis itaque

Sed non adempta.

que diebus Præfectorum viginti quinque necati ſunt, Imperatori magna gravitate atque conſtantia, dicto ſcriptoque improbum facinus exprobrantium ſimulque rogantium, ut reginam matrem ab exilio revocaret.

Viginti quinque monitores necati.

Non tulit amplius eam ſævitiam è regno *Ci* oriundus Philoſophus juxta & Præfectus *Maocius*. Hic mira eloquentia in animum Imperatoris irrepſit, eoque partim rogando, partim ſuadendo adegit, ut ei demum copiam faceret increpandi ſui. Tum *Maocius*, *Omnino*, infit, *reprehenſione dignus es, Imperator. Erraſti enim, & errantem Imperatorem corrigere per optimum quemque non modo licitum, ſed etiam laude dignum ſemper habitum eſt. De te vero quid dicam? Monendi munus, cujus exercendi libertas optimorum regum exemplo mihi conceſſa, tuo tu edicto ſuſtuliſti. Refige, quæſo, tabulas aſſerendæ majeſtati nil profuturas; &, quod ſanctiſſimi reges in beneficii loco poſuere, moneri te patere. Si te bonorum exemplum ſequi pudet; vide, ne ſis iniquus in teipſum judex. Alterutrum enim neceſſe eſt admittas, vel illos monitorem paſſos bene feciſſe, vel te diſparem eis ac malum regem eſſe.* Libertate loquentis offenſus Imperator tanto dolore & ira efferbuit, ut ſpumas ageret ex ore; ſtrictoque furenter enſe, ut erat impotens iræ, in *Maocium* ruit. In ipſo tamen ictu ſe continuit ſpatiumque animo dedit, ad exquiſitiorem pœnam *Maocium* differenti. Nam ferro cadere nimio minus ſæva mors erat. Actutum igitur afferri vas æneum jubet, in eoque *Maocium* igne torqueri. Nihil is territus eſt atrocitate ſupplicii; accedenſque propius ad Imperatorem, & corporis inclinatione majeſtatem veneratus, erecto dein imperturbatoque vultu ſic eum affatur. *Iam inde à puero ex optimorum lectione librorum memini me diſcere, recte viventi honeſtam mortem non eſſe fugiendam, ſed & hoc audivi, maxime timendum regibus, ne per vitia regno excidant. Qui honeſta in cauſa mori timet, indignus eſt vita; & indignus regno, qui non timet illud amittere. Quo pacto bene vivas & moriare perinde, ut vixeris, quoque pacto conſerves vel amittas regnum; ea demum prima*

Maocii in monendo libertas.

Inconcuſſa poſt mortis minas.

ma debet eſſe cura regibus, ut ſciant. Nunc ex te quæro, Imperator hæc ſcire malis an ignorare? Tenuit Imperatorem anceps interrogatio; & ira interim intepeſcente placatior ad *Maocium verſus, Quæ modo locutus es*, ait, *non ſatis intelligo; expone, quæ ſentis, apertius.* Tum Maocius, *Poſtquam igitur abs te, ô Imperator*, inquit, *conceſſum eſt mihi, libere, quæ ſentiam, eloqui; faciam id unico bono tuo; vel certe, ſi teipſum odiſſe potes, publico. Quatuor præcipue ſunt, abominanda, inaudita quidem certe, quæ patraſti; quorum turpitudinem haud agnoſcis. Ea niſi deteſtere, nec vivere bene potes nec pulchre mori; quin & de imperio periclitaris. Primo in patris tui manes impius fuiſti, uxorem illius, ut pudicitiæ torique violati ream infamando, &, quo conſpectius illius crimen eſſet, in exilium ejiciendo. Id quod eſt alterum tuum crimen; teſtimonium luculentum impietatis in matrem ac contumaciæ tuæ. Tum duos fratres, pueros inſontes, ex eodem utero, quo tu, genitos privatim ac domi, ſed impius ubique, necaviſti. Denique proborum virorum, vere tibi amicorum tuiſque commodis unice ſtudentium viginti ſeptem ſanguine nefarias manus imbuiſti. Quis unquam Imperatorum, etiam qui nequiſſimi habebantur, ad hanc tyrannidem proceſſit? Quid enim* Kieo, *quid* Cheo *nequius? utrumque tu, (ſed quid utrumque dico?) tu nequitia unus omnes ſuperaſti. Hæc ubi fama differet longe lateque per imperium; quid deinde futurum putas? tuque ac familia tua omnis odium eritis publicum. Virtutem amant omnes in Imperatore, vitia nemo. Hinc, niſi improbus, præfecturæ munus nemo volet ſuſcipere; tu deſtitutus ab omnibus quid facies? Non agis, opinor, magnas gratias ſolicitudini meæ; timeo nihilo ſecius è factis tuis interitum tibi, &, ne perdas vitiis, quod tot victoriis acquiſiviſti.* Hæc locutus, veſtes & inſignia præfecturæ, queis tunc erat ornatus, abjicit ante Imperatoris pedes. Is primum obſtupeſcentis modo hæſit aliquantiſper; dein è throno ſurgens, ſuis ipſe manibus *Maocii* recompoſito amictu, conſtantem adeo fidumque Præfectum mirifice dilaudavit. Ibi ante acta ultro damnare, accuſare ſeipſum; jubens illico revocari matrem. Obviamque

Tandem vincit.

viamque progreſſus redeuntem excepit humilitate filii, veniam petens impietatis, magna totius imperii matriſque lætitia.

Libertatis atque conſtantiæ, qua Præfecti Sinenſes utuntur in objurgandis ſuis regibus, ſupra jam exempla quædam attulimus; quæ mirabuntur quidem, at imitari non audebunt Europæi. Sciant hi tamen hoc non antiquitus tantum apud Sinas in uſu fuiſſe, ſed & nunc eſſe, ut Præfecti, cum à regibus ſalutaria eorum monita non audiuntur, inſignia veſtitumque muneris indicem coram rege abjiciant; palam conteſtantes eo facto, nolle ſe amplius fungi munere, cujus ſigno jam nullo noſcerentur. Eoque ſe apertius abdicant, ſiquid moliatur Imperator, quod in detrimentum reipublicæ ceſſurum timent; nec eis dicto ſit audiens aliud ſuadentibus. Id aliquot abhinc annos ſub *Uanlieno* Imperatore contigit; qui ceteras ſummaſque laudes vagis amoribus infamavit. Tametſi enim legitimos habebat filios; imperii tamen heredem, è concubina, quam efflictim deperibat, filium declarare ipſi deliberatum erat. Sed Præfecti omnes conſenſu negant id fieri ſe paſſuros. Quorum conſpirationem cum inſuper haberet Imperator; tum vero quotquot erant in urbe regia, (ad duo millia fuiſſe reperio) palatium ingreſſi, præfecturæ poſitis inſignibus adegere volentem nolentem, ut legitimum ſucceſſorem declararet. Idem anno milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo primo, priuſquam è Sina exirem, accidit. Mortuo namque in regia, *Peking* appellata, regio tutore, cum alios (Tartarus is erat) tutelæ nomine adminiſtrare vellet imperium, regis ætatem cauſatus adhuc imparem tantæ moli; Præfectis omnibus perículoſæ ambitioni contradicentibus & inſignia ſui muneris projicientibus cedere demum coactus eſt. Atque in hunc modum ſexdecim annorum adoleſcens, cui debebatur, imperii gubernacula tractare cœpit, *Xunghi* dictus. Sed nos ad *Xiuum* revertamur.

Mos abjiciendi officiorum inſignia, ſi monitores a regibus non audiantur.

Is non multo poſt imperium totum luſtrans, maximum operæ pretium fecit; adjectis ditioni ſuæ, poſtquam *Kiang* fluvium ſuperavit, *Yue* regnis. Exſtant adhuc

adhuc multa ejus itineris monimenta; præcipue in provincia, *Chekiang* indigetata, non procul *Hangcheu* metropoli, cui mons adjacet, è quo *Xius* mare proſpexit. Mons hodieque vocatur *Xii* proſpectus in mare. Hoc tamen iter haud immune fuit omnis periculi; comparatis in Imperatoris caput inſidiis, *Changleango* regis *Hani* Præfecto authore. Hic cum non æque manu promtus atque ingenio eſſet; omnibus bonis ſuis divenditis conduxit audaciſſimum ſicarium, qui Imperatorem iter agentem è medio tolleret. Petebat is tunc eas Sinæ partes, quæ ad orientem vergunt; jamque ad arenas pervenerat, qua difficilis erat tranſitus, cum opperiens eum ſicarius repente ſtricto acinace nil tale opinantem petit. Actum de eo fuit, niſi adverſum ictum currus latera fregiſſent. Quo proinde innoxio, inobſervabili dexteritate celeriter ſe proripiens inde ſicarius, nuſquam amplius comparuit, etſi toto imperio perquam ſtudioſe ac diligenter à Præfectis omnibus quæreretur. *Changleangus* & ipſe ſibi fuga conſulens in montibus latuit; quoad multis in hujus Imperatoris ſucceſſorem rebellantibus, ipſe unus ad *Lieupangi* cauſam ſe acclinavit; cujus ille potiſſimum conſiliis imperium obtinuit, ut in loco memorabimus.

Anno imperii ſecundo ac trigeſimo ad eas plagas, quæ Boream ſpectant, luſtradas Imperator animum adjecit. Inibi ex maritima navigatione redeuntem *Luſengum* habuit obviam. Is inter cetera chorographiam obtulit Imperatori, orbis aliquas plagas repræſentantem, inprimis autem extremæ hujus Aſiæ atque inſularum Eoum mare diſtinguentium. Ex quo ſuſpicari licet, jam, hoc Imperatore, Sinas ad Indos navigaſſe; in *Iaponiam* item, *Luſoniam* regioneſque proniores occidenti. Vnde opinantur porro aliqui, *Cingala*, quod Sinarum ſyrtes ſignificat, ad quas una claſſis periit, nomen ortum. Hinc *Ceilan* ſive *Sinlan* quod Sinæ incolas ſignificat, hoc eſt, Sinas. Et quia C littera nominis eſt hujus principium; inde noſtra de *Cinarum* appellatione figitur opinio, quam ab hac imperatoria *Cina* familia natam aſſeruimus. Præterea

terea in inſulam uſque S. Laurentii perveniſſe Sinas, illud eſt argumento, quod etiam nunc eam colit Sinica gens, maxime in S. Claræ ſinu, quo loco candido adhuc vultu homines lingua loquuntur Sinica; quod ex nautis, qui eo appulerunt, ſæpius audivi. Et hæc Sinarum navigatio ad omnes Indici maris inſulas, & in ipſam uſque Indiam vigebat etiam ea tempeſtate, qua *Luſitani* primum Indiam ingreſſi ſunt, intermiſſa deinde tamen, partim longinquitate locorum obſtante, partim *Luſitanorum* metu. In *Iaponia* vero nunc quoque *Philippinas, Macaſariam, Iavam, Camboyam, Sion* & *Cochinchinam* navigant exercentque commercia. Quæ talia Sinicis ſcriptoribus vix leviter attingi non eſt mirandum. Sicut enim magnifice de ſe alteque ſentiunt; ita præ ſe contemnunt alios, & exterarum nationum regnorumve res ſuarum litterarum memoria indignas putant. Et ſane totius Indiæ populos Sinis circumjacentes mere barbaros incultoſque dixeris, Si cum Sinis comparentur.

Sub hæc tamen tempora rediit ad Imperatorem ex *Iaponia* claſſis, quam nauclerus ab eo per fraudem obtinuerat una cum colonis ad *Iaponiam* frequentius habitandam. Narrabat enim inter inſulas *Iaponiæ* unam præ ceteris antidoti feracem eſſe; quo ſi uteretur Imperator, æternus & immortalis foret. Sed præter milites naveſque ſibi virgines inſuper puellas trecentas, totidemque pueros eſſe neceſſarios, à quibus unis inveniri poſſet illud antidotum. Cum fraudulentæ petitioni annuiſſet Imperator; ille *Iaponiam* repetens, poſteaquam naves portum tenuere, condita urbe ſeſe regem fecit. Hinc *Iaponia* maxime frequentari cœpta, *Iapones* à Sinis ſe oriundos eſſe gloriantur. *Iapones à Sinis orti.* *Qua occaſione?*

Itaque dum eas, de quibus modo dictum eſt, Sinæ partes perluſtrat omnes Imperator; à *Tartarorum* irruptionibus parum tutas videns, quonam eos arceret modo, cogitare cœpit. Primo igitur *Mungtienum* Præfectum cum trecentis armatorum millibus ad vaſtandos *Tartaros* mittit. Queîs brevi victis atque ad remotiores regiones domo pulſis; deſcri-

Murus Sinenſis captus.

deſcripto dein accurate terrarum, vallium, montiumque numero, magnum illum celebremque murum à litore maris *Laotung* provinciam alluentis ad *Lintao* uſque provinciæ *Xenſi* urbem in *Crocei* fluminis litore, continua propemodum ſerie caſtellis ac turribus, prout opportunum quoque loco videbatur, emunitum per decem ſtadiorum Sinicorum millia, quod Sinæ ſcribunt, memorabili opere deduxit. Vnde ſi leucam ſtadiis ſexdecim Sinenſibus finiamus, ad leucas ſexcentas porrectum habebimus. Sed exacta ejus longitudo ex Atlante noſtræ extremæ Aſiæ petenda eſt. Omnino murus hic (quem Sinæ *Uanliching* vocant, ſive murum ſtadiorum decies mille) opus ingens fuit ac maxime mirandum, quod ad noſtra uſque tempora firmiſſimum perdurat. Sudavit in eo perficiendo incredibilis hominum multitudo. Nam è toto imperio tertium quemque laboris iſtius patientem voluit adeſſe; unde variis in locis inceptus eſt ac deinceps continuatus, quoad ultimam recepit manum. Tantam vero ſoliditatem quæſivit operi, ut, ſi quà ferreo clavo penetrari poſſet, iis, qui partem illam ſtruxiſſent, capitalis eſſet negligentia. Tanti operis fundamenta molitus, uti dictum, ad *Leaotung*, quà in ſinum cogitur mare, naves crudi ferri maſſis onuſtas merſit, ad duo ſtadia ruente in profundum pondere. Muri latitudo, ſenos ſimul, & octonos etiam equites capit, nullo extra orbitam labendi periculo; denuo vel ex hac parte ſtupendum opus, quinquennii ſpatio perfectum. Qua flumina intermeant, non continuatur fornicibus; ſed nuſquam apertior ejus eſt hiatus, quam qua dividitur horridis montibus prope *Taitum* urbem, ubi *Tie* populi habitabant, quos Imperator evictos intra muri crepidines maxima ex parte coërcuit. Variis quoque locis caſtella exſtruxit, præſidiariorum bono. Portas opportunioribus locis diſpoſuit; unde, ubi uſus poſceret, facilior eſſet in *Tartariam* eruptio, & exitus ad commercia. Decies centena militum millia fere ſemper alebant Imperatores Sinici ad muri cuſtodiam. Sparſis quidem, quod erat neceſſe; annona tamen ex toto imperio ſtatis anni tem-

Ad ejus ſtructuram tertius quiſque vocatus.

Decies centies milleni cuſtodes ejus muri.

temporibus atque ordine advecta ſufficiebat omnibus. Exſtructus eſt murus anno ante vulgarem Chriſti epocham ducenteſimo decimo quinto.

Structus ante Chriſtum annis 215.

Ceterum ſanctiſſima ſui nominis Imperatori fuit exiſtimatio; & , ſi fuiſſet honoris cupiditas intra modum, hac una re ad poſteros utcunque memorabili. Verum ille non ſolum laudem quærebat, ſed ſibi ſoli, unum id agenti, ut priorum Imperatorum omnium exſtingueretur memoria. Hinc nulli fas volebat eſſe de alio, quam de ſe loqui; quod crederet egregiis factis à ſe omnes eſſe ſuperatos. Quam ob rem juſſit edicto publico, ſeveriſſimis pœnis propoſitis, omnes Sinicos libros exuri. Tametſi vero ſpectabat hoc unicè, ut aliorum laude ſeneſcente, omnes inpoſterum de ſe uno ſcriberent; aliam tamen cauſam prætexuit. Hoc edictum anno imperii quarto & trigeſimo publicavit. De quo facto ſupra quam dici poteſt, & olim & nunc etiam male audit apud Sinas; queîs ſera licet vindicta ſuavis eſt maledictis omnibus & exſecrationibus mortuum confodere. Sic unde præclaram famam quærebat, inſigne dedecus & infamiam apud poſteros invenit. Hujus exuſtionis authorem etiam *Liſuum* faciunt; qui, ut ſupra dictum eſt, haud mollem ſane ſententiam in regulorum cauſa tulit. Hoc tempore Colai dignitatem ſuſtinebat; quem in concilio, cum negotium de comburendis libris tractaretur, ut litterarum contemtorem, ita locutum ferunt. *Olim, cum in plures diviſa dominos eſſent regna, non abnuerim neceſſarium litterarum ſtudium fuiſſe, ut, quæ ad cujuſcunque regni gubernationem pertinerent, è libris promerentur. Nunc eviluit hæc ratio, cum ſub unius imperio totus quieſcit orbis, unius omnes nutum intuentur. Vnus ordo, una lex ſervanda; cui rei quid plura ſcire ſit opus, ego quidem neſcio, at obeſſe potius, hoc ſcio. Quid enim? otioſis litigioſiſque litteratoribus regnum cur oppleamus, haud diſpicio. Res ruſticæ ſunt & agricultura, qua nititur felicitas imperii; huc admovendus eſt populus; hinc majus aliquid ac fructuoſius quam à ſterilibus litteris expectandum. Harum ſtudioſi tantum antiquis ſtudent, præterita ſcire pulchrum putant, hodierna ac præſentia velut*

Inſana ambitio.

Libri Sinici exuſti.

Stulta oratio litteras & litteratos damnantis.

velut indigna ſuo magiſterio rejiciunt ; vetera , nec aliud laudantes , in eorum ſtudio moriuntur. Nec vident hæc ab illis longe diverſa tempora eſſe , quamvis de doctrina interim ſua ſibi prolixe blandiantur. Volunt hujus eſſe temporis magiſtri , neque tamen huic tempori ſe accommodant. Si quod edictum exeat ab Imperatore , atque in vulgus emanet ; prima eſt , & , ſi Cælo placet , maximi momenti diſquiſitio. Numquid novi ? num olim uſitatum ? Si reſpondemus , olim ſalva res ; ſin aliter , tum continuo cenſura pluſquam tolerabili vapulat una cum Imperatore decretum. Ecquonam iſtud merito ? non eſt antiquum. Quin & motus amat plebiſque ſeceſſionem iſta magiſtrorum ratio. Quo impenſius Imperatori vigilandum , ac , nequis libros habeat domi vel ſuæ vel alienæ, neve abſcondat, ſed quamprimum addicat flammis , etiam ſub mortis pœna denunciandum , ſalvis tamen illis , qui de agricultura , de medicina , de divinatione tractant. Quod ſi quis imperii noſtri politiam modumque gubernandi ſcire volet ; non è libris , ſed audiens à regis Præfecto, cui demandata ea cura , diſcat. Peſtilens & exitioſa litteris fuit hæc oratio. Nam omnes fere Sinici libri periere. *Cinho* dicitur à Sinis , id eſt , *Cinæ* familiæ ignis , hæc exuſtio. Quantam vero diligentiam adhibuerint in libris indagandis Præfecti , vix credi poteſt. Vrgebat Imperator ipſe vehementer ; quo jubente ſine mora necati ſunt extinctæque familiæ , apud quos quaſve libri reperiebantur. Nondum ignis ille deletus eſt è Sinarum animis , tantam tot librorum ingeniorumque cladem & hodie lamentantium. Præcipui doloris materiam ſufficiunt Muſica & Mathematica , quas artes olim principatum apud eos tenuiſſe , dubitare non ſinunt tot antiquorum obſervationes mathematicæ , muſicæque laudes. At enim quantocunque furore perditum iere libros , multi tamen , & illi antiquiſſimi ſervati ſunt , haud minus invito , quam inſcio Imperatore.

Ingenio ſervati libri.

Sed eorum ſervandi mirabilem modum reperio. Ajunt enim quandam anum librorum amantem , *Confutii Mentii*que , nec non aliorum nonnullorum libros diviſis paginis ad domus parietes agglutinaſſe. Non-

Nondum ea tempeſtate papyrus erat in uſu; ſed arborum corticibus ac foliis animi decreta mandabant, ut nunc Indi ſolent. Et quoniam erant è materia ſolida, candidaque calce obliti, non difficulter latuere, quoad extincta *Cina* ſtirpe, ab heredibus vetulæ ſunt expromti factique juris publici. Quanquam aliquot litteræ vel temporis vel corticis humeſcentis culpa, legentium oculis ſe ſubduxerant; præſertim in *Confutio*. Quas litteras, licet, quales fuerint aut eſſe debeant, non ignorent; cum tamen illius libros recudunt, eas inſerere non audent, ſed notant in margine. Tanta enim eſt *Confutii* librorum æſtimatio, ut aliquid in iis etiam aperte mutilatum emendare nefas putent. Vix enim reverentiam præſtant minorem *Confutii* libris, quam nos Sacræ Scripturæ; niſi etiam forte majorem. Sane divinos libros ad humanam, hoc eſt, vitioſam intelligentiam mutilare, ad lubitum torquere, ac perperam explicare, multis nulla eſt religio.

Dum tantæ librorum ſtrages fiunt; duo Imperatoris Præfecti, quo intra ſtudia ſua, quippe Philoſophi, ſecurius laterent atque liberius, aula relicta montium abdita petiere. Cauſam fugæ ſcripto ſignificaverant Imperatori, coram id non auſi, ſed excidium librorum atroci ſtylo vindicantes. Qua re magis exulceratus ille, novas inquiſitiones inſtituit ac ſæviores prioribus. Capti librorum tenaces & ſtudioſi omnes; qui multi latitantes in montibus reperti, protractique in forum ſexaginta ſupra quadringentos una cum libris igni pabulum fuere. Multum diſplicuit hæc Imperatoris crudelitas *Fuſuo* ejus filio imperiique heredi; qui, ut erat litterarum diligens, ſæpe patrem rogavit ut tandem vexandis libris ſtatueret modum. Sed necquicquam. Imo cum doctis illis viris impunitatem vitamque depoſceret, adeo pater offenſus eſt, ut è ſuo conſpectu abire juſſum atque ad Boreas plagas relegatum multaret exilio Ibi *Mumhoëo* militum duci cuſtodiendum tradidit. Et hæc aulæ patriæque privatio deinde debitum imperium ei ſimul & vitam eripuit, ut paulo infra narrabimus.

Iterum exuſti libri cum poſſeſſoribus.

Palatium interea majeſtate plenum exſtruxit orna-

Q vitque

Capax & magnificum palatium.

vitque miris modis, ut erat magnorum operum atque magnificorum amans inprimis. Regiam ſedem legit *Hienyang*, provinciæ *Xenſi* urbem, ubi nunc ejuſdem provinciæ metropolis *Sigan* eſt ſita. Et licet amplum eſſet in ea jam ante palatium; magnificentiæ tamen ſuæ impar & nimis anguſtum ratus, inter alia ingentem & oppido ſumtuoſam adjecit fabricam, quæ ab Oriente in Occidentem paſſus quingentos, ad Auſtro in Septentrionem centenos patebat, itaque ſummo artificio diſpoſita, ut, vacuis licet atriis, decem militum millibus in ea perquam commoda eſſet habitatio. Tot enim eſſe volebat & veteranos omnes eoſque ſelectiores ad palatii ſuique cuſtodiam. Palatium deinde, qua intra mœnia coërcebatur, ad montem uſque *Nanxan* prolatavit; ejuſque montis partem deliciarum cauſa concluſit intra palatium novis exſtructis mœnibus, queîs totum intra urbem circumclauderetur. Ad urbem vero nonniſi per montem patet aditus, & pedeſtri tantum itinere. Nam reliquas illius partes fluvius, cui *Guei* nomen, allambit. Conſtruxit igitur arduum in monte firmiſſimumque propugnaculum, ſubter quo viam occultam effodi juſſit, ad oppidum uſque proximum ingenti opere ipſa montis viſcera penetrans. Quam quidem ita ſubterraneam eſſe voluit, ut aperta quoque ſupra terram eſſet via. Nihil dico de pomariis, vivariis, floribus & hortorum ornamentis aliis; in quibus exornandis & inſtruendis infinitas opes inſumſit, coactoque ſubditorum labore abuſus, ſeque ſuamque familiam inviſam omnibus intolerandamque fecit. Sed hac de re pluribus agam infra.

Nec tamen Imperatori nullo labore ſtetit harum rerum molitio. Annos quinque ſupra viginti dimicandum ei fuit; proſperaque fortuna ſemper uſus, omnibus ſibi ſubjectis pacem peperit hoc tandem anno, qui fuit ante vulgarem Chriſti epocham ſupra ducenteſimum alter & viceſimus. Quem annum in diplomatis ſuis notari primum voluit; eodem quippe legitimus totius imperii conſenſu declaratus Sinarum Imperator. Tum deinde patrem ſuum jam mortuum, primum iſtius familiæ vocat Imperatorem, ſe vero ſcribit ſecundum.

Eſt

Eſt hoc uſitatum Sinis, & in parentes obſervantiæ obſequentiæque argumentum, ut filius nunquam ad altiorem dignitatis gradum, quam pater, aſcendat. Vnde ſi ſuis in rempublic. meritis honores filius adipiſcatur, queîs patri fungi non obtigit, quamprimum, quicquid id felicitatis eſt, poſthumo, ut ſic dicam, jure, cum parente mortuo communicat, notabili apud hanc gentem cæremonia. *Filius non eſt major patre.*

Novas deinde leges invexit ac politicæ gubernationis modum in multis mutavit. Initium anni primam lunarem in ſagittario conjunctionem; inſignia vero militaria & vexilla nigri coloris, ut erat iſtius amans, eſſe voluit.

Iamque ſuſceperat aliquot filios; cum à Præfectis rogatur, ut primogenito ſucceſſore deſignato, reliquos, more majorum, regulos crearet. At *Liſuus* unus è Præfectis majoribus, quo minus alterum fieret, adverſabatur. *Antiquarum familiarum Imperatores*, ajebat, *filios nepoteſve creabant regulos; ſed, ut uſus experiendo nos docuit, eventu non ſecundo. Illi enim paulatim aſſurgentes ad potentiam, moxque ſumtis in affines armis miſcebant & turbabant imperium. Melius à noſtris pacatiuſve nihil exſpecto. Hinc tot bella, tot regnorum inclinationes; quemadmodum & hac ætate nos ipſi vidimus. Minime igitur ſalutare hoc reipubl. conſilium puto; ſed poſtquam ſumma novi Imperatoris virtus id effecit, ut totus terrarum orbis ad unius nutum intueatur, quid attinet plures dominos in noſtrammet armare perniciem? Satius mihi videtur futurum, ſi magnificum in aſſignata cuique urbe palatium ædificemus, in qua opimis reditibus inſtructi regie ſuſtententur & alantur, procul dominatu, procul aut in terras aut in populos imperio. Sic ab Imperatore atque Præfectis cum pendebunt; nihil eſt, quod ab eis timeamus hoſtile, tentare nihil auſuris, præciſa tumultuandi materia.* Hujus igitur ſententiam ſecutus Imperator, eo modo, quem ille ſuaſerat, filiorum ſtatum ordinavit; quæ politiæ ratio noſtris etiam temporibus uſurpata. *Abrogati reguli ab Imperatore geniti.*

Septimo ac trigeſimo, quam *Xius* rerum potiri cœpit anno, Sinam orientem denuo luſtrare viſum è re-

publica. *Hubaius* ejus filius ſecundò genitus, comitandi patris affectus deſiderio, ab eodem per *Liſuum* Colaum id non difficulter obtinuit. Sed in itinere Imperator in morbum incidit, quo exſtinctus eſt hujus anni ſeptimo menſe. Paulo ante mortem ad filium majorem dedit epiſtolam, adjuncto imperii ſigillo. Hæc, ut primo quoque tempore ad filium natu maximum mitterentur, *Huhaio* tradita. Quæ tamen ille, momentum ponens in mora, ſe penes attinuit; ſuppreſſo etiam mortis nuntio, nequid è novis rumoribus detrimenti pateretur imperium. Sed fruſtra, turbantibus omnia per hanc opportunitatem Præfectis, inter quos erant nonnulli, qui familiam *Cinam* acerbe & penitus oderant, & ſub umbra ficti obſequii, plane illius exitium urgebant. *Chaocaus* præcipue, non infimæ ſortis Præfectus, callidus & aſtutia confidens, meditatum facinus exſequi ſtrenue cœpit; nec ante quievit, quam *Cinam* familiam ad interitum redegit omnem. Ergo *Liſuum* fidiſſimum alioquin Imperatoris miniſtrum variis artibus ſubiens adeo induxit, ut majore filio præterito Imperatorem diceret minorem. Sic autem eſt eum allocutus. *Epiſtola & Imperatoris ſigillum, quod is ad majorem natu filium miſit, in poteſtate ſunt* Huhaii *ſecundo geniti, amici tui. Porro tuum eſt ſtatuere, hunc, an* Fuſuum *Imperatorem jubeamus. Quod tuarum eſt partium, id te facturum nihil eſt quod dubitem.* Diriguit ad hanc orationem *Liſuus*, & ira, quam erga veterem dominum immota fides adauxerat, intumens vix ſe continuit, quin è veſtigio trucidaret ipſe *Chacoaum*. Sui tamen potens, tandem reſpondet in hæc verba. *Quod vivis, ô perfidioſe, lenitatis eſt mea, non ſceleris tui. Vita indignus eſt, cui periit fides. Quo ſpectant hæc conſilia, niſi ad ſubruendum imperium? Talia certe ſunt, quæ in medium attuliſti, quæ nequiſſimo cuique turpiſſimum ſit loqui.* Chaocaus quaſi non tactus oratione contumelioſa, & ad *Liſuum* verſus, *Virtus, potentia, conſilium in te ſunt, ô* Liſue, *prolixa tua in imperium, remque publicam merita, &, quod eſt, in aulis præſertim, rariſſimum, ſine invidia. Quod tibi quidem contingit meritiſſimo tuo; qui ſummam dignitatem ita tem-*

Fraude retenta litteræ cum ſigillo imperii.

ita temperanter adhuc habuiſti, ut illa non te ornaſſe, ſed à te potius ornata eſſe videatur. Sed, oro te, conſidera etiam atque etiam, quid agas. Maynum *Imperatoris filium apud* Mumhoëum *eſſe ſcis; hunc de illo præclare meritum; utrumque arcta familiaritate connexum. Si* Fuſuus *præ* Huhaio *proferetur ad faſtigium; tum tu præ* Humhuëo *nullus eris. Adeone parvi, Colai ſigillum, Colai dignitas eſt tibi, ut, cum poſſis illud* Huhaio *tradere, hanc tibi ſervare, negligens ſis utriuſque. Secundus eſt* Huhaius *filius, quid tum? ſed apud nos eſt, ſigillo potens, & ſtatim, modo tu faveas, potentiſſimus imperio. Quo ſi per te potietur, quas tibi non referet gratias? ſed hæc apud ſapientem fortaſſe parum valet oratio; at regia & imperatoria ejus indoles, at pietas, at in homines commiſeratio, quæ dotes, aliæque imperio uſquequaque dignæ reſplendent in eo, ſicut in cælo ſtellæ, nihil apud te valebunt? Quamobrem obſecro te, ne dubites amplius ei ſceptra tradere, quem non dubitas iis eſſe digniſſimum.* His dolis raptus tandem *Liſuus*, habitaque poſt Colai dignitatem fide, contra Imperatoris mandatum, contra naturæ leges & regni, minorem filium, velut à patre declaratum ſucceſſorem evulgat; cumque multum valeret authoritate, facile perſuaſit Præfectis omnibus, ut tanquam legitimam in eo poteſtatem venerarentur. Filius major contra cum *Mumhoëo* nulli labori parcere, quo Præfectos amicos ſibi fidoſque conſervet; at obſtante *Liſuo* vix quidquam effecit. Quippe cum arma parantibus etiam Præfecti fere omnes obſiſterent; ea coacti ſunt mox ponere, collectis copiis ad vim inferendam imparibus. Atque hæc cauſa fuit, cur *Fuſuus* ac *Mumhoëus* perduelles judicati ſint & in crimen læſæ majeſtatis incurriſſe. Minor autem frater, poſtquam Imperator factus eſt, ad firmandum magis imperium una cum *Mumhoëo* majorem coëgit ſibimet mortem conſciſcere.

Regnum à legitimo ſucceſſore alienant.

II. IMP. ULXIUS.

Imperavit annis III.

Cyclo 42. anno 29 ante Chriſtum 209.

Male parta male dilabuntur, dictum vetus eſt, cujus veritatem novus Imperator exitio ſuo ſanxit.

ſanxit. Inconſultus juvenis, qui parricidio ſtabilitum ierat imperium, & hoc & ſeipſum evertit; rerum potitus tantum triennio. Viginti namque natus erat & alterum annum, cum prorupit ad clavum imperii; ſed quarto & vigeſimo ætatis anno ab iiſdem, à quibus fuerat electus, morte multatus eſt. Cujus author præcipuus, *Chaocaus* fuit, occultiſſime ſimul ac vaferrime adverſus *Cinam* familiam exercens odia. Hunc enim Colaum ſuum fecerat, gratiam accepti rependens imperii. *Liſuum* vero ſummæ rei militaris præfecit.

Longe U*lxius* (hoc enim nomen Imperatori poſt fuit) à paterna virtute animique robore degeneravit; libidine atque avaritia infamis, nec ullius rei quam voluptatum in imperio ſtudioſior. Subinde *Chaocaum* ſic allocutus memoratur. *Mortalis vitæ curſus eſt haud minus velox, quam currus, quem ſex equi rapiunt. Breve omnino ſpatium nobis relictum eſt ad vivendum; quod dum elabitur, opto meos oculos, aures ac reliquos ſenſus iis rebus explere, queîs maxime ſummaque cum ſuavitate titillantur, & quicquid denique deſiderare poteſt mens mea, omni diligentia conquirere, ut ætas reliqua mihi exigatur quam jucundiſſime. Id qua ratione poſſim conſequi; tu,* Chaocae, *me docebis.* Ille factus ad omnem fraudem reſpondet in hunc modum. *Efficere quidem id omne, quidquid velis, optime Imperator, eſt in manu tua; niſi quod hæc una res me ſolicitum habet, ne labores incaſſum. Senſus enim, quos dixiſti, expleri non poſſunt inſatiabiliter. Timeo & illud, ut per antiquos patris tui Præfectos tibi liceat, quod optas. Hi namque aliud tibi authores erunt, in alia te ſtudia & ab his longe diverſa devocabunt, imo turbas ciebunt, ubi te viderint ſolis voluptatibus inhiare. Tunc vero ſi exſaturare animum voles, antiquos illos Præfectos exautorà; novos, queis charus es, ſublege. Nam ita moroſis & iracundis Præfectorum querelis tacentibus habebis, quod exoptat animus tuus, & in aurem utramque ſecurus dormies.* Vaferrimum erat hujus perduellis conſilium. Nam ſi antiqui ac fideles *Cinæ* familiæ Præfecti omnes è medio tollerentur; illi promtum erat amicos ſuæque voluntatis adju-

Imperatoris voluptuarii oratio.

Peſtilens conſilium.

adjutores ad dignitates protollerę, itaque vel evertere, vel ſibi, ſi poſſet, imperium occupare. Audiit tamen illum Imperator, & è *Chaocai* ſententia Præfectis honore privatis novos ſubſtituit. At his non eſt viſa res hæc toleranda, excitis per totum imperium turbis indignitatem rei vindicantibus. Unde paulatim rebelliones cœptæ non prius quievere, quam hæc imperatoria ſtirps funditus interiit.

Xingus militiæ dux fraude regno inſidiatur.

Primus in Imperatorem rebellionem captavit *Xingus* militum dux, urbiſque regiæ præſidiariorum parti præfectus. Hunc Imperator ad motus, qui in Auſtrali Sinæ plaga gliſcebant, ſedandos juſto cum exercitu ire juſſerat. Ibi re non ſatis feliciter geſta partim ob itinerum difficultates, partim ob aquarum inundationes, & exercitus amiſſa parte, ad Imperatorem redire timens, convocatos tribunos ſic alloquitur. *In quo nos rerum noſtrarum articulo fortuna deſtituerit, cernitis & indignamini merito, commilitones. Aut moriendum nobis eſt, aut, ſi mitius iraſcetur libidinoſus Imperator, munere cedendum, &, quod eſt utroque acerbius, alterutrum cum dedecore. Notior enim vobis eſt, quam ut à me ſit explicanda tyrannis illius, fidem ſuorum è ſucceſſu tantum æſtimantis & ſuo imperio; cui ſi vel Cælum obſtiterit, periſti. Itane, fortiſſimi duces, ſine gloria moriemur? imo enimvero cum ignominia? & à libidinoſo Imperatore occiſi? At major in fortitudine noſtra ſpes eſt mihi, quibus fortiores non inveniet tyrannus, qui contra nos audeant arma ferre. Scitis præterea, parricidium fraterno ſanguine ſignaſſe viam ad imperium ſibi.* Fuſuum *occidit; at vivit adhuc* Fuſui *filius. Huic debetur imperium; ab hoc ſtemus comite juſtitia, virtute duce, quæ nequiſſimo Imperatori, ſanguinario, parricidæ ſervire nos amplius non patiuntur.* Hæc ubi dixit, omnes in ejus verba jurant, *Fuſui* filium è legibus Imperatorem eſſe clamantes. Quo audito *Quamkius*, qui tunc pro Imperatore *Suchuen* provinciam adminiſtrabat, collaudat eorum animum, & ab *Ulxio* deficiens, ipſorum partes ſequitur. Collecto igitur ingenti exercitu, vexilla omnia pro *Fuſui* filio inſigniunt, quo ſpecioſius tegeretur rebellio. Neque

fraudem primo ſucceſſus deſtituit, deceptis eo colore quamplurimis, parteſque *Xing*, ſequentibus. Sed ille ſeipſum prodidit, regno *Zu* ſive ſubjectis olim ſibi provinciis in poteſtatem ſuam redactis, ambitione præcipiti regem ſe volens appellari. Sic proditionis conſilium omnibus innotuit; cognitoque, non jam illum pro *Fuſui* filio, ſed pro ſe bellare, propemodum omnes eum deſeruere. Vnde nihil poſtea geſſit memorabile, regnumque, dum quærebat, amiſit; quod obtinuiſſet omnino, ſi *Changulum* & *Chiynum* audiviſſet. Hi namque ſuaſerant ei, ne feſtinaret; nondum eſſe regnandi tempus; eadem arte, qua pro *Fuſui* filio crederetur agere, procedendum eouſque, donec auctis continuo copiis ac rebus melius compoſitis, non modo *Zu* regnum, ſed imperium ipſum faceret ditionis ſuæ. Verum, ut paulo ante conqueſtus ſum, fortunæ dolo faventis indulgentiam præcox intervertit ambitio; dilapſique perduelles, qui erant in partibus, & à ſeſe invicem diſtracti, quietem, quam bellum maluere.

Sed feſtinando ſe prodit.

Hoc periculo defunctus Imperator, necdum tamen excuſſit ignaviam; Præfectiſque totius imperii permiſſa cura, ipſe totum ſe voluptatibus tradidit, inſigniter juvante ac ſuadente *Chaocao*, qui tamen, quantum poterat, imperii ruinas machinabatur. Itaque rebelles negligentius perſequi, alios ad imperii ſpem erigere, populum tributis exigendis Imperatoris nomine vexare, ut hortos, ut nova palatia, ut nemora & id genus alia fabricaret ad Imperatoris delicias ac libidinem. Ad urbis autem regiæ cuſtodiam alebat quinquaginta militum millia; queîs ſeptus Imperator tuto eſſet ac libere in libidine. Sed documento fuit, nullam diligentiam ſatis validam eſſe, niſi virtute ſis munitus & ſubditorum amore. Nam qua regnum *Zu* ſpectat Boream, prope *Honan* *Lieupangus* quidam ab Imperatore deſcivit; qui à parvis initiis orſus, tandem imperium occupavit. Et primo quidem cum ſociis aliquot ex armis & rapto vivere ſolitus, in lacu *Poi* viciniſque montibus; deinde ducem nominavit. Quanquam & tunc latronum potius more, quam ducis,

Supina Imperatoris oſcitantia.

cis, bellum faciebat finitimis. Erat *Lieupangus* humili quidem natus loco, ſed magnos gerens ſpiritus; de cujus indole mirabili, benevolentia, fortitudine ac felicitate multa Sinici ſcriptores tradidere. In parva etiam fortuna non niſi magna meditabatur; nunquam ſe demittens in eam humilitatem, qua victum etiam neceſſarium pararet ſibi. Cumque latronum dux eſſet, eadem lege ſuos continuit, nihil humile, nihil mediocre paſſus aggredi eos aut agere. Comitas interim affabilitaſque ſermonis ei tanta, ut omnium in ſe facile amorem accenderet. Quoties audiebat Imperatorem in otio tam turpi luxuque vivere; dicere ſolebat, viro forti vel imperatoriam dignitatem quærendam eſſe, vel eligendam mortem.

Forte incidit *Lieupangus* in quendam *Liucungum* nomine, phyſiognomiæ peritiſſimum. Qui contemplatione ſuper faciem ejus injecta, repente, veneratus ipſum, *Ego jam nunc*, exclamat, *profiteor ſubditum me tuum; Imperator eris! cum prædictione mea conſentiunt perſpicuæ & evidentes in vultu tuo notæ. Multorum quidem fata deprehendi explicuique in futurum artis meæ felicitate; ſed ſimilem tui, domini mei, vidi adhuc neminem. Omnino ſi antiquitate ipſoque præſagiorum uſu laudatiſſimi libri mei vera fantur, Imperator eris. Et hujus veritatis fiducia jam obſequio tuo in anteceſſum me devoveo. Præterea, ſi placeat, unicam, quam habeo, filiam inter hujus ævi pulcherrimas, ut videbis, ac ſapientiæ miraculo florentes numerari dignam tibi, domino meo, uxorem deſpondeo. Magna enim à te ſpero, qui ad magna natus es.* His auditis mire lætus *Lieupangus*, filiæ nuptias avidiſſimo conſenſu approbavit: cujus dein prudentia multum eſt adjutus in occupando imperio. Sed cum fortuna, quod plerumq; fit, virtutem deinde mutavit, & Imperatrix & nequiſſima, ut dicam paulo poſt.

Ulxius quanquam & ipſe nequiſſimus, aſtrologia tamen maxime gaudebat ſiderumque ſtudio. Vnde prænoſſe ſcribunt eum, è cæleſtium curſu ſucceſſorem inſtare ſibi; quin & ex Auſtrali provinciæ *Xenſi* plaga, futurum. Quare ut interverteret vel turbaret ſtellas contra fortunam ſuam aurigantes;

ad eos Sinæ tractus pervenit, inquirens & intentus undique, ubinam eſſet ille, quem deſuper è cælo metuebat, in terris agentem. Et ſane attigit ea loca, ubi cum ſuis *Lieupangus* habitabat. Qui turbatus Imperatoris adventu, *Poi* lacus altiſſimos montes fuga petiit, ibique latitantem filii, fratres, omneſque conſanguinei ſunt ſecuti. Exceperat eos aliquando convivio, è quo ſub noctem ſurgens per opaca montis inambulans cum convivis inuſitatæ magnitudinis ſerpentem obviam habuit, quem ſtricto enſe duas diſſectum in partes necat. Memorant ſubinde ſerpentem ab anu quæſitum; quem cum occiſum reperiret, ita ploraſſe. *Heu! filius meus, cui debebatur imperium, in album ſerpentem mutatus eſt! ah! non amplius eum video. Quid dicam? non ab alio profecto, quam à rubro dracone interfectus eſt; ab illo nempe, cui fata deſtinant imperium altiore vi, quam filio meo. Huic qui mortem obtulit, is ſine dubio Imperator fuit.* His ac talibus portentis (ut opinor, à *Lieupango* fictis, ut ſuorum animos erigeret) cum ipſe, tum ſui commilitones magnopere lætabantur, haud ambigentes quin eſſet futurus Imperator. Ergo, quæcunque imperat, alacres exſequi, jamque velut Imperatorem colere. Sinarum hoc ſemper fuit, ut imperium ex immutabili fato pendere credant, & illud quaſi habena quadam de cælo vinctum deſcendere. Iiſque perſuaſiſſimum eſt, illum, quem ſceptra manent, è voto facturum omnia, donec ea capeſſat. Hinc continuo *Lieupangus* ſeipſo major evaſit, adeo ſociorum multitudine creſcens, ut jam juſtum haberet exercitum; & *Ulxii* conatus omnes in ſe quærendo eluſit.

Serpens occiſus regni præſagium.

Interea *Xingus*, ille, qui *Zu* regnum ambibat, etſi à maxima ſuorum parte deſertus, animum tamen haud deſpondit, & aliquot oppida vi cepit. Iamque ad urbem *Poi*, quod ei nomen eſt à lacu, promovebat exercitum; cum loci Præfectus *Lieupangum* invitat ad arcendum hoſtem. Ille præmiſſis ad urbem manipulis aliquot, cum omnibus copiis ſubſequitur. Quo cognito cum *Xingus* armorum impetum verteret alio; Præfectus urbis, velut obſidionis ſecurus,

rus, jam *Lieupangum* intra urbem non admittit. Excanduit vehementer ad hunc nuncium *Lieupangus*; & ipſe obſidione jam urget urbem. Et iracundiæ favit inteſtina ſeditio, quam ab eo miſſa per ſagittam ad ſuos epiſtola de Præfecti perfidia queſta commovit. Eodemque tempore *Lieupangus* ſcandens mœnia, necquicquam contra nitente Præfecto, cepit urbem. Eo quamprimum occiſo milites, quotquot erant in urbe, omnes partium *Lieupangi* fuere. Atque ita copiis auctus, ſpoliiſque locupletiſſimæ civitatis, è latrone dux militum factus, vexilla militaria rubri coloris omnia ſuis propoſuit, ac ſola rubrica noſci voluit, in omen accipiens, quod, occiſo ſerpente, fatali denominatione rubrum Imperatorem ab anu ſe vocatum, audierat.

Littera per ſagittam ex urbe emiſſa.

Imperator his motibus auditis, Præfecto, cui provinciam *Hoeiki* regendam dederat, mandat, ut inferat ei arma. Nec defuit hic officio, miſſoque in *Zu* regnum cum ingenti exercitu *Hiangleango*, non reputans, ſæpe fidem exterorum amore patriæ infringi, cladem Imperatori, ſibi mortis anſam dedit. Erat enim iſtud regnum *Hiangleango* ſolum natale, cujus amore tactus, non modo contra ipſum non tulit arma, ſed & regem omnino, ut olim habebat, illi dare conſtituit. Ac facilis erat iſta expeditio. Quippe militum omnium animis ſibi devinctis, & hinc ad defectionem ſua ſponte proclivibus, nepotis è fratre, juvenis audaciſſimi fortiſſimique manu *Hoeiki* Præfectum necavit, provincia in fraudis pretium ſibi occupata. Profugerat autem è *Zu* cum *Hiangyuo* criminis adjutore reus homicidii. Scribunt *Hiangyuum* uſque eo tardum & hebetem fuiſſe, ut ad ſtudia litterarum applicatus nec litteram potuerit addiſcere. Quare objurgatus à patruo, neſcire ſe reſpondit, cui rei conducant libri, niſi nominibus hominum mandandis poſteritati. Iuſſus igitur artem gladiatoriam diſcere, nec ab ea minus abhorruit. Tum increpanti ſocordiam patruo reſpondet iterum, armis quidem gaudere ſe, nolle tamen illam artem diſcere, quæ tantum uni doceret alterive homini

Hiangyuus præ animi ſtupore nec litteram addidicit.

homini reſiſtere, ſed quæ multis. Scientiam ergo rei militaris didicit à patruo.

Imperator tantæ defectionis armorumque ſtrepitu necdum excitatus à deliciarum ſomno, indormivit reipublicæ. Sed parva & principia negligentem majora manebant mala. Nam eodem fere tempore *Tienxenus* è *Ci* regum ſtirpe in conſpectu fuit, hoſtis eo nocentior, quod adhuc latuerat. Nec diu factum; & à populis, qui Imperatorem ferre non poterant, adjutus, *Ci* regni partem occupavit. *Hanquangus* etiam regnum *Yen* invaſit, atque ibi conſedit. In *Chao* præterea regnum paternum horum exempla ſecutus è regio ſanguine *Uuchinus*, poſtliminio rediit. Sed vix menſem egit in pace, quam ob imperii confinia rex *Yen* bello male coalitam diſſolvit, prœlioque victum cepit *Uuchinum*. Captivitas tamen ei laxa fuit, adeo, ut à *Xingo*, qui tunc in regno *Zu* commorabatur, poſcere poſſet auxilia. Non defuit miſero *Xingus*, & *Changulum Chinyuum*que, fidos ſibi duces in *Yenem* dimiſit. Hi tamen antequam arma inferrent, miſerunt legatum, *Uuchini* libertatem expoſtulantes prærogativa virium, nec dubiæ ſpe victoriæ. Sed hæc *Yeni* non intelligebantur, occidenti legatum contra jus gentium, & *Uuchinum* retinenti. Tunc enimvero *Changulus* & *Chinyuus* ad vindictam ruentes, regnum immiſſo milite aggrediuntur. Hæc ubi rei militari Præfectus audiit, *Yenem* regem ſuum conveniens, *Ecquos*, ait, *homines eſſe putas*, *ô rex*, Changulum *&* Chinyuum? Cui rex, *Probos ac fideles ſuo duci viros puto*; *quippe quorum fidem nulla tempeſtas adhuc libavit. At ego*, reſpondet militum Præfectus, *longe ſecus ſentio. Quod modo tentant, in eo non ſui ducis cauſam reſpiciunt, ſed ſuam; ſub auxilii ſpecie* Chao *regno imminentes, teque pulſo ulturi ſeſe, ut deſerto dein etiam* Xingo *ipſi duo dividant inter ſe regna. Iam turbatum eſt imperium; omnes piſcari cupiunt.* Uuchinum *ut liberum ad ſua dimittas, rogo. Sic enim artes eorum conatuſque franges; at, ſi detineas, majus inde timendum malum. Hanquangus* id conſilium ſecutus, *Uuchino*que dimiſſo,

dimiſſo, bellum brevi ſopivit. Quanquam hanc libertatem poſt paucos dies mors illius excepit, cui à duobus illis Præfectis *Hoeus* ipſius nepos in regno ſuffectus eſt.

Sub idem tempus quaſi ex condicto novum regem *Kieum* nomine *Guei* quoque regnum accepit. Hæc omnia fere ſecundo Imperatoris anno geſta ſunt.

Eadem tempeſtate *Changleangus*, ille, quem *Xino* Imperatori ſupra memoravimus inſidiatum eſſe, militaris rei peritus, multorumque ſtratagematum ſucceſſu nobilis, à variis rebellium ducum invitabatur, ut eum de modo ac ratione bellandi conſulerent. Verum ille neminem ex illis adiit; ad *Lieupangum* etſi non invitantem, eoque tempore, quam alii multi, viribus inferiorem ultro venit. Interrogatus igitur, quid agendum in bello, quid vitandum maxime, ſic reſpondit. *Reliqui duces, qui in Imperatorem inſurrexerunt, imperium per vim ac nefas quærunt, nec tempori ſervire docti; nec regnandi libidinem diſſimulare. Solus* Lieupangus *à Cælo exſpectat illud, & accipiet; quippe qui non quærit aliud, quam occaſiones bene gerendæ rei. Potius imperium quærit* Lieupangum, *quam* Lieupangus imperium. Ajunt Sinæ militarem *Changleangi* peritiam in tribus his conſtitiſſe; in ſtellarum ac temporum obſervatione; in terrarum, montium, vallium ac fluviorum ſitu notando & deſcriptione; denique in ſervandis ac docendis militum ordinibus, exactaque diſciplina militari.

Changleangi militaris peritia in tribus conſtitit.

Hiangleangus interim, qui *Hoeiki* provinciam ceperat occiſo Præfecto; magnis collectis copiis *Zu* regnum, natale ſolum, ingreditur. Vbi cum *Xingo* congreſſus armis, eum internecione delevit. Mox & ipſe tactus regnandi libidine, regnum ceu victor ac jure belli affectare cœpit. Sed præcocem ambitum ſenex quidam, *Facengus* nomine, diſcuſſit. Hunc maximi faciebat *Hiangleangus*, ob ſingularem, qua valebat, prudentiam; qui proinde liberius eum allocutus, *Imperium*, inquit, *haud aliorum facilius, quam regni* Zu *militum armis collabefactari poſſe, minime te fugit. Hoc regnum, uti* Xingum *expelleres, ingreſſum, omnes*

Senis prudens conſilium.

omnes te tuamque cauſam tuentur; nec alia res eſt, quod te tam læti & alacres exceperint, quam quia regem à te ſperant. Si vero teipſum per vim intrudes; timeo, ne te longa maneat invidia, & brevis felicitas. An tu Xinum *indormire putas rebus ſuis? eadem illum, quæ tu, meditari ne dubita; & cave, ne, cujus exemplum ſequeris, exitum experiare. Populi ſuorum regum ſanguinem amant. Quare, ſi me audis, unum ex iis, qui* Xii *manus effugerunt, eliges. Eo facto totius regni conciliabis amorem tibi, contraheſque vires illius omnes, queîs Imperatorem debellare nullius erit negotii. Tunc tibi dignitates honoreſque nec vocati affluent ex voto, imo ſupra votum.* Vera loquebatur ſenex; quem audiens *Hiangleangus*, damnatoque regnandi conſilio, *Sinum Zu* regis nepotem in regem coronat, magna totius populi lætitia. Rex *Hoeium* appellari ſe voluit.

Eodem quoque tempore *Chingus* quidam ortus regio ſanguine, regnum *Han*, ut paternum, collectis aliquot hominum millibus aggreſſus eſt occupare.

Hi motus omnes uno fere anno quaſi ex denunciato ſimul extitere; queîs populos inter ſe commiſit una Imperatoris deſidia & avaritia. Oppreſſi namque ac vexati alios dominos legebant, ſub novis meliora ſperantes. Imperator accepto tot motuum ac rebellionum nuncio *Liſuum* militum Præfectum acriter increpuit, quaſi male rempubl. adminiſtraret; &, ut ſolent Principes, omnem in Præfectos culpam inclinavit, quod à populis deſereretur. Cui *Liſuus* è ſcripto reſpondit in hunc modum. *Prudentem Imperatorem decet omnino ſcelera ſevere vindicare. Nam ſi juſto ſit lenior, majeſtas evileſcit ac perit timor. At ubi ſævam atrocemque mortem maleficiis lex inexorabilis decrevit, omni ſpe impunitatis præciſa; tum vero peccare timent omnes.* Multa in hanc rem alia ſcripſit, ad ingenium Imperatoris ſe accommodans, quem omni crudelitate ſciebat imbutum eſſe. Vnde acerrime inquiri juſſit Imperator in eos, qui à ſe deſciverant. Siquos nanciſceretur, lento igni torrebat, necabatque crudeliſſime. Præfectos illos, ut fidos laudabat, qui quamplurimos occiderent. Et hæc multarum cædium materies fuit.

Crudelitas Imperatoris.

fuit. Nam & multi ſpecie Imperatori placendi, privatas ulciſcebantur injurias; & ad metendam necem leviſſima quæque cauſa ſufficiebat, imo ſola criminis ſuſpicio. Imperata præterea tributa majora, & vectigalium intentior exactio. Quæ quo quiſque plura per fas aut nefas extorquebat à populis, hoc Imperatori gratior erat. Sed his ac talibus, queîs cogitabat ſanare ſubditorum animos, atque ad officium revocare, magis exaſperavit. Civitates atque adeo provinciæ, adventantes hoſtiles exercitus, quaſi libertatis vindices præſtolabantur; vimque perfringebant, ultro ſe ſubjiciendo. Comitas ac modeſtia deerant Imperatori, quæ artes ſi adfuiſſent, pacatum erat imperium, deſidia, libidine ac tyrannide tandem peſſumdatum.

Sed adhuc labaſcens illud *Chaocaus* Imperatoris adjutor, homo nequiſſimus, impulit in præceps. Hic, quos Præfectos à ſe ſuaque cauſa ſuſpicabatur alienos, falſis criminibus petit, quamque plurimos necari jubet; illos præcipue, quos *Cinæ* familiæ videbat & Imperatori magis fidos. Illam quippe familiam ſtatuerat queîſcunque poſſet modis extinguere. Id unum agitabat adhuc eum, nequis Imperatorem forte certiorem faceret partim de iis, quæ jam perfide geſſerat, partim quæ tunc meditabatur. Effecit igitur ſubdolo, & iniquiſſimo conſilio, ut Imperator ſibi ac *Liſuo* commiſſa imperii ſumma, nunquam deinceps in aliorum Præfectorum magiſtratuumve conſpectum prodiret. Sed documento fuit, haud omnia conſilia eſſe bona, quæ talia videntur; & diligenter à Principibus quandoque, non utique populari trutina examinanda. Ceterum ſic Imperatorem allocutus eſſe fertur. *Nimia familiaritas contemptum parit. Subditi, qui dominum ſuum ſæpe vident, multa ſimul vident, ob quæ aſpernentur illum ac rideant, parvique faciant pereunte paullatim obſequio. Si cupit apud ſuos eſſe magni ſemper, ac debito honore coli; eorum oculos vitet. Siquid habent cauſæ, illam exponant ſcripto, ſcriptoque reſpondeat Imperator. Omnino rara ſit aut nulla potius, os ejus ſacroſque vultus oculo plebejo tuendi, indulgentia. Sic rebus mature conſideratis decernet, quod eſt è publico futurum; ſic prudentia*

Fraude Imperatori perſuaſum, ut publicum vitet.

dentiæ virtutiſque nomen ac decus apud ſuos tuebitur. Ex his pendet veneratio, prominetque terribilius occulta majeſtas. Hac oratione deceptus adoleſcens improvidus conſilii, nunquam poſtea venit in ſenatum, nec aures cuiquam præbuit. Solos *Liſuum* & *Chaocaum* admiſit, quibuſcum de republ. conſultabat, ſed raro. Cum igitur omnia in eorum eſſent arbitrio, diverſis in Imperatorum ſtudiis longe diſtrahebantur. *Liſuus* adhuc in fide conſtans; at *Chaocaus* ex occulto inimiciſſimus erat. Et quia quaſi pendebat ab hoc *Liſuus*; illius accedente fraude; tandem de occidendo Imperatore, deque imperio partiendo conveniunt ita, ut Auſtralem alter, alter Boream ſibi Sinam auferret. Sed duo deſtinatis interceſſere. Primum, quod *Liyeus* natu major illius filius contra rebelles dux miſſus, ad illos defecerat. Alterum, quod hac audita defectione *Liſuus*, poteſtate, quam habebat, abuſus, imperio præcoci ſummum ducem copiis præfecerit, quod ſolis Imperatoribus licebat. Ob hæc igitur duo in carcerem ab Imperatore conditur. *Chaocao* clam inſtigante atque urgente. Non poterat æmulum ferre; nec inculcare cædis conſilium ante deſtitit Imperatoris auribus, quam in urbis ille regiæ foro duas in partes diſſectus interiit. Sic tota imperii gubernatio penes *Chaocaum* fuit; quod adhuc unice quæſiverat.

Proditio Præfectorum.

Æmulus fraude ſublatus.

Hoeus interea *Zu* rex à ſuis electus, intra paucos dies totum ampliſſimumque regnum ad obſequii reverentiam pronum habuit, domeſticum nativumque regem expetentibus. Quare cum domi tranquillæ res eſſent, Imperatorem bello petere ultumque injurias ire decrevit; *Lieupango* celebratæ fortitudinis viro ad ſe invitato, creatoque duce. Tum vocatos duces omnes, *Hiangyum*, *Hiangleangum*, *Sungyum*, ac *Lieupangum* ad hunc modum alloquitur. *Quamobrem vos convocaverim, duces, ut paucis expediam, cauſam hanc habeo. Volo vos diviſis copiis in Imperatorem infeſtis armis ire, non ut imperium occupetis mihi, præter regnum, quod à vobis accepi, nihil aliud ambienti; ſed, ut & vos regnetis. Qui primus*

veſtrum Hienyang *urbem regiam occupaverit, atque inde Imperatorem ejecerit; illi ego* Cin *regnum jamnunc ex animi mei ſententia decerno & addico. Agite fortiter, &, quam de veſtra fortitudine ac fide concepi ſpem, actutum implete. Quomodo ad arma eatis, quomodo bellum conficiatis, in veſtra manu eſt; in votis vero meis, ut familiam* Cinam *primo quoque tempore deleatis.*

Secundum hæc ceteri duces *Hiangleangum* ſequuntur. Quo cum ingenti exercitu *Poyang* verſus progreſſo, ſolus *Lieupangus* à *Changleango* doctus aliam ac breviorem viam, minore quidem cum exercitu, per provinciam *Honan* Occidentem ingreditur. Copiæ utrinque ſimul omnes *Xenſi* provinciam, in qua Imperator erat, rectà petebant. Cujus rei fama tandem periculi magnitudine concuſſum è libidinum veterno excitavit. Itaque ſuos exercitus & ipſe mittit in perduelles. Et primo quidem contra *Zu* regis Præfectos, quorum inprimis erat formidabilis potentia, tendere jubet; ſatis gnarus, eo regno devicto, facile reliquos, qui regna invaderent, debellatum atque repulſum iri. *Changtanum* ergo validiſſimo cum exercitu contra *Hiangleangum* emittit; at atroci prope *Poyam* urbem commiſſo prœlio, ab *Hiangleango* ſtetit victoria. Hic exercitus fugati reliquias, quas *Changtanus* collegerat poſt fugam, perſecutus, ad *Tingtao* iterum fudit, horribili cum ſtrage. *Magni in Imperatorem motus.*

Eodem fere tempore rem proſpere geſſit *Lieupangus*; qui, qua *Cin* eſt contra occidentem, provinciæ *Xenſi* regiones ingreſſus, reſiſtentem ſibi Præfectum cum copiis omnibus delevit, uſque & uſque viribus ac potentia creſcens.

Hiangleangus interim victoriâ elatus inſoleſcere, alios alto ſupercilio deſpicere, jamque non ſecus, ac ſi teneret Imperatorem, gaudio triumphare. Magno igitur apparatu ac pompa, ſed minore cura contra novos Imperatoris exercitus movet. *Sungyus* etiam in tuto rerum curſu cautione opus eſſe ratus, diſciplinæ militaris eum admonuit, &, *Optime dux*, inquit, *impenſe tua cauſa ſum ſolicitus. Comprime, quæſo*

te, hos ſpiritus, neve adeo, tui ſecurus, hoſtem ſperne, cui non raro ſui contemtus peperit victoriam. At ille ſpreto æque conſilio, ut hoſte, cum *Chanctano* iterum conflixit; memorabili clade affectus in eodem loco, prope *Tingtao*, unde paulo ante victor diſceſſerat. Quippe *Changtanus* reparato exercitu haud ſane ſpernendo, illum excepit, hoc illuſtrem victoriam adeptus, quod etiam *Hiangleangus* ipſe cecidit in prœlio. Documentum ducibus, ne fortuna elati victores militarem deſerant diſciplinam.

Lieupangus audita *Hiangleangi* clade, ſparſos ejus milites, undecunque potuit, ad ſe invitans, ingentem exercitum conflavit.

Changtanus autem tam inſigni victoria non contentus, *Croceo* fluvio tranſmiſſo, felicitatem armorum in *Chaum* regem promovet. Nam & *Zu* regno potiri debebat ex Imperatoris mandato; nec tutum tamen erat, hoſtem à tergo *Chaum* relinquere. Hic enim annonam poterat omnem & reliqua bello neceſſaria nutu impedire. *Chaus* viribus impar ad *Zu* regem mittit, qui petat auxilia. *Zuus*, *Hiangleango* remoto, *Sungyum* & *Hiangyum* copiis præfecit, novo milite miſſo, qui *Chao* regi ferret ſuppetias. Sed ſumma rerum poteſtas penes *Sungyum* fuit. *Hiangyus* quidem fortiſſimus ab omnibus habebatur; ſed, ut immanis atque crudelis à *Zu* rege, *Sungyo* parere juſſus. Tertio ergo Imperatoris anno *Sungyus* cum exercitu ad *Nanyang* urbem pervenit. Ibi ſpecie reficiendi militem, ſex & quadraginta dies conſedit in otio, fremente interim *Hiangyo*. Qui demum impatiens moræ & in *Sungyum* invehens, *Quo ſpectat*, inquit, *hæc cunctatio? Paulo ante noſter exercitus cæco impetu ruit in ſuammet cladem; patruus meus occubuit; rex omnibus rebus urgetur, & à nobis remedium exſpectat nec cibum interim nec quietem capiens, dum ejus haud temere de nobis conceptæ ſpei ſuccedat victoria. Quæ quidem eſt in manu tua, ſi audemus eſſe felices, prœliumque poſcere. Abjecta igitur cunctatione, invadendum hoſtem cenſeo.* Cum *Sungyus* tergiverſaretur, *Hiangyus*, ut erat ingenio ferox & audax, eum in communi

muni utriuſque tentorio necat. Placatos deinde magnis promiſſis milites, ſe ſequi jubet; prædam omnem ipſos manere; ſe non niſi patrui cædem ultum, & acceptæ cladis ignominiam deletum ire. Itaque omni exercitu ad obſequium prono, naves quampluri- mas inſtruit, ac celeriter *Croceum* tranſmittens, milites una cum trium dierum annona in terram exponit. Tum, ne qua ſpes refugiendi timidis eſſet, cunctis navibus impedimentiſque merſis, *Nunc, ut videtis, commilitones*, inquit, *effugium nobis nullum eſt reliquum, quam in virtute noſtra; unicam hanc habemus arcem. A tergo reditum præpedit vaſtus fluvius; à fronte Imperatoris inſtat inimicus exercitus. Vel moriendum nobis, vel fortiter pugnandum. Agite, ut viros fortes decet; ſi vita, ſi honores, ſi divitiæ vobis ſunt cordi.* His dictis in U*anguanium* Imperatoris legatum movet, aciesque poſcit; impetu novies facto ſemper rejectus. Donec fuſo tandem Imperatoris exercitu, U*anguanio*que capto, tantam ſtragem edidit, ut omnes illius Præfecti de imperio jam conclamatum eſſe dicerent. Nemo tamen Imperatorem admonere auſus eſt, rem celante *Chaocao*.

Fugæ militum naves ſubductæ.

Sub idem tempus *Lieupangus*, U*uching* urbem in *Guei* regno ſitam armis obtinuit. Nam regionis illius Præfectus ei reſiſtere non auſus, ultro cum ſuis ad ipſum defecit. *Pungyueno* nomen illi erat; quem benigne ac comiter exceptum *Lieupangus* ducem creat ſuum, ejuſque fide ſubnixus mittit ad univerſum *Guei* regnum occupandum, regni præfectura qua fungebatur prius, eidem commiſſa.

Poſt captum U*ānguanium* & *Pingyueni* defectionem, quo in rerum articulo deprehenderetur imperium, tandem docetur Imperator. Qui ut tantis malis jamjam ingruentibus aliquo modo iret obviam; denuo, *Changtanio* duce, valentem exercitum in *Hiangyum* emittit. Hic poſt aliquot velitationes marte ſemper inferior, nunquam auſus eſt exinde manus conſerere; ne rem totam in caſum daret; & quia ſperabat *Hiangyum* in hoſtico fame annonæque penuria laboraturum. Et fortaſſe cunctando illum fregiſſet,

vel certe victoriæ occaſionem nactus eſſet. Sed Imperator moræ impatiens, & ſpe ductus *Hiangyum* brevi poſſe vinci, rei ſummam in perniciem dedit; miſſa primum acri & vehementi epiſtola *Changtanii* ignaviam & otium increpans. Ille ut, quid ageret ac tentaret, Imperatorem admoneret, *Hingum* è ducibus unum ad *Choacaum* Colaum legat, qui de ſuis conſiliis omnibus eum edoceret, ac ſimul de auxiliis aliiſque rebus ad victoriam obtinendam neceſſariis cum illo ageret, & pugnæ adhuc detrectatæ cauſam exponeret. *Chingus* ipſum triduum ſubſiſtens, nunquam aditum ad *Chaocaum* invenit. Iratus proinde inſalutato eo ac re infecta ad *Changtanium* rediit, & indignatione plenus, *Quid agimus*, inquit, *optime dux? quouſque tot urgemur malis? jam eo loco ſunt res noſtræ, ut nec victoria nobis profutura ſit. Servitus eſt nobis apud peſſimum Imperatorem iniquiſſima, neque rationes noſtras audientem. Et hoc fortaſſe ferendum aliquis putet, quod alieno magis eſt quam ſuo vitio malus Imperator; at illud quam nobis indignum*, Chaocao *ſubeſſe, homini ſuperbiſſimo & ſceleratorum omnium ſupremo? Ab hoc (ò infandi vilitas obſequii!) ab hoc pro libidine gubernamur; cui nulla interim noſtri cura, nulla imperii, cum maximis rebus adeuntes à ſe repellenti. Tres dies ad ipſius fores contrivi moliens aditum mihi, ſemper excluſus.* His auditis *Changtanius*, ardens iracundia, *Quando igitur Imperator noſtri curam non habet; nec nos illius ullam deinceps habebimus. Neque fas eſt repugnare Cælo*, Cinæ *familiæ interitum properanti.* Et cum dicto legat *Hingum* ad *Hiangyum*, cum eo tractat, & cum omni exercitu ad illum deſciſcit. Quæ res multiplici vitio labans imperium & ipſum Imperatorem penitus afflixit; damno ſuo docentem, quantum cavere debeant Principes à ſuorum ſibi contemtu & contumelia.

Imperator a ſuo Colao necatus.

Hac defectione *Chaocaus* audita, priuſquam ad Imperatoris veniret aures, ne ab illo crimini ſubjectus puniretur, ipſum Imperatorem parat è medio tollere. Nec aliter fecit atque deſtinaverat, immiſſo in palatium primæ nequitiæ ſicario, à quo *Uulxius* Imperator occiſus eſt anno imperii tertio, florente adhuc ætate.

Cujus

Cujus parricidii ſuſpicionem ut à ſe *Chaocaus* averteret; dum vicaria manu patratur ſcelus, domi ſe continet aliquot dies, morbum ſimulans. At ubi cædem Imperatoris fama vulgavit; protinus velut illius vindex è domo prorumpit in publicum, conquiſire laborans, ut comprehenſo ſicario ſociiſque manifeſtum facinus faciat. Deinde, quo illuſtrior haberetur adverſus *Cinam* familiam fides ſua; effecit, ut *Ingus* ex eadem ſublegeretur Imperator, populis in obſequium ejus jurantibus. In hunc modum occiſi ab ſe Imperatoris infamiam amoliebatur; ſed fruſtra.

III. Imp. INGUS.

Imperavit XLVI. dies.

INgus tertium poſt diem, quam erat electus, cognita *Chaocai* nequitia, magnopere quidem excanduit; ſed primum ultionis impetum retardabat illius potentia. Quare cum filio colloquens, Ægrum & ego ſimulabo, ait; tu vero, fili, cum *Chaocaus* ex officio, quo fungitur, ad me ſolus, quod ipſi ſoli licet, ingredietur, tum ex inſidiis repente proſiliens nil tale cogitantem hoc pugione transfige. Acceptoque ferro princeps intentus occaſioni, ſimul mandatum patris & *Chaocai* ſpiritum exhauſit. Hunc exitum habuit *Chaocaus*, homo ſane nequam; cujus poſtea familiam Imperator in tertiam uſque progeniem delevit. Memorant hoc loco Sinici authores, ad tantam potentiam nequiſſimum hunc Colaum ſub *Ulxio* Imperatore perveniſſe, ut, quoſcunque lubitum eſſet Præfectos vel necaret, vel exueret præfectura, vel donaret Ex unius arbitrio ac libidine omnium vita, mors, fortuna pendebant. Contra placitum ejus & voluntatem aliquid feciſſe vel dixiſſe capital erat. Illud prorſus admiratione dignum, quod referunt. *Chaocaus* forte cervum obtulit Imperatori; quem equum, non cervum eſſe dicebat. Riſit Imperator, & *Chaocaum* erraſſe dixit. Tum Colaus, enimvero non cervum eſſe, ſed equum, acriter cum Imperatore contendere. Hic ad circumſtantes verſus ex eis quærit, cervuſne ſit an equus? Alii cervum,

Cyclo 41. *anno* 52. *ante Chriſtum* 206.

Chaocaus *ſuorum ſcelerum pœnas dat.*

Memoratu digna nequitia Chaocai.

vum, equum alii dixerunt; qui neutrum vellent offenſum, tacuere. Notauit omnes, qui cervum dixerant, *Chaocaus*; ac deinde morte multavit. Vnde omnes tantus illius invaſit timor, ut, ſi mentem ejus noverant, ſcorpionem ovum dicerent; apertæ veritatis faciem turpiſſimo deformantes aſſentationis lenocinio.

Lieupangus interea vallis fauces, qua patebat aditus ad regiam, victricibus & infeſtis armis penetraverat. *Ingus* contra copiis omnibus præſidiariiſque ſecum eductis oppoſitas Orienti fauces occupat, & propugnaculum *Yao* dictum inibi permunit opere ſubitario. Adeſt *Lieupangus*, & totus in pugnam prurit. Quamque primum invaſiſſet Imperatoris exercitum, niſi *Changleangus* reprimeret audaciam ejus. Hic videbat Imperatorem loco ac numero ſuperiorem eſſe. Quare ad artes ſuas verſus, multa rubri coloris vexilla diſponit in montium jugis, vel ut majoris exercitus ſpecie illuderet hoſti, vel eum averteret, ſi forte cogitaret Imperator *Lieupangum* in fugam compellere. Poſtea fidos homines ſubornavit, qui ad Imperatorem transfugerent. Hi ſub juſtæ defectionis umbra latentes exceptique benigne. Imperatoris milites hinc inde ad ſequendum *Lieupangum* ſolicitantes, multo plurimis perſuaſere, ut illius ſigna ſive felicitatem amplecterentur. Fidiores tamen adhuc timebant fidem deſerere. Sed nihilo ſecius res in ſeditionem erupit ac motum in Imperatoris exercitu, quem *Changleangus* diſcordiæ author ex alti montis vertice notavit. Ergo *Lieupangum* ſtatim pugnam ciere jubet. *Lieupangus* ſuperato magnis difficultatibus monte *Quei* per ejus crepidines à tergo tendens, repentino impetu inopinantes & male cautos percellit hoſtes, irruensque in eos aliqua facta ſtrage vertit in fugam. Deinde fugientibus inſtans, ad *Lantien* oppidum jam ad præliandum paratos offendit, collatiſque ſignis hoſtium potitur. Imperator in urbem ſe recepit; ſed ubi ſe ab omnibus deſtitutum videt, victoris arbitrio ſe permiſit, ut in ſequenti libro referemus. Imperavit familia *Cina* tres & quadraginta duntaxat annos, habuitque Imperatores tres, uti diximus. Nunc ad *Lieupangum* redeamus.

Stratagema.

SINI-

SINICÆ HISTORIÆ LIBER SEPTIMUS

De imperante Familia HANA.

I. Imp. LIEUPANGUS ſive CAOZUUS.

Imperavit annis XII.

EOdem anno, quo ſeque & imperium *Ingus Lieupango* tradidit, *Hanæ* familiæ ſtatuerunt initium Sinenſes hiſtorici. Etſi vero *Lieupangus* univerſum occupaverat imperium; *Cin* rex tamen potius haberi voluit, quam Imperator. Quam appellationem poſtea primum admiſit, à ſuis ad hoc perſuaſus, ut narrabo. *Cyclo 42. anno 32 ante Chriſtum 206.*

Ingus ergo Imperator poſtquam dies ſex tantum & quadraginta rebus præfuit; accepta ſuperiori clade, auditoque *Lieupangum* ad regiam urbem recta victorem exercitum ducere, cum vires ad obſiſtendum ei deeſſent, pejora more gentis atque adeo mortem timens, clementiam voluit victoris experiri. Collo igitur in funem inſerto, imperatorium ſigillum & inſignia reliqua ferens, & curru, quem albi trahebant equi, quod triſtitiæ ac luctus ſignum eſt, vectus, obviam *Lieupango* procedit. Vbi prope illum fuit, è curru deſcendens eumque veneratus, cum imperatoriis inſignibus imperium, quod non habebat, ei tradit, & in regiam urbem invitavit, ſolam ab ſe mortem deprecans. Viliſſimus Imperator, qui quadraginta ſex tantum dies imperarit, & ſe tam ignominioſe abjiciens ac ſupplex ad ſubditum rebellem venerit. *Magna victi Imperatoris abjectio.*

Victoris exercitus duces fere omnes *Lieupango* ſuadebant, ut occideretur. Quos ille non modo non audiit, ſed à quavis etiam alia injuria eos abſtinere juſſit. *Hoeius Zu rex idemque noſter me adhibuit*, inquit, *ut ſuis auſpiciis occuparem imperium*, Cin *regnum promittens præmium victoriæ. Quod autem ante alios uti* *Ejus vitam victor ſervat.*

voluit mea potiſſimum opera, perſpecta ei magnanimitas & ad miſericordiam propenſio mea fecit. Hac die, qua nulla felicior illuxit mihi, tandem ad exitum feliciter adduxi rem, in qua velut in cardine conſilia Zui *regis & mea veſtraque movebantur omnia. Vultis igitur hanc feliciſſimam lucem à me ſanguine contaminari? ſanguine inſontis, qui ſeipſum ultro mihi tradidit? Meliora, Cælum! nec ego me in tantum odi, ac deſpicio, uti cædem patiar eſſe mei principatus auſpicium, ſine dubio infeliciſſimum.* Hac oratione mollitis ducum animis, *Ingum* comiter acceptum ſecum in urbem regiam deduxit. Tunc *Hienyang* nobiliſſimam urbem militibus ſuis diripiendam permiſit, ſed hactenus, ut neminem unum interficerent, aut offenderent, vel graviori aliqua injuria afficerent; ſevera pœna conſtituta peccantibus. Ingentes in urbe locupletiſſima repertæ ſunt opes. Vnus *Siaohous*, vir conſultiſſimus, qui apud *Lieupangum* erat in honore & in pretio, præclaram ante omnes prædam fecit. Nam cum litterarum eſſet amantiſſimus, ſpretis divitiis omnibus, quæ in manu ejus erant, muſeum ſummi magiſtratus ingreſſus, inde tabulas imperii geographicas & libros, in quibus particulatim omnia provinciarum peculiaria, & munitiora loca, reditus, & hominum numerus accuratiſſime repræſentabantur, ſecum abſtulit atque ſervavit. Ex his deinde *Lieupangum* omnem imperii ſtatum adeo ſcienter edocuit, ut omnes, & præcipue *Lieupangus* admiraretur, unde tanta rerum ei notitia. Quoties de re aliqua in medium conſulebatur; egregia ſemper ejus in loquendo prudentia, gravitas & conſtantia dictorum enituit. Quem proin Imperator honoribus ac divitiis auxit amplioribus, quam ſi civitatis unius gazam omnem ſolus acquiſiviſſet; ditior è libris unus, quam milites omnes è prædis.

Docta præda.

Palatium Imperatoris *Lieupangus* ſibi ſepoſuerat & intactum eſſe præceperat. Quod ingreſſus ubi primum illius magnificentiam, rerum omnium elegantiam, copiam ac ſplendorem vidit, equorumque, ſervorum & mulierum decorem ac multitudinem; iis omnibus captus inibi ſedem figere decrevit, præter *Cin*

regnum

regnum ejuſque delitias nihil expetens. Sed *Fanyunius* Præfectus, ut ad exercitum rediret, ſuaſit, inibique conſidendi conſilium penitus damnavit. *Hæc enim, quæ tu tantopere miraris*, inquit, *& imperium ipſum quibus rebus perdidit* Cina *familia; quam quod in illis conquirendis illius Imperatores nimii fuere? luxuries ac prodigentia eis exitio fuit. An non, ô rex, quorum imitere facta, eorum perhorreſcis exitum? rogo te atque oro, ut intempeſtivas voluptates aſpernatus quamprimum ad exercitum redeas, cœptique belli gloriam propages. Quis impetus aut ignavia potius adeo te faſcinavit, ut, cum poſſis imperare, tantum regnare velis? Male metuo, ne imperium, quo jam potiris, relinquens, etiam regnum, quod tam efflictim amas, amittas. Si me non audis, pro certo habeas felicitatem tuam ad metam veniſſe.* Reſpuit *Lieupangus* ſalutare conſilium; &, ut erat mollis & voluptuarius, partis frui, quæ ſibi ſufficere videbantur, deliberatum habuit, neque ex urbe diſceſſit. *Fanyunius*, ubi nil profecit, *Changleangum* monet. Ex hoc *Lieupangi* ſpiritus pendebat, nec alium impenſius venerabatur. Hunc igitur adiens *Changleangus* affatur in hunc modum. *Viciſti tu quidem* Cinam *familiam, & ad hunc gradum aſcendiſti; ſed, ſi verum fateri licet, in illa ſolida virtus exſtincta materiam tuis laudibus atque initium dedit. Tu potiſſimum electus es à Cælo, ut illius luxum caſtigares familiæ totius interitu. Vide, quæſo, quid agas modo; &, ne ob eandem cauſam à Cælo deſeraris, etiam atque etiam cave. Simplicitas eſt amanda tibi, & in omnibus rebus moderatio. Qui malos punire vis, ipſe malus eſſe non debes. Vix* Cin *regnum obtinuiſti; & tam cito modeſtiam dediſcens,* Cinæ *familiæ luxuriem & vitia nondum bene ſepulta denuo vis in orbis exitium excitare? Non tibi venit in mentem, hæc, queis ita caperis, eſſe, quæ* Kieuis, *quæ* Cheuis, *quæ ſæviſſimis tyrannis ac regibus ad infanda facta faces admoverint? hæc eſſe, queis occæcati reges fidorum amicorum ſpernant conſilia? Exemplum hujus calamitatis, ſi deſint alia, cogimur in te abominari, qui modo ſanctiſſimum* Fanqueii *conſilium contemnis; Sed nimirum quemadmodum veneni amaritudo morbum magis incendit;*

Quies & luxus regi diſſuaſus.

 ita

ita ſalubris conſilii contemtus malorum facinorum indignitatem auget. Audi, obſecro, monentem Fanqueium, *tibi fidiſſimum. Sectantem voluptates pœna multis experta; ſalutaris moniti patientem certum præmium manet imperium.* Non eſt auſus amplius *Changleango Lieupangus* obſiſtere; relictiſque delitiis & urbe tandem revertit in caſtra.

Non multo poſt ad eum venere legati à *Cini* regni ſingulis civitatibus miſſi, cunctis in ejus fidem & obſequium ſponte concedentibus. Quos omnes benigne *Lieupangus* exceptos vocatoſque in concionem, primo dictis ad abſtergendum novæ dominationis timorem accommodatis mulcet, ac bono animo eſſe jubet. *Scio enim vos*, ajebat, *tyrannicarum* Cinæ *familiæ legum onere preſſos gemuiſſe. Nunc reſpirandi tempus adeſt, poſtquam Cœlum per me vobis quietem, quæque hanc conſequuntur, indulſit. Quamobrem ex hac die, quas inique familia* Cina *ſanxit, in perpetuum antiquatæ leges ſunto. Et quia primus inter* Zu *regis duces imperatoria urbe potitus ſum, ex promiſſo regnum* Cin *mihi cedet; ego ita vobis imperabo, ut patrem vobis obtigiſſe lætaturi ſitis. Iræ meæ nullius parentabo ſanguine, niſi qui prior homicidio manus polluerit. Qui vero aliena rapuerit, vel aliud alteri damnum intulerit; pro gravitate delicti pœnas dabit, ſic tamen, ut ſemper adſit modus. Tributorum exactio ea erit, quæ ſub bonis Imperatoribus fuit. Ante omnia Præfectos optimos vobis & magiſtratus dabo, qui horum curam ſedulo habeant.* His dictis lætos domum dimiſit. Et profecto hac modeſtia ac benevolentia magnam ab omnibus gratiam iniit, fama eum ut pium regem ubique differente. Vnde ſine vi ulla totum *Cin* regnum pronum habuit ad obedientiam; eaque propter maxime poſt ad imperii culmen pervenit.

Poſtquam accepit *Hiangyus*, jam confeciſſe rem *Lieupangum* æmulum ſuum, ac primum *Cin* regnum occupaviſſe; invidia ſimul & ira, ſupra quam dici poteſt, efferbuit. Iamque contra *Lieupangum* arma movit. Angebat illum ea res vehementer. Sciebat *Hiangyum* turbulentiſſimi ac ferocis ingenii eſſe.

Nove·

Noverat ejus in pugnando fortitudinem, & militum numero haud paulo majorem. Quare aperto Marte cum illo decertare non auſus, tantum ad cuſtodiendas vallis *Hanæ* fauces militum manum mittit. At mox adeſt *Hiangyus*, impoſitum præſidium fundit, & eodem impetu ad regiam uſque tendit, ipſum *Lieupangum* in caſtris extra urbem morantem invaſurus. Non deerant ex *Hiangyi* ducibus, qui ultro currenti ſtimulos adderent; quos inter *Fancenus*, eum ſic affatur. Lieupangus *ante hoc tempus in minore fortuna divitias ac colores (per colores Sinæ venerem intelligunt) amabat. Nunc omnium horum affluenter compos, ab eis eſt abalienatus faſtidio nobis, niſi cavemus, periculoſo. Nihil jam parvum, nihil mediocre meditatur. Mihi quidem ſuſpecta eſt hæc illius moderatio. Profecto enim non modo regnum* Cin *affectat, ſed imperium. Majores, quam alias unquam ſpiritus præ ſe fert, animumque dignum imperio. Cave, ne evadat; ſed quamprimum in eum irrumpe. Viribus & militum numero ſuperiores ſumus. Age vocantem fortunam ſequere.* Lieupangi *omnia una cum imperio te victorem exſpectant.* Facile fuit, perſuadere in eam cogitationem toto pectore incumbenti. Quare militibus edixit, ut corpora curarent, & ſe ad prœlium accingerent, ſummo mane ineundum. *Agite fortiter, commilitones*, ajebat; *ditiſſimus exercitus in ſpolium vobis eſto.* Dum hæc inter *Hiangyuum Fancenumque* tractantur; aderat *Hiangyui* pater, *Hiangpeus* nomine, cui vetus erat cum *Changleango* amicitia intimoque uſu firmata. Hunc igitur ſilentio noctis *Lieupangi* caſtra ſubiens *Hiangpeus* amicus amicum conſalutat. Ac licet *Hiangyuum* timeret *Lieupangus*, nihil hamen hoſtile movebat, ne primus cœptaſſe bellum videretur. Sed *Hiangpeus* amicum de poſteræ lucis prœlio commonefactum rogat, ut ſibi ſuiſque rebus conſulens, deſerto *Lieupango* ſe ſubducat inſtanti periculo. Tum egregia erga ducem ſuum *Changleangi* fides enituit. Nam etſi periculum erat evidens; induci tamen haud potuit, ut ab eo deſciſceret. Amico autem in hunc modum reſpondit.

Color pro venere ſumitur a Sinis.

Ego,

Ego, quia Cina *familia regem* Hanum, *cui ſubditus eram, acerbe vexavit ac delevit; idcirco* Lieumpangum *ſecutus ſum, atque in Imperatorem inſtigavi, ut excidium regni vindicarem ac regis mei. Obtinui, quod optabam. Et* Han *novum regem habet, & Cina familia devicta; quod utrumque* Lieupango *debeo, tantique beneficii magnitudinem quantocunque poſſum, conſtanti quidem obſequio compenſare certum eſt mihi. Neque committam, ut, quem ſecutus adhuc ſum proſpera utentem fortuna, nunc periclitantem deſeram. Vel vincam cum illo, vel moriar.* Hæc locutus *Hiangpeo* perſuaſit inſuper, ut & *Lieupangum* ſalutaret. Qui comiter eum excepit, apparatoque ſplendido convivio inter colloquendum lætior, *Hiangpei* filiam uxorem petiit, promittens illam reginam fore. Tum ipſum affatus, *Ego*, inquit, *Imperatore ſimul & urbe regia in poteſtatem meam redacta, cum multam poſſem prædam facere, meos exercitus opibus augere; nolui tamen uti jure belli, quoad liqueret mihi, quid* Zuus *rex noſter in ea re fieri vellet. E diverſo filius tuus, quacunque tranſibat, nihil intactum relinquere; theſauros, annonam, omnia compilare; ſelectiſſimos quoſque milites ſibi ſubjicere. Hinc pronum ei fuit, collocatum ad defenſionem vallis præſidium fundere. Sed hac de re jam non expoſtulo; bene an ſecus egerit, tuum judicium eſto. Tantum hoc;* Zui *regis copias ejuſdem copiis vexare atque occidere, minime fas nobis eſt, neque adeo convenit. Niſi longe à fide, quam ducibus debemus, velimus recedere atque omnem humanitatem exuere; abſtinendum nobis eſt à parricidio. Quo enim alio nomine appellem, ſi nos ipſos, ſi fratres noſtros occidimus? Fratres certe ſummus unius regni, unius regis ſubditi. Cur nos ipſos imus perditum? Ego ſane regnum* Cin *haud ambio; penes* Zuum *regem noſtrum erit, illi, quem voluerit, imponere. Illo jubente, filio tuo libenter cedam. De hac animi mei ſententia, de ceteris item, quæ modo breviter pro bono publico diſſerui, quæſo te, filium edoce; quem longe ab his diverſa meditari ſcio. Hiangpeus* ſe hoc facturum promittit. Præterea inter eos ita convenit, ut *Lieupangus* ſummo mane adeſſet *Hiangii* ſalutandi ſpecie;

ſpecie; ſe enim filio adſtiturum & pro *Lieupango* acturum.

Hiangpeus ergo cum ad filium veniſſet; *Quid incœptas*, inquit, *aut quæ nova miſces & concitas mala? hominem, de republ. optime meritum, qui devicit Imperatorem, noſtrique regis ulciſcendi cauſa hoſtes profligavit, regis noſtri ſubditum bello petis? id vero injuſtiſſimum eſt; nec Cælo nec hominibus nec Zuo regi gratum. Hoc magis conſuadeam, ut firmata, quæ cum eo nobis diu jam intercedit, amicitia, tractes eum amice, atque ut decet, tantum virum excipias.* Hæc talia loquentem intercepit nuntius, adeſſe *Lieupangum*, non niſi centum equitum turma ſtipatum. Nec mora, & ex compoſito, & more Sinico tanquam æqualis *Hiangyum* inviſit, diſſimulata prudenter utrinque ſimultate. Nam *Hiangyus* hac *Lieupangi* comitate victus ac delinitus, odiis repente poſitis omnem ex animo ferociam abſterſit & hoſpitem magnifico ſplendidoque convivio tractatum per dies aliquot apud ſe detinuit. In qua re utrum magis mirer, fiduciam *Lieupangi*, ac *Hiangyi* mutationem, neſcio. Ille audacter æmulum animique præferocem ultro convenit; hic cum in poteſtate habet & inimicum, è quo jamjam petiturus erat ultionem armis, & regnum, quod eiſdem ambibat, utriuſque rei perficiendæ occaſionem ſponte obviam negligit, ex hoſte paulo ante ſempiterno repente ſummus amicus. Nimirum hoc *Lieupango* ſecunda fortuna tribuit, nato ad imperium.

Exactis ſalutationis diebus cum *Lieupango* urbem regiam ingreditur *Hiangyus*, eamque, vindicta & odio, quo res *Cinæ* familiæ perſequebatur ardens, nulla nobilitatis aut amplitudinis habita ratione, inflammari incendique jubet; ipſe palatio ſubjiciens ignem. Incendium uſquequaque diffuſum tres ipſos menſes traxiſſe ſcribunt. Deinde *Cinæ* familiæ ſepulchra effodit, cadaveraque & oſſa in cineres redacta, per avia ſaltuum ſpargi juſſit. *Ingum* Imperatorem, qui apud *Lieupangum* liberaliter tractabatur, ipſe ſua manu obtruncavit; opes quantaſcunque potuit, concubinas & res palatii reliquas compilavit, atque ita *Victoris furor.*

expleta

expleta ira Orientis plagas, unde venerat, repetiit; intacto *Lieupango*, qui ſpectabat hæc omnia diſſimulanter, ne ſuperbum animum irritaret, meliorem agendæ rei ſuæ occaſionem opperiens. *Hiangyus* autem, cum eſſet in itinere, inſigne crudelitatis exemplum edidit. Nam cum audiſſet eos milites, qui ad ipſum defecerant, indignari *Changtanio*, ac de nobiliſſima urbe exuſta effoſſiſque ſepulchris præcipue conqueri, doloſe malitioſeque prius exarmatos & à reliquo exercitu circumdatos ad unum omnes trucidavit. Ducenta hominum millia fuiſſe reperio. Hinc in omnium incurrit odium, crudeliſſimum facinus deteſtantium. *Lieupangus* contra comitate, benignitate, juſtitia & æquitate omnium animos atque amorem ſibi demeruit. Quæ res imperium illi peperit; *Hiangyo* vero ferocientis animi vecordia & odium vitam abſtulit, ut in loco memorabo.

Ingens crudelitas.

Dum progreditur Orientem verſus *Hiangius*, aliud crudelitatis ac veſaniæ reliquit exemplum. Nam illius Præfecti videntes, quam non è re ſua feciſſet provinciam *Xenſi Lieupango* cedens; ut maneret eamque ſibi ſervaret, ſuadebant. In his *Hanſenius* ſic eum alloquebatur. *Provinciæ* Xenſi *fertiliſſima eſt ac potens, fortiſſimorumque militum ac plurimorum ſemper altrix, annona & alimentis circumfluens atque abundans; ab hoſtium incurſionibus tutiſſima, hinc montibus, inde fluvio clauſa, & ad reliquas provincias debellandas peropportuna. Hanc talem, quæſo, tibi ſerva, nec eam æmulo præſertim tuo cede; qui ſi potiretur ejus, à te potius eſſet expellendus, ne dum jam admittendus, hoc eſt, in te armandus.* Sed *Hiangyus*, cui præter arma nihil placebat, eum irridens, *Vrbs maxima*, inquit, *tota conflagravit, palatium in cineres redactum, opes & quidquid in ea pretioſum, ablatum eſt. Quid agam in paupere provincia, non video. Nec enim divitiæ redeunt, unde ſemel abiere; haud magis certe, quam vetus ac lacera veſtis renovari poteſt.* Hanſenius ſtolidum reſponſum excipiens, *Nunc vero, quod eſt in proverbio, recte dici comperio,* Zu *regni incolas ſimias, non viros eſſe, qui non rebus ipſis, ſed rerum ſpecie tantum ac ludi-*

Proverbium.

ludicris delectentur, haud intelligentes vera conſilia. Quo audito *Hiangius* iræ impotens vivum exuri juſſit *Hanſinium.*

Poſt iniquam cædem ad *Hoaium Zu* regem legatos mittit, ſciſcitatum, quænam illius eſſet circa *Cin* regnum ſententia, cuinam illud traderet? ſimul, an ipſe vellet, rogans. *Hoaius* promiſſi memor ſcribit ad eum litteras, queîs regem declarat, qui primus regiam occupaſſet urbem, *Lieupangum.* Tum *Hiangyus*, ut & æmulum exueret regno, & regi ſuo perſuaderet, ut *Cin* regnum ſibi retineret, unde invadendi *Lieupangi* eſſet occaſio; *Hoieum* regem, Sinarum Imperatorem pronuntiat decernitque, ut ab omnibus pro eo habeatur. At enim *Hoieus* ſuo contentus, noluit reliquos turbare reges. Itaque *Hiangyus* & ab hac ſpe fruſtratus in ſuum regem perniciem machinatur; & poſtquam ab illo ſibi *Zu* regnum non tradebatur, interfecto rege ſibi ſubigere ſtatuit. Interim tamen, dum facinori perpetrando commodum tempus affulgeret & occaſio; ſubditum ſe illius ſimulat, &, ut antea, regiis mandatis obnoxium. Ad hoc, antequam *Xenſi* provincia omnino exiret, ad *Lieupangum* certos homines mittit, qui ſignificarent *Zu* regem ceſſiſſe quidem illi regnum *Cin*, ſed hactenus tantum, ut provinciæ *Xenſi* partes ab Occidente propiores eſſent in ejus ditione. Quare, ut reliquis cederet, jubebat; alioqui perſecuturum ſe jus ſuum. Ea res *Lieupangi* animum vehementer exaſperavit; jamque in *Hiangyum* moturus erat, nec exercitu nec robore impar, & ad hoc à compluribus Præfectis incitabatur. Interceſſit tamen præcipiti conſilio *Sinohous*, &, *Eſt hæc quidem*, inquit, *ab homine turbulentiſſimo profecta in te injuria; ſed quæ nihil officiat dignitati tuæ. Sententia mea fert, ut & hanc & ceteras animi æquitate vincas. Cernis* Hiangyum *apud omnes laborare contemptu, fierique minoris in dies; te contra diligi ab omnibus, ac continuo creſcere. Augebis hanc felicitatem non mediocriter, ſi & modo illi deceſſeris; ac tanto certius Imperatoris optimi cognomen adhærebit tibi, quanto minus avidus eris imperandi. Fuit hic ſemper magno-*

magnorum regum & magna meditantium mos ac modus, ut impios pietate, ſuperbos moderatione vincerent. Meminiſſe te velim, parvam iram magna ſæpe negotia intervertiſſe. In ſumma igitur hoc ſuadeo, ut à bello deſiſtas, neque tam funeſtis initiis populum vexes. Quin potius exoſi nomen armorum, paci ſtudeamus & leges inducamus, queis relictæ nobis terræ optimo publico gubernentur. Regnum, quod tenes, ſatis potens, ſatis validum eſt ad occupandum orbis imperium, ſi bene regatur. Salubre conſilium ſecutus *Lieupangus* repetundis in præſens ſuperſedens, reliquarum terrarum rex *Siaohoum* Colaum ſuum facit, jubetque regnum ordinare. Quod ille ſane præſtitit impenſe, novoque regimine ac legibus inductis adeo potens opulentumque regnum effecit, ut poſtea *Lieupango* vires ad omnem Sinam ſubjugandam ſuffecerint.

Hiangyus autem neque hac modeſtia pacatus, nihil non egit, ut *Lieupangum* vel inquietaret, vel ad bellum laceſſeret. At ubi vidit omnia ſibi conſilia & artes parum contra illum procedere; *Changleango* culpam attribuit. Et hunc quia tenere, quod optabat, haud poterat; *Chingum Han* regem, cui ſubditus erat *Changleangus*, agitare cœpit. Hæc illo machinante, *Changleangus* rerum omnium ignarus, à *Lieupango* veniam expetiit domum atque ad regem ſuum redeundi. Quippe hac ſolum de cauſa *Lieupangum* ſecutus erat, ut regnum, è quo erat oriundus, priſtino nitori, quomodocunque poſſet, reſtitueret, deleta *Cina* familiâ. Vix eo pervenerat, cum *Hiangyus* in *Han* regnum impreſſione facta, *Chingum* regem capit ac trucidat, illud potiſſimum criminatus, quod clientem ſuum ad *Lieupangum* contra ſe ire permiſerit. *Changleangus* audito ſe necati regis cauſam eſſe, pro quo tantum laboraverat; abjecta cunctatione ad *Lieupangum* rediit, iram *Hiangyi* defugiens, magno *Lieupangi* bono. Nam à *Changleango* adjutus & *Hiangyum* debellavit, & imperium poſtea univerſum obtinuit, ut infra docebimus.

Memorant Sinenſes hiſtorici, ante vulgarem Chriſti

Chriſti epocham anno ducenteſimo quarto ſub initium anni quinque Planetas in loco ſideris, quod *Cina* vocant, concurriſſe. Quæ conjunctio modo ab initio Cancri uſque ad Leonis initium extenditur. Verane an ficta fuerit ea obſervatio, non diſputo. Nam ad calculos hæc ſubtiliter revocandi non fuit tempus mihi. Facient hoc lectores mei, queîs ſtudium in iſta curioſius inquirendi. Fortaſſe à Mathematicis Sinenſibus conficta fuit, *Lieupangi* gratiam aucupantibus. Nam ex eorum placitis hujuſmodi ſiderum concurſus promittit novum Imperatorem Sinas occupaturum, qui Sinicum imperium obtineat juſte pariter ac regat.

Cyclo 42. anno 30. ante Chriſtum 204. Quinque Planetarum concurſus.

Ceterum provinciæ *Xenſi* partem illam, quæ propius Orientem ſpectat, quam, ut diximus, *Hiangyus* à *Lieupangi* regno avulſerat, tribus Præfectis, creatis à ſe Regulis diviſit. Tribus unum nomen *Cin* erat. Primus *Changhanius*, alter *Hingius*, tertius *Iuus* cognominabatur. Ab his ergo, quorum opera cogitabat *Hiangyus Lieupangum* reprimere; iſte imperio ſibi occupando initium poſuit, Præfecto ad eam expeditionem uſus *Hanſinio*, egregio belli duce, de quo mox plura, ſi prius, quis & qualis fuerit *Hanſinius*, breviter explicavero. Quem fortuna velut pilam jactavit, ab infima mendici ſorte ſublatum ad ſumma, & hinc ad infima dejectum iterum, offerendo mortem ab iis, quibus ipſe ſaluti fuerat.

Hanſinio natalis fuit *Hoaigan* urbs, qua *Nanking* provincia Boream ſpectat, ſita. Inibi in tanta mendicitate erat, ut ægre vitam toleraret; hamo ad fluvium, cui urbs imminet, quærens victum. Exſtat etiamnum illius eo loco monumentum fano perelleganti, quod ſæpius ipſe vidi, ejus in honorem exſtructo. Et quia piſcatus ei non ſufficiebat alimentum neceſſarium, ab anu quadam *Piaomua* nomine, coctam oryzam eleemoſynæ loco accipiebat. Cui cum aliquando beneficii memor gratias agens, diceret, *Erit olim fortaſſe, ut ſentias te de me bene meritam fuiſſe*; tum illa non ſine ſtomacho reſpondit. *Tibi ipſi*, miſer homuncio, *bonus eſſe non potes; & jam de me cogitas? mihi benigne facturum ſpondes, quod ſtipem tibi præbeam? longe ab-*

Hanſinii *fortiſſimi belli ducis ortus.*

erras à deſtinatione mea, non utique hoc agentis, ut aliquid abs te ſperare poſſim, homine nullius penſi; ſed ſalus regii nepotis, quo Cælum ei ſervem propitium, eſt in conſilio mihi. Me quidem nondum adeo deſpexere Cælites, ut opus mihi ſit remuneratio tua. Et certe merito ſuo iners habebatur & inutilis ad omnia; quia, cum procero eſſet robuſtoque corpore, laboris tamen præ, ut tolerandum, impatiens erat. Et hoc amplius, quod, cum eſſet ob infamem inertiam puerorum ludus, nil penitus movebatur. Donec tandem ludibrio non ferendo excitatus cœpit ad ſe reſpicere. Tranſiens enim publicum aliquando macellum, à puero quodam interceptus & per divaricata illius crura repere juſſus eſt, niſi verbera mallet experiri. Cum bipedum ignaviſſimus pueri cederet imperio; magni riſus conſequebantur. Inde irritatum ferunt, ac ſimilis ignominiæ in poſterum fugientem, alienam regionem petiiſſe. Accidit ſub hæc tempora, ut *Hiangleangus Zu* regis dux, quo de ſupra locuti ſumus, *Hoagian* tranſiret cum exercitu. Hîc ſecutus occaſionem *Hanſinius* militiæ nomen dedit, in haſtatorum adſcriptus numerum. Poſt ubi per aciem cecidit *Hiangleangus*, communi omnium clade; *Hiangyum* ejus nepotem ſequi decrevit. Sed vano exitu; quod eum, ut ajunt Sinæ, Cælum *Lieupango* deſtinaverat. Itaque ad *Lieupangum* tranſiit; ac paulo poſt officio non ſane magni nominis functus inter milites, in militiæ leges peccavit. Iamque morti deſtinatus extra caſtra ducebatur capite plectendus; cum forte venientem *Lacumium* militum Præfectum videt. Quem vinctus magna voce inclamans, *An non eſt in animo*, inquit, Lieupango *Imperatori noſtro potiri totius imperii? quo ſpectat igitur hæc tam inconſulta ſeveritas, ut generoſos ac fortes milites mori velit, in quibus ſpes ejus ac felicitas potiſſimum nititur?* Obſtupuit audaciam conſtantemque in morte animum *Lacumius*; &, quid ſibi vellet ejus oratio, facile animadvertens, ſimul & corporis robur vireſque conſiderans, vitæ gratiam ei fecit, varioſque cum eo de militia ſermones miſcuit, ut fortaſſe, quos gereret ſpiritus, experiretur. In eo colloquio nihil niſi genero-

Iuvenis inertia,

Dedecore tandem excuſſa.

Hanſinius mortis reus.

Evadit.

generoſum audivit ac plenum prudentia militari. Itaque de illo *Lieupangum* admonet, hominemque dilaudat ad magna natum. *Lieupangus* longo cum eo ſermone habito, videnſque vera eſſe, quæ *Lacumius* dixerat, *Hanſinium* una ex majoribus præfectura donavit. Quo munere fungenti ſæpe cum *Siaohoo* ſummo Præfecto erat loquendum; qui ejus diſſertationibus ac reſponſis mirifice delectatus, maximi faciebat eum ſemper, & admirabatur. Inter hæc milites moræ ac quietis, quam deſidiam ignaviamque vocabant, impatientes, exercitum à *Lieupango* in ſuo regno tamdiu detineri querebantur. Optabant enim, ut in Ortum ductaret eum, reliquamque Sinam expugnando caperet. Cum vero nihil proficerent, *Lieupango* rem differente; multi militum, nec non ducum aliqui, ſenſim in fugam diſſipati, clam ſignis illius ſe ſubduxerant. Ipſe denique moræ tædio victus etiam *Hanſinius*, capeſſivit fugam, de qua *Siaohous* certior factus, ipſemet ocyus eum inſequitur; ac poſt biduum aſſecutus, ſecum ad exercitum reduxit. Interim ſuſpicax fama vulgavit profugum quoque *Siaohoum* eſſe. Quod ubi nunciatum *Lieupango*; tanti viri jactura, nimis propenſe credulus, magnopere indoluit, peſſimo loco res ſuas eſſe jam, obtinendique imperii auxilium ſe amiſiſſe deplorans. Sed adeſt tandem cum *Hanſinio Siaohous*; quo ſtatim Imperator ad ſe vocato fugam lamentatur, etſi ex altera parte illius reditu maxime lætaretur. *Siaohous* cauſa ſua fretus, *Vt video*, inquit, *credulitatem tuam, Imperator, falſis rumoribus addixiſti. Cælum avertat, ut adeo turpi fuga, quam impingis mihi, polluam fidem meam! diſceſſi à te, quid enim diffitear? at in conſilio mihi nunquam fuit perfidia. Poſteaquam nunciatum eſt mihi*, Hanſinium, *ut reliquos fugiſſe; abſui aliquantiſper, ſed ut eum ad te reducerem, non ut te desererem, quem inſtar omnium habeo.* Cui Lieupangus, *Ain' tu vero? non fugiebas? Ecquid hoc eſſe dicam, quod, cum alii multi duces &* Hanſinio *majores aufugerint, iis tu neglectis hunc unum ſequebare? quis non videt, quam frivola ſit hæc tuæ fugæ, quam non probabilis excuſatio?* Tum *Siaohous* iterum,

Emergit.

Fugit otium, ut ante laborem.

rum, *Quos reliquis fugitivis ducibus ſubſtituamus, alios nulla re impares minime operoſum erit reperire; ſed quem è toto regno excitabimus* Hanſinio *parem? Hic unus excellit omnibus; ad hunc profecto comparari poteſt nemo. Si optas, ô Imperator, creſcere, ſi totum imperium tibi ſubjicere;* Hanſinium *adhibe, ſine quo nihil unquam præclare geres. Cum eo conſilia conſtitue; in quo fortitudo, prudentia, ſtratagematum uſus, & omnia ſummum tenent. Eſt ita ſane, ut dicis,* ſubjecit Lieupangus; *interim tamen copiæ meæ dilabuntur omnes non ob aliud, quam quod, cum ad Orientem Sinam adſpirent milites, eos ego in regno meo otioſos detineam. Sed vide, quam non juſta ſit hæc conciſcendæ fugæ cauſa? num vos arbitramini me hoc uno regno contentum, hîc ignavia velle marceſcere? Mihi vero perinde ac vobis nihil jam pridem fuit optatius, quam Auſtrum Ortumque armis impetere; tempus opportunum exſpectandum erat. Quod ſimul affulſit aliquando, & hæc militibus expeditio placet; parebo non invitus eorum alacritati. Age igitur, ut ad iter ſe accingant, edicito.* Vocatum deinde *Hanſinium* diligenter de ratione Orientis ſibi ſubigendi gerendique univerſe belli rogat. Cum ad omnia reſpondiſſet ille perquam prudenter; eum ſummæ rerum expeditionique præfecit univerſæ, cunctis lætantibus. Nam & ex cognita ejus prudentia ac fortitudine dignum hoc honore jam olim ſciebant; & eo duce capiebant haud dubium omen victoriæ, magna quæque ſibi polliciti.

Militiæ præficitur.

Auctus ea dignitate *Hanſinius*, ad *Lieupangum* gratias acturus accedit ex more. Ibi ad *Siachoum* Imperator verſus, *Multa*, inquit, *præclara ſæpe apud me de* Hanſinio *prædicaſti. Nec ego abs te diſſentio, illis, quæ vidi, quæque audivi, cum præconio tuo plane congruentibus. Optarem tamen, ut ipſe, te præſente, qua ratione bellum tractaturus ſit.* Tunc *Hanſenius*, *Bellum nobis eſt*, inquit, *adverſus* Hiangyum, *hominem indiſertum & ore loquentem ruſtico* (dicens hoc ideo, quia non bene linguam Sinicam litteratis familiarem callebat, ſed illam, quæ propria ruſticorum *Zu* regni erat) *nec alia re magis quam feritate nobilem. Inter homines vivens,* quid

quid homini ab homine debeatur, ignorat; & nequitia ſua ſibiipſi obeſt. Hominum vel virtutes vel vitia neſcit à ſe mutuo diſcernere. Fiducia ſui ſtolidus, innititur ſoli ſibi; minime doctus ad aliorum ſe ingenia flectere, atque ad id, ad quod natura feruntur, adhibere. Se unum omnia poſſe credit; diritate quidem atque immanitate cedens nemini, ſed germana fortitudine deſtitutus. Hunc talem non pugnando, ſed contra nitendo ſolum facile ſuperabimus, ſi viris fortibus & animoſis militum præfecturas deferemus. Quos enim non vincemus hoſtes, ſi bene meritis præmia proponantur, excludantur indigni? & quis tali rerum ſtatu non libenter ſub Imperatore noſtro merebit? ergo jamnunc jus, quod habemus in Orientis Xenſi *regiones, omnibus publicandum cenſeo, ne te aliena velle cogitent. Ecquis obſiſtere tam juſto, tam pio audebit regi, niſi iniquus? Revoca, quæſo, in memoriam teterrimi* Hiangyi *facinora; & cum pulcherrimis tuis factis compone. Ille pluſquam ducenta hominum millia leviſſimam aut verius nullam ob cauſam inaudita crudelitate uno die delevit;* Changhano, Hingo *&* Iuo, Cini *regni perduellibus, qui ſoli eum ſequuntur, per nefas ereptas tibi terras diviſit; urbem exuſſit, palatium in cineres redegit,* Ingum *ſua manu trucidavit, ſepulchra effodit, opes compilavit, inſontes interfecit; & quid denique non fecit? Hinc illos nemo eſt omnium, quin oderit, & adhuc vivos adeo indignantium, ut imas oſſium medullas penetret dolor. Hi, ſi vel tria vexilla tua fulſerint, omnes ea ſequentur;* Hiangyum *nemo, quia nemo eſt ex toto regno, qui eum amet, qui non ab eo ſit offenſus. Ex adverſo recordare, quæ tu egeris, Imperatorem tyrannum viciſti eo fortius, quod vivum ſervaſti; quam fortitudinem ac pietatem omnes laudant. Palatii ſplendorem imperturbatum reliquiſti; omnes animi moderationem admirantur. Optimas leges tyrannicis abditis induxiſti; nemo eſt, qui te non exſpectet ut patrem, nemo qui non expetat ut regem. Quid cenſes, Imperator? ſatiſne inſtructi tibi videmur ad tergeminum etiam hoſtem obterendum? Ego vero, ſi modo liceat auſpiciis tuis ortum petere, tam facile tres* Cinos *debellatos tibi dabo, quam manum vertas. Illorum populi tuum*

exſpectant vel tuorum adventum; *imo enimvero*, *quod tardius venias*, *queruntur*. Dici vix poteſt, quam lætis auribus à *Lieupango* accepta ſit hæc oratio. Iamque ſeipſum incuſabat, quod tam ſero cœpiſſet *Hanſinium* noſcere. Quare confeſtim, *Siaohoo* ad regni cuſtodiam relicto, Orientem petiit; *Hanſinio* ſupremo, ut ante dictum eſt, militum duce. Qui primo ſtatim impetu tres *Cinos* vicit ac debellavit; ut idem fuerit, veniſſe, vidiſſe, viciſſe.

Sed una victoria non contentum longiuſque procedentem comitata felicitas, ad *Nanyang* urbem adverſum habuit U*anglinium* ducem, *Lieupangi* civem & patricium; qui cum aliquot millibus ab *Hiangyo* deficiens cum *Lieupango* ſociavit arma. Qua defectione audita *Hiangyus*, matrem U*anglinii* exacta ſenectute matronam compegit in vincula, ni filius redeat, certiſſimæ morti deſtinatam. U*anglinius* pro ſumma, quæ filiorum eſt in parentes apud Sinas, obſervantia, matri ſuæ timens, legatos mittit ſuper hac re cum *Hiangyo* acturos. Captiva non modo cum illis copiam loquendi, ſed etiam abeuntes per aliquod ſpatium comitandi ab *Hiangyo* impetravit. Promiſerat enim ei, ſe filio reditum perſuaſuram. Haud longe proceſſerant; cum jam liberior & meditata perficiendi facultatem nacta, legatos ita ſecreto affatur. *Quod hactenus comitata vobis fuerim*, *cauſa eſt filius meus*, *in cujus cauſa veniſtis. Rogo vos*, *ut à me renuntietis ei*, *ne* Lieupangum *deſerat*, *ſed maneat in fide. De me ſolicitum eſſe nolo*; *ipſa mihi providebo*, *faciamque*, *quod anum decet inutilem reipublicæ. Hoc unicum votum eſt meum*, *ut filius meus* Lieupango *regi ſerviat juſto ac pio*, *non* Hiangyo *tyranno. Hæc*, *inquam*, *filio meo renuntiate.* Et cum dicto proximi legati repente gladium corripiens, in hunc vi ſumma incubuit, ſeque ipſam transfixit; deletura ſanguine ſuo ſolicitudinem filii. Mirandum in femina, ſed non imitandum exemplum!

Mater pro filio captiva;

Seipſam interimit.

Hiangleangus interea, dum *Lieupangus* Orientis oras ſub imperium ſuum ditionemque ſubjungit, ut aliquantiſper *Hiangyi* cohiberet arma, ne tribus

Cinis

Cinis eſſet auxilio; *Lieupangi* nomine litteras ad eum dedit. His ſignificabat illum non aliud armis quærere, quam ut à *Zu* rege promiſſas ſibi terras recuperet, quæ omni jure ad ſe pertinebant. Id enim *Zuus* jam declaraverat. Illas poſtquam omnino poteſtatis ſuæ feciſſet, reducto exercitu nihil amplius moturum eſſe. Non enim aliena ſe, ſed ſua quærere. Nihil ad ea reſpondit *Hiangyus*. Nec ſpatium erat maximam proditionem machinanti; qua ſe totius imperii potiturum eſſe ſperabat. Ex quo enim *Zu* rex *Lieupango Cin* regnum adjudicaverat; & regi & *Lieupango* inſidias comparare non deſtitit, ut ſolus occuparet imperium. Et *Han* regnum præſidiis munitum ſibi jam detinebat. Relictis igitur provinciis contra Boream jacentibus, *Kieukiang* provinciæ *Kiangſi* urbem ad Auſtrum redierat. Eo venientem ad ſe *Zuum* perfidioſe necari jubet; illum ipſum, quem ejus patruus regem *Zu* fecerat, ipſeque Imperatoris titulo paulò ante donaverat. Adeo periculoſe Principes faciunt, extollendo ſubditos ad nimiam potentiam, niſi ſubinde caſtigent, ipſis etiam regibus formidabilem. Nam qui ſunt hujuſmodi, ſæpe beneficii ac fidelitatis obliti, non ſecus ac ſtruthiones ferrum, aliena devorant. Audito tam immani facinore *Lieupangus* arripuit occaſionem bene agendi rem ſuam; &, ut omnium animos devinciret ſibi, tanquam à virtute ſtans ac pietate, regiis manibus ingenti pompa, Sinico more, parentavit. Omnes deinde fidos regis Præfectos ac ſubditos ad ultionem perduellionis exhortatur, invitans ad ſe, ſuaſque vires, quantiſcunque valebat, promittens. Venirent modo, ſeque de perfido *Hiangyo* omnium nomine pœnas diu debitas expetiturum juvarent. Ferendum enim non eſſe, ut impune abiret, occidiſſe regem ſuum. *Statueram quidem*, ajebat, *tradita mihi ditione contentus nunquam inde cedere, bellum aliis movendo, nec alios vexare. Nunc vero* Hiangyum *armis & viribus omnibus perſequi certum habeo. Nam illud bellum, opinor, nemo dicet injuſtum, quo perduellis in regem ſuum petitur ulciſcendus. Neque veſtra in regem veſtrum,*

Zuus rex à ſubdito, quem extulerat, occiditur.

inque regnum amor ac fides dubitare me ſinit, vos omnes ſigna mea ſumma voluntate ſecuturos. Quanquam illa non tam mea ſunt, quam regis noſtri, cujus in cauſa ea explico.

Longiſſimo ponte juncti montes.

Itaque pacata jam *Xenſi* provincia & uſquequaque ſubjecta *Lieupangus* ulterius tendit, *Hiangyum* recta petens. Atque ut rectius eſſet iter ac brevius in *Zu* regnum; è *Changleangi* conſilio admirandam illam intermontium amplexus viam ſtravit è ligno; quinquaginta fere leucas longam, pontis in modum planam, & ab oppido, cui nomen *Hanchum*, ad uſque *Sigan* metropolim pertinentem, cujus pleniorem deſcriptionem in extremæ Aſiæ Atlante dedimus. Illa tempeſtate *Hiangyus Ci* regi bellum moverat, quo per ejus ditionem planius haberet adverſus *Lieupangum* iter. At *Lieupangus* ad victoriam habuit prona, quacunque tranſibat, omnia. Iamque illius exercitus in immenſum excreverat, quingenta & ſexaginta millia numerantis. Cum his ad *Peng Zu* regni urbem pervenit, quæ magno erat ad totum bellum momento. Præfectus urbis ſine mora *Lieupangi* amplexus imperium, deditionem ſubiit. Annona multa in ea urbe magnæque ſunt opes repertæ. Quia vero multarum deliciarum locus erat, hæſit Imperator ibi multos dies; haud expendens, quantum voluptate virtus militaris emolliatur. Ad hoc curam victori quoque neceſſariam *Hiangyi*, cujus exercitus procul aberat, contemtus, belli ſemper maxime periculoſus, laxaverat; & plerique militum amœnos ad Orientem campos urbi viciniores petierant. Ea res *Lieupango* propemodum exitialis fuit. *Hiangyus* enim de hoc rerum ſtatu doctus, cum triginta tantum millibus, reliquo exercitu contra *Cium* ſtante, magnis itineribus inopinato veniens, *Lieupangi* copias late ſparſas ac deliciis marcentes invaſit, nulloque repellente vim, in fugam dedit. Dein eodem impetu urbem, in qua *Lieupangum* eſſe audierat, aggreditur. Sed admonitus Imperator in tempore, dum *Hiangyus* inſtat fugientibus, illam bene præmuniit. Quare cum *Hiangyus* ſerius admoviſſet exercitum, quam expediebat ſpei ſuæ; nihilo ſecius

Deliciæ militum pernicioſa.

ſecius eam arcta obſidione cinxit. Ac plane pertinacibus armis eviciſſet illam, unde jam de *Lieupango* conclamatum fuiſſet; niſi, quod ajunt Sinæ, Cæli decreto ſervaretur, quod ei deſtinaverat, imperium. Nam die quadam horrido Aquilone flante ſæviſſima tempeſtas excita domus quamplurimas diruit, & annoſas etiam arbores dejecit. Subter harum unam ad eum uſque diem ignotam patuit via ſubterranea, quam Imperator cum ſuis ingreſſus, confectis aliquot ſtadiis, æmuli manus evaſit, ejuſque beneficio tandem incolumis ad *Yungyang* amicam urbem pervenit; ubi cum ſuis erat *Hanſinius*, fugitivum colligens exercitum. Hic novos etiam milites Imperator evocavit è *Xenſi*, queis adjuncto ſibi *Hanſinio* haud paulo majorem quam erat antea, exercitum confecit. *Sub arbore via ſubterranea.*

Poſtquam è civibus cognovit *Hiangyus*, *Lieupangum*, quem unum quærebat, evaſiſſe; fremens ira, celeriter quoquoverſum dimiſit, qui viis omnibus interclusis eum comprehenderent. Sed in caſſum cecidit omnis labor. Denique comperto eum ad *Yungyang* cum potenti exercitu eſſe; protinus omnes ſuos milites è *Ci* regno revocat, &, ut erat audax & intrepidus, magnis itineribus eam urbem petit. Adventantem fortiter excepit *Lieupangus*, apertoque Marte, qua urbs adverſum habet Orientem, cum eo conflixit. Magna utrinque contentione, ſed Marte dubio pugnatum; donec tandem cedere coactus *Hiangyus* cladem, quantam antea nunquam, accepit. Ipſe tamen fuga ſalutem invenit, ad plura bella reſervatus.

Hac inſigni parta victoria *Lieupangus*, quo facilius annona caſtris importaretur, ingentem foſſam ac navigabilem ab urbe duxit uſque ad fluvium, utraque ripa quadratis lapidibus conſtrata. Sic enim commodius expeditiuſque naves ab hominibus remulco trahebantur, ad quem laborem non equos aut bubalos adhibent Sinæ, cum eſt adverſo flumine navigandum.

Poſthæc ad continuandum ſecurius bellum ſucceſſorem declarat *Ingum* natu majorem filium, & in ejus obſequium jurare jubet. Huic à conſiliis

Siaohoum in provincia *Xenſi* reliquit, ut illam ſuo nomine regerent. Tum nomen Imperatoris aſſumens, totum imperium ſubjicere ſibi decretum eſſe palam enuntiat; regibus ea conditione permiſſo, quo tunc potiebatur quiſque regno, ut ſe Imperatorem agnoſcerent. Sin id detrectarent, bellum minatur. Et primo legatum miſit ad *Paum Guei* regem, ut viciniorem, eique regnum addixit ea lege, de qua primum docui; præterea, ut ad ſe venerandum ex more adeſſet, invitans. Se urbem imperatoriam, ſe ſigillum, ſe inſignia imperii reliqua habere. Utrumque recuſante *Gueio*, res ad arma venit; miſſo cum valenti exercitu contra eum *Hanſinio*. Quem *Lincini* fluminis tranſitu prohibiturus *Gueius*, cunctis navibus propere ſubductis, omnem ei trajiciendi amnis facultatem præripuit; valido inſuper cum exercitu cuſtodiens litora. Diu tamen *Hanſinius* tranſitum tentavit; at necquidquam. Interea nihilominus obſervavit *Paum* non agere continenter in caſtris; ſed ad villam ſtadiis aliquot inde diſtantem ſæpe animi gratia ſecedere. Itaque cum naves obtinere non poſſet; magnis arboribus excavatis lintres facit, & obſcuriſſima nocte militum manum trajicere fluvium juſſit incautumque in villa regem obruere. Ceſſit ex animi ſententia conſilium; eademque nocte regem in manibus habuit. Nec mora; collectum omnem exercitum ſenſim ſine ſenſu, tranſmittens, repentino impetu invadit hoſtem. Qui cum captum eſſe regem audirent; omiſſa ſui defenſione terga verterunt. *Hanſinius* autem victoriam perſecutus paullo momento totum regnum obtinuit.

Captus Paus Guei *rex*

Hinc victor *Yungyang* Imperatoris conveniendi cauſa profectus, cum eo de ſubigendis reliquis regnis conſilia contulit; copiiſque, quas jam habebat, inſuper triginta millium numero auctis duo regna *Chao & Yen* vel debellaturum ſe, vel ad Imperatoris obſequium revocaturum promiſit. Illis triginta millibus *Changulum* præfecit; qui olim à *Chinyo* armis ejectus è regno *Chao*, Imperatorem poſtmodo ſequebatur. Sperabat enim *Hanſinius* eum res præclare

acturum

acturum contra *Chinyuum* regni *Chao* tunc Colaum; quippe cum & infenſus ei eſſet, totumque regnum percognitum haberet.

Adventantibus ivit obviam *Chaus* per *Chingum*, quem ei bello cum ampla poteſtate præfecerat. Virum acrem egregiumque ducem, & qui totum *Chao* regi ſuo regnum ſubjecerat, *Cinæ* familiæ devictis copiis omnibus, qua de re ſupra in tranſitu quædam attigimus. Magno præterea generoſoque erat animo; nunquam induci ſe paſſus, ut in hoſtem, quæcunque occaſio fulgebat, uteretur ſtrategemate, quod diceret ſe ducem eſſe, non latronem. Et neminem aperto Marte timere; nec ad fallendos, ſed vera fortitudine vincendos hoſtes natum. Hæc animi magnitudo extrema calamitate illum affecit *Hanſinio* rem aſtute & callide gerenti denique ſubjectum. Poterat quidem prœlio ſuffocare ſola fame *Hanſinium*, ſi *Lizoi* ducis ſui conſilio pareret. Hunc enim in modum ei ſuadebat: *Quo cruentum trahimus bellum, quod facillime poteſt ac prope ſine armis confici? Nam nec* Hanſinii *miles numeroſus ſane, jamque victoriis aſſuetus, quamvis tua virtute vincatur, ſine ſanguine tibi cedet victoriam; & ſola fame ſuperari poteſt. Abſunt à ſuo regno nunc plus quam mille ſtadia; unde non ſine ſummis difficultatibus tanto locorum intermiſſo ſpatio ſuppetet annona tantæ mulititudini. Sententia mea fert, ut fidum ducem cum triginta militum millibus eorum tergo immittas omniaque intercludas itinera. Neque enim te latet viam per* Cingking *arctiſſimam ac longiſſimam eſſe, qua incedentibus ob anguſta vallium & ſaxoſa montium ordines ſervare non liceat. Hanc vallem, quam longe porrigitur, omnem ita foſſis inſuper impediemus, ut & progreſſuris impervia ſit, & à tergo clauſis negata vel ad reditum vel ad annonam aliunde petendam via. Nos interim caſtris bene munitis noſtros continebimus, detrectantes prœlium. Sic malleum inter & incudem poſitus hoſtis, extabeſcenſque fame victoriam nobis offeret pene dormientibus. Si placuerit hoc conſilium tibi; tum enimvero meum erit nondum elapſo menſe, ſalvis tuis omnibus,* Hanſinii Changuli*que capita ante pedes tuos*

Chinyus nunquam ſtratagemate uſus.

tuos projicere. Salubre conſilium erat, & quod maximè timebat *Hanſinius.* Anxius enim hac cura, militum illam manum ad cuſtodiendam vallem dimiſerat, etſi *Lizoi* conſilium prorſus ignoraret. Sed, utut erat, *Chinyuus* illud obſtinata magnitudine neglexit, præterquam aperto Marte non audiens aliam prœliandi conditionem; illud unum ad hoſtem cædendum ſibi ſatis eſſe dictitans. Interim *Hanſinius* ab exploratoribus, quos apud *Chaum* habebat, de *Lizoi* conſilio præmonitus adeo vehementer extimuit, ut reditum eo, unde venerat, meditaretur. Neque enim dubitabat, ſe, ſi ſubſiſteret, intercluſum iri. Sed hoc conſilium ſolicito pavore verſantem de *Chinyui* reſponſo nuncius retinuit. Minime tamen ſibi cunctandum ratus, ſed acie primo quoque tempore decernendum; ad ſolitas artes verſus, juſtiſſimum ac fortiſſimum Ducem *Chinyuum* ſtratagemate ſuccuſſit, in quo uno ponebat ſpem victoriæ. Itaque rem orſus eſt in hunc modum. Equitum bis mille ſequi ſe juſſis, ad *Chai* regis caſtra propius acceſſit; multis rubro colore vexillis convolantibus. Illic collis accumbebat in hoſtem pugnaturis perquam commodus; &, quod tunc maxime ſpectandum, in eo ſtare poterant, ut hoſtium extra conſpectum eſſent. Hoc loco illis commonſtrato, in caſtra ſua reverſus eos ſic alloquitur. *Poſtero mane ante ſolis ortum locus ille vobis petendus eſt; ubi latebitis, quod hoſtium caſtra vacua videatis. Tum demum ex inſidiis conſurgentes illa ſuggrediemini, disjectisque* Chai *regis vexillis noſtra rubra ſurrigetis. Hoc veſtrum erit munus; cetera mea curæ relinquite.* Illi hoc ſe facturos recipiunt, ſed non ſine riſu. Quo enim pacto die ſequenti vacua hoſtium caſtra nanciſcerentur? Tunc *Hanſinius*, *Quo pacto*, inquit, *vacua ſint futura, veſtrum non eſt modo ſcire; tantum meminiſſe vos jubeo, partes veſtras eſſe, ut ea ingrediamini.* Quibus dictis ducem eis aſſignat virum fortem atque magnanimum, ab ſe jam edoctum de eo, quod facturus erat, nemine præterea ejus rei conſcio. Sub mediam ergo noctem omnes corpora curare juſſos, dein ad demonſtratum locum reduxit. Illic imperata eis manſione,

Stratagema.

ſione, ipſe ad exercitum rediit, ac decem militum millia duos inter amnes, qui continentem in arctum compellunt, poſuit. Simul, quid eis agendum, docet; imperatque, ut inibi diviſi duas in partes in ambabus ripis ſederent armis inſtructi. Tum ubi ſe fugientem reliquo cum exercitu viderent, tranſitum ſibi per medium darent; ſin hoſtes inſequerentur, ut ſe in medium recepto tantiſper illorum impetum ſuſtinerent, dum ſuos in ordinem redigeret. Hoc enim conſilio ſe fugam ſimulaturum, rerumque facie mutata obviam iturum inſtantibus. His in hunc modum conſtitutis, ſummo mane ac priuſquam luceſceret, cum reliquis copiis, ſine ſtrepitu ac mutis inſtrumentis caſtrenſibus non procul ab hoſtium caſtris tranſibat. Quem alii quidem prœlium poſcere autumabant; *Chinyuus* vero credens eum fugere, ſuos optime compoſitos & inſtructos educit è caſtris, *Hanſiniumque* vi magna invadit. Non diu pugnatum; & *Hanſinius* de comparato conſultoque terga vertit, &, quoad ejus fieri potuit, ſervatis ordinibus properat ad illa decem millia, quæ latebant in inſidiis. Non dubitabat amplius de victoria *Chinyuus*; & fugientes ad internecionem deleri poſſe credens, audaciſſime inſequitur. Sed ecce! cum ad anguſtias venit illius loci, quem inſidebant *Hanſiniani*; nihil dum fraudis ſubeſſe ſuſpicatus progreditur, pedetentim tamen & contractis ordinibus, quod, quo longius procedebant, hoc arctius eis ſpatium eſſet. Vt primum in conſpectu fuere; tum decies mille, de quibus dictum, impetum irruentium haud modice frangunt, detinentque. Interea toto *Hanſinii* exercitu ſe vertente, atrox utrinque prœlium committitur.

Iamque paulo longius à caſtris aberat *Chinyuus*, in quibus præter impedimenta paucoſque ad cuſtodiam milites nihil reliquerat. In hos duo millia poſt collem latentia irrumpunt, ut imperatum erat, caſtra ingrediuntur vacua, dejectiſque vexillis hoſtilibus inibi ſua collocant. Horum omnium ignarus *Chinyui* exercitus egregie atque ut tanto duce dignum, reſiſtebat *Hanſinio*; & admodum anceps prœlium erat. Sed

ubi

ubi motum ac tumultum in caſtris eſſe audiunt, rubraque vexilla totis caſtris fulgentia diligentius obſervando vident; non dubitantes, id quod erat, occupata caſtra, repente animis concidêre. Hoſtem à tergo ſupervenientem timebant. Hinc ingens orta confuſio. Nemo jam publicum bonum curare; omnes ſine ordine, ſine imperio de ſola fuga, de ſalute ſua quiſque cogitare. Statim ea res advertit *Hanſinium*, ut erat aſtutus inprimis; exhortatuſque ſuos ad maturandam victoriam, & impetu recollecto atque adeo majore vehementius in hoſtem iterum invehitur. Cadunt miſeri paſſim, aut effuſiſſima fuga ſalutem quærunt, horrenda nihilominus cum ſtrage; quippe ad ducenta millia deſiderati. *Chai* rex ipſe vivus in victoris poteſtatem venit; *Chinyuus* fortiter pugnando, invictus hucuſque miles, occubuit.

Magna clades.

Hanſinius autem ubique fugientium in tergis hærens, omnes trucidari jubet, præter unum *Lizoum*; cui nequis uſpiam noceret, ſevere militibus edixerat. Pollicitus inſuper iis, qui vivum ad ſe adducerent, argenti mille libras. Suſpiciebat enim in viro prudentiam, animique robur ac bellandi peritiam ſingularem; eumque ſperabat ad Imperatoris partes poſſe traduci. Neque ſpes eum ſua deſtituit. Quippe milites allecti ſpe præmii, captum denique, ſed reverenter habitum deduxerunt ad *Hanſinium.* Quem tanquam civem ſuum natuque grandiorem, ut mos fert Sinarum, primum ei locum cedens, juſſit aſſidere ſibi; tum ut Præceptorem ſuum veneratus, alloquitur in hæc verba: *Vivum te videre poſſe primæ felicitatis in loco repono, æſtimoque pluris quam totam vel quantacunque pars ejus ad me ſpectat, victoriam, quam reportavimus. Spero enim fore, ut abs te multa diſcam; cujus virtutem atque conſilia omnes admirantur. Sed ante omnia ex te duo ſcire aveo. Primum quo pacto* Yen *regnum obtinere poſſim; alterum quî* Ci *quoque regnum ſub imperium ſubjungam. His enim duobus bellum inferre me juſſit Imperator.* Ad hæc Lizous, *Optime dux,* inquit, Paum *regem* Gueiq*ue regnum jam ſubjugaſti; modo* Chinyuum *invictum adhuc bello ducem ſuperaſti; &, ad quam laudem*

dem adipiſcendam aliis ducibus totus haud ſuffeciſſet dies, tu ante diem (incredibile dictu, niſi nos teſtes coëgiſſet eſſe felicitas tua) unius auroræ infauſta nobis luce pluſquam ducenta hominum millia occidione deleviſti. Et tu poſt tam multiplices tamque præclaras victorias, adhuc meditaris bella? quid tibi cum armis, quorum terrori per totum orbem ſparſo rex Yen *ultro cedet? Video tamen eſſe nonnulla, quæ tibi officiunt ad victoriam; aliis quidem certe ſolent. Milites tui à pugna laſſi ſunt; ac præda opulenti ſine dubio quietem aliquam exſpectant. Et ingratum eis erit fortaſſe, longius à patria diſcedere, regnumque* Yen *intrare recuſantibus. Vt nihil dicam,* Cium *interea ſuis rebus providentem, quantiſcunque poterit viribus ad bellum imminens ſe paraturum. Adde, quod te minime fugit,* Hiangyum *capitalem Imperatori hoſtem denuo cum valenti exercitu adventare; non ſane ſpernendum progreſſibus tuis obſtaculum. Quod ergo liquet alieno metu conſequi te poſſe; tuis turbatum ibis armis? Non hoc facies, non, mi dux, ſi te amabis, ſi me audies. Quid igitur eſt illud, quod abs te impræſentiarum velim? Primum, tuis militibus aliqua quies eſto, qua fortes ſerventur alacreſque ad futura. Dein ad* Yenem *legatum mittito, perſuaſurum ei, ut* Chai *regis damno doctus Imperatorem agnoſcat. Poſtquam enim ad eum pervenerit fama victoriæ, qua modo potitus es, fama fortitudinis, qua præditus es, fama exercitus, cujus auditum nomen principium eſt victoriæ; ne dubita, quin ad hanc conſequendam cetera futura ſint proniſſima. Fecialem ergo præmittes metum: qui ſi nihil efficiet; tum demum vires adhibebis fruſtra dolentibus cogi ſe facere, quod ſponte debuerant.* Paruit huic ſententiæ *Hanſinius*; nec diu factum, & obſequentiam eventus laudavit. Quippe ſtatim *Yen* rex in Imperatoris poteſtate fuit, miſſiſque legatis regnum ei vectigale ſeque clientem ultro fecit.

His victoriis lætus Imperator, multum tamen adhuc *Hiangyi*, potentia ſolicitabatur. Ille namque occiſo *Zu* rege ſuoque per quoſdam Præfectorum fidiores, & affines,totum illud regnum occupaverat,potentiſſimum, Auſtrales provicias omnes fere complexum, ampli-

amplitudine præterea, militumque ac populi frequentia cunctis Imperatoris viribus ſuperius. Eapropter Imperator audiens illum nova parare bella; non immerito curas in eum omnes intendit. Erat inter Imperatoris conſiliarios Philoſophus quidam *Chinpingus* nomine, quem ex infima pauperie, ob doctrinam ac prudentiam Imperator ad magnos honores evexerat. Hic, ut acutiſſimi erat ingenii, tale ſubinde contra *Hiangyum* conſilium dedit. *Hiangyus, quod ſcis,* inquit, *eſt homo inquies, pervicax, inſolens æque ac perfidus. Quæ tamen artes, tantum abeſt, ut ejus potentiam infregerint, ut eam potius firmaſſe videantur. Sed nimirum in Præfectorum fide conſtat ejus felicitas;* Afui, *dico,* Chungnanii & Lungciei. *Quare nobis impenſe laborandum eſt, ut vel hos ad noſtras partes ſequendas alliciamus promiſſis; vel, ſi hæc neglexerint, apud* Hiangyum *in infidelitatis defectioniſve ſuſpicionem vocemus. Quod ſi cui difficile factu videbitur; id ego munus pro Imperatore meo mihi depoſco. Etſi enim negotium iſtud multis difficultatibus circumſeptum eſſe video; una tamen ad id expediendum ſaltem non erit difficilis via. Quænam illa? præceps* Hiangyi *ac varium ingenium; & præcipue, quia parum jam ſuis fidit. Multos ad te defeciſſe videt, exceptoſque perbenigne. In ſumma, pecunia, cui omnia parent, opus eſt mihi; quam ſi accepero, rem ad exitum, qualem optas, adductam tibi dabo.* Probavit hoc conſilium Imperator, ejuſque fidei acquieſcens, argenti librarum quadraginta millia tribuit. Hinc *Chinpingus* ad illos tres Præfectos cum muneribus certos homines de negotio bene doctos mittit, eoſque jubet in hunc modum alloqui. *Multa ſunt à veſtra fortitudine ac fide in* Hiangyum *profecta merita; queis longe minoribus magnum eſſet apud Imperatorem pretium, magni honores. Ab* Hiangyo *vero debita veſtræ virtuti præmia nec accepiſtis adhuc, neque in poſterum accipietis. Quid enim? an ſciſſurum putatis eum regnum ſuum, ut vos creet regulos? Ne lactate ſpe vos tam inani; neve ab illiberali, nec pecuniæ tantum, ſed dominationis etiam nullum conſortem paſſuræ cupido regni partitionem exſpectate. A no-*

Prudens & aſtutum conſilium.

A noſtro eoque ſolo Imperatore dignitates hujus faſtigii ſperare vobis licet, liberaliſſime ſuos remunerante. Cujus rei documentum ſi forte quæritis; en! tribus vobis Zu *regnum univerſum promittit dividendum, ſi deſerto* Hiangyo *ad ſe tranſeatis.* Hæc ſumma legationis erat. Haud ignorabat interea *Chinpingus*, *Hiangyo* Præfectos vero fideles eſſe, neque pollicitationibus conſtantiam eorum labefactandam. Neque adeo tamen occultam eſſe voluit hanc legationem *Chinpingus*, ut *Hiangyum* lateret; imo enimvero, ne lateret, id maxime ſpectabat. Nec eum ſpes ſua falſum habuit. Ex eo namque tempore Præfectorum *Hiangyo* formidoloſa fides eſſe cœpit. Auxitque ſuſpicionem alia *Chinpingi* major aſtutia; cui materiam *Afuus* primo apud *Hiangyum* loco dux fortiſſimus idemque nobiliſſimus præcipuam ſuppeditavit. *Hiangyus* enim, dum hæc fierent, collectis magnis iterum copiis bellum reſumſit. Itaque, ut ad omnes erat occaſiones promtiſſimus ingenio, fingens alio ſe tendere, repentina obſidione *Yungyang* urbem obſidet. Imperator, obſidionis cauſa, cum paucis in urbe morabatur; quem proinde adegit adeo, ut ſecum de pace tractaret. Iamque in eo res erat uti diviſo Sinico imperio pacem componerent. *Hiangyo* provincias ad Auſtrum omnes, Imperatori autem non niſi ad Boream jacentes pacta deſtinabant; impoſita præter hæc iſti conditione, regibus ne moveret bellum. Sed in tempore *Chinpingus* ad ſuas artes verſus, coëuntia in Imperatoris perniciem fœdera diſpeſcuit; *Afuo* penitus ab *Hiangyi* partibus avulſo. Id contigit in hunc modum. *Chinpingus* miſſos certos homines quaſi de pace per eos acturus, ad *Hiangyi* tentorium recta properare juſſit, cum muneribus ac mandatis, ut regem ſolito debitoque ritu excolerent; at quamprimum in *Hiangyi* conſpectu eſſent, ſe non ad ipſum, ſed ad *Afuum* miſſos eſſe dicerent. Et habuere deſtinata ſucceſſum, *Afuus* quippe, licet inſons, iniqua perfidiæ ſuſpicione percuſſus, at ſceleris conſcientia intactus, *Hiangyum* convenit, & in fidei ſuæ teſtimonium urbem unius horæ ſpatio capturum ſe pollicetur. At jam

Aſtus militaris.

deleverat fidem *Afui*, fide ſæpe ſuperior, in *Hiangyi* mente ſuſpicio, timentis, ne cum ſuis ille deficeret ad hoſtes. Eapropter *Afuus* copiis ſuis omnibus *Hiangyo* traditis miſſionem petiit; indignatus ei ſervire, qui ſibi non fideret, neve pejora cogeretur ab *Hiangyo*, qui potens iræ non eſſet, experiri. Poſtquam impetravit, quod petierat; tum ad amicos, *Cui debeatur imperium,* ait, *jam Cœlo decretum eſt. Quid ergo fruſtra laborem? ad meos me cives recipiam, in quiete reliquam ætatem acturus.* Sic *Afuus* ab *Hiangyo* diſceſſit; at, quo tendebat, haud pervenit, in itinere vel mœrore, vel veneno potius exſtinctus.

Afui diſceſſus *Hiangyum* inter & Imperatorem pacem diſtraxit; unde continuabatur urbis obſidio. Iamque *Pungiuenus* Imperatoris dux provinciam *Honan* ingreſſus, oppida *Zu* regni ſeptendecim ceperat eo animo, ut *Hiangyum* ab obſidione revocaret ad defenſionem regni ſui. Sed ille, cui petebatur unus Imperator, non jam de regno laborabat; eo vel capto vel necato, etſi amiſiſſet etiam reliqua, facile ſe recuperaturum ſperans. Et ſane ſummis Imperator in anguſtiis erat; neque ſolvendæ ſpes obſidionis ulla promittebatur. Quippe illius exercitus auxilio tum adeſſe non poterat; *Hanſinio* Boreæ plagis infeſtandis longiſſime diſtante. Actumque adeo de Imperatore jam fuit, niſi *Kiſinius* ejus dux ante omnes fidiſſimus, tunc obſeſſæ Præfectus urbi, voluntaria morte Imperatori patefeciſſet ad ſalutem & effugium viam. Videns enim *Hiangyum* in obſidione durare pertinaciſſime, nec ab *Hanſinio* tam longe agente ſuppetias exſpectari poſſe; ſalutem Imperatoris in ſola fuga poſuit. Hoc itaque cum validiſſima equitum manu ad occidentalem urbis portam aliquantiſper ſtare juſſo, per obverſam Orienti portam interim egreſſus ipſe cum *Hiangyo* de deditione tranſigit, eumque per eandem portam in urbem admittit, pollicitus Imperatorem ei ſe traditurum. Exſiliit omnis ad hanc famam gaudio *Hiangyi* exercitus; ac ſtatim quiſque primus ad prædam, ut ſit, ingreſſum per eam portam, quæ patebat una, diſtans ab occidentali pluſquam leuca, tentare

Kiſinius dux bedi Imperatorem ſervat,

tentare cœpit. At Imperator interea cum equitum manu per illam portam effugerat. Quem *Hiangyus* urbem ingreſſus cum imperaret ex promiſſo ſiſti ſibi; *Kinſinius* haud minus candidus erga hoſtem, quam erga dominum fidelis, eum clandeſtina fuga ſalutem quæſiiſſe reſpondit. Quo audito fremebundus iræque præceps *Hiangyus* è veſtigio *Kinſinium*, ut conſilii authorem, comburi vivum jubet. *Exitio ſuo.*

Mox intactam urbem relinquens, cum exercitu fugientem, quantis poteſt itineribus, Imperatorem perſequitur. Ac parum abfuit, quin eum ad exercitum *Hanſinii* recta tendentem aſſequeretur. Præterquam enim, quod inſtaret illi velociſſime; ad *Chingcao* inſuper urbem itinere breviori pervenit, è qua paulo ante Imperator exierat. Illam *Hiangyus* primo ſtatim impetu expugnat & in Imperatorem, quem, iterum deluſus, audierat in eâ latere, diligentiſſime inquirit. Tandem ubi pro certo comperit, Imperatorem evaſiſſe denuo; impotens iræ, tantum non ſeipſum dentibus & unguibus dilaniatum ibat. Non eſt auſus tamen cum defatigato, nec integro exercitu progredi ulterius; timens etiam *Hanſinium*, quem jam adventare cognoverat. Eapropter ſequentem militem exſpectabat; omnibuſque collectis copiis *Hanſinii* ſtratagemata fugiens *Zu* regnum repetiit, *Pungyuenum* ejecturus inde, qui multa inibi loca felicitate armorum ſua fecerat. Ita re infecta coactus eſt in regnum ſuum redire; magna ex parte jam non ſuum. Sed nos ad Imperatorem redeamus.

Ille ſub auroram veniens ad *Hanſinii* caſtra, ubi cognovit & *Hanſinium* & *Changulum* adhuc indulgere ſomno; militibus imperat, ne quis eos expergefaceret. Eorumque tentoria ſolus ingreſſus aufert præfecturæ ſigilla, dataque opera ſtationes militum ordinemque permutat. Expergiſcitur inter hæc *Chagulus* prior; quem pigritiam ſuam excuſaturum Imperator amice compellans, *Quæſo te*, inquit, *ut te plus dormitum recipias. Scio te feſſum; excubias ego pro te agam. Nec polluam tamen majeſtatis decus, etiamſi præpoſtero in ſpeciem obſequio miles fiam ſubditi mei; quippe in quo*

ſublimior majeſtate virtus elucet. Hoc tam amico modeſtoque dicto ex eorum animis (nam & alter experrectus aderat) omni abſterſo metu, ſuam ignaviam erubeſcentes ad alacritatem traduxit. Cognito dein *Hiangyum* Auſtrum repetere; quod nihil admodum eſſet, cur poſthac eum haberet in metu, *Changulum* cum parte exercitus ad *Chao* regni jam armis recuperati cuſtodiam miſit, *Hanſinio* cum reliquis copiis juſſo contra *Cium* tendere. Nam ex iis qui ad Boream regnabant, unus hic rex erat, qui *Lieupangum* nollet Imperatorem agnoſcere.

Cum *Hiangyus* in Auſtrum adverſus *Pungyuenum* iret, *Zaokicum* urbi *Chingcao*, quam ceperat, cum valente præſidio impoſuit, ſevere mandans, ne illinc excederet unquam ad prœlium, ſi quod Imperatoris exercitus forte poſceret; ſed tantum ut oppidum bene muniret ac tueretur. Hoc faciebat eo conſilio, ut Imperatorem inibi teneret, donec è *Zu* regno *Pungyuenum* in totum exegiſſet. At Imperator nondum à ſuis peti volebat Auſtrum; ne gentes, quæ ad Boream incolunt, necdum uſquequaque ſubjectæ vel quietæ, turbarentur. *Hiangyus* autem progrediens ad *Vaihoang* urbem, quæ prima defecerat è *Zu* regno, devenit, ac poſt paucorum dierum obſidium cepit. Hanc, quia prima erat, quam recuperavit è rebellibus, funditus delere decreverat; in unam triſte documentum daturus, quo reliquæ ſaperent omnes. Sed ab ejus civitatis puero quodam annos nato non amplius tredecim placatus, abſtinuit à maleficio. *Quod te minime latet*, ajebat puer, Pungyuenus *urbem noſtram arctiſſima obſidione preſſit; nec obſiſti à nobis ei poterat. Cum ergo nihil eſſet, quo nos tueremur; ſatius eſt viſum experiri victoris clementiam, quam inutili pertinacia vim exſpectantes extrema pati. Hæc nobis cauſa deditionem ſuaſit; te redeunte priſtinam quoque libertatem redituram haud ambigentibus. Sin è diverſo non regem te, ſed hoſtem habebimus; quid agent civitates ceteræ? quam fugam pari culpæ, ſi culpa tamen eſt, quam neceſſitas imperavit, invenient? Multæ ſuperſunt adhuc urbes, quæ ſub* Pungiueni *jugo gemunt, optantque vinci tuis armis.*

Pueri prudens oratio urbi veniam impetrat.

Si

Si tam ſevere conſules in primam; quam ceteris putas reliquam ſpem ſalutis fore? imo ultima deſperatione affectæ in te conſurgent, inferentque bellum pacem offerenti, quam nunquam credent à fumante adhuc iracundia provenire poſſe. Magnum omnino, mihi crede, negotium tibi faceſſent, ſi pergas id, quod pietate potes atque clementia conſequi, ſævitia corrumpere. His dictis puer ferocem animum delinivit.

Imperator interea, licet *Hanſinium* contra *Ci* regem juſſiſſet progredi; legatum tamen præmittendum putavit. Is *Liexekius* fuit, à quo regnum illi promittebat ac pacem, ſi ſe Imperatorem agnoſceret, inque ſuam fidem concederet, ab *Hiangyi* partibus amicitiaque diſcedens. Porro legatus ita *Cium* allocutus eſſe ſcribitur. *Si apud alium, quam apud te imperii gnarum agerem; habenda mihi longa eſſet impræſentiarum oratio, atque adeo præteritorum proxime annorum repetenda hiſtoria. Nunc ſumma negotii, quod Imperator meus mihi commiſit, in hoc conſiſtit. Ille primus fuit, qui* Cinam *familiam armis ante devictam exſtinxit; ille primus imperatoriam urbem occupavit, imperiique ſigna ſe penes habuit. In hac felicitate acquieſcentem, nemini moleſtum ſuoque contentum ſubegit, imperii commune contra perduellem* Hiangyum *& quietis impatientem bellum reſumere, debitas interfecti Zu regis ab eo pœnas expetiturum. Nulla utique ſæviendi libidine, quam ab ejus moribus abhorrere longiſſime, teſtes laudare poſſum, quotquot adhuc ab illo perquam liberaliter accepti, potius ejus pietatem experiri, quam arma voluere. Omnes præterea, quicunque probitate ac doctrina excellunt, illum amplectuntur, illius juſtitiam amant. Ab his artibus, prô Cælum! quam diverſus abit* Hiangyus? *Hic imperium ambit, hic regis ſui parricida eſt, hic omnem Sinam armis perturbat. Malefactorum quamlibet tenuium memoriam non niſi ſanguine delet; meritorum recordatio nulla, quid enim dicam, remuneratio? Hinc inviſus eſt infeſtuſque bonis omnibus. Et hunc talem tu antepones Imperatoris amicitiæ? ejus inquam Imperatoris, qui victore potentiſſimoque cum exercitu modo tuum regnum invadens, vim tamen inferre non cogitat, ſi perduellem, ſi latronem, ſi parricidam deſeras, & ab optimo Imperatore*

ſine armis vinci velis, hoc eſt, regnare. Poſtquam legatus dicendi finem fecit; reſpondit *Cius*, amicum Imperatorem ſe, quam inimicum malle, ſub ejuſque imperio ſe obedienter ac fideliter futurum recepit.

Eodem tempore *Ci* regnum jam ingreſſus *Hanſinius*, iſtius legationis audito ſucceſſu reditum meditabatur. *Quaicheus* vero flagrans odio *Cii* regis, *Hanſinio* callidiſſime perſuaſit, uti promoveret arma. *Quid hoc eſſe putem*, inquit, *fortiſſime dux, quod cogitas redire? Tot itineribus vexatos milites victoria, quam habent in manibus, tam inconſulto privas? affectum, imo confectum pene bellum deſtituis? O te ſimplicem, ſi credis rumoribus! an tu ſolus ignoras ſub nomine pacis Imperatorem prævaricatum fuiſſe?* Cii *conatus retinere atque à colligendis militibus eum avertere, finis & cauſa legationis fuit. Quod ſi non eſſet ita; profecto Imperatoris erat, te vel primum vel in primis de pace commonere literiſque aut aliis certiſſimis nunciis è tanti momenti expeditione revocare. Quid? an illi non pluris erit ſubactum regnum, quam promiſſum & ſimulatum clientis obſequium? Perge, quo pede cœpiſti; & Imperatori regnum, tibi nominis immortalitatem felicibus armis comparato.* Inductus vaniſſima oratione *Hanſinius* bellum proſequitur, infeſtis armis omnia percurrens, nullo vim repellente; omnibus, etiam ipſa regia ad ditionem prona. *Cius* deceptum ſe fremens, *Liexekium* legatum illico vivum exuri jubet. Relicta deinde regia, quo provideret rebus ſuis, in Orientis interiora fugam intendens in urbe, quam *Caomien* dicunt, incolumis & ab hoſte ſecurus egit; collegitque exercitum conferendis prima quaque opportunitate ſignis cum *Hanſinio*.

Legatus occiſus.

Per eadem tempora Imperator ipſe cum novo ac potenti exercitu *Hiangyum* in Auſtrales oras ſecutus, ut *Puegyueno* ferret ſuppetias, poſtquam ad *Chingkao* venit urbem, obſeſſam brevi tempore ditionis ſuæ fecit. Dehinc recta *Quanguu* & ipſam urbem petit. De cujus adventu monitus *Hiangyus* actutum ei proceſſit obviam, recedens à *Pangyueno*. Ea res illum plane perdidit atque afflixit. Nam ex una parte ab utroque

exercitu

exercitu prope interclusus magna rerum omnium penuria premebatur; ex altera vero Imperator abundabat omnibus, quæ ad bellum proſequendum erant neceſſaria. Non è *Chingcao* jam capta, ubi annonæ ingentem modum repererat, affatim omnia facileque advehebantur. *Hiangyus* ergo ſuorum vel fugam vel ſeditionem veritus, cum *Lieupango* iterum de pace tractare cœpit. Quia vero tunc bellum Imperator, quam pacem malebat; *Hiangyus* in caſtris aggerata lapidum ſtrue conſcenſa, in quam Imperatoris avum uxoremque *Liuheuam* una ſecum adduxerat, inde *Lieupangum* alta voce compellans, *Audi*, Lieupange! *quandoquidem*, inquit, *à pace abhorres; avum tuum uxoremque non multo poſt aſſatos ad ignem videbis. Vtrum vis elige; aut pacem aut cratem.* Imperator ei reſpondit in hunc modum; *Meminiſſe te adhuc arbitror, cum Zu regis uterque ſubditi eſſemus, amicitiam nos fraterno jure ſanxiſſe. Id ſi tibi ſanctum æque ſemper fuiſſet ac mihi; noſtra ſtaret inconcuſſa neceſſitudo. Nunc ubi non ego tibi, ſed tu mihi prior bellum indixiſti, regem tuum etiam perfide necaſti; non video, quam tuto tecum redeam in gratiam. Vtut eſt tamen; talem habebis me, qualem voles. Adſis modo, ſi amicum; ſin hoſtis hoſtem. Si denique conſtitutum eſt tibi, avum conjugemque meam igne toſtos, niſi pacem eligam, immolare dolori tuo; ſacrificii partem gemino jure ſaltem unum aſſæ carnis abs te fruſtum exſpecto.* Damnatur ob hoc dictum magno *Lieupangus* opere à Sinenſibus hiſtoricis, iniquam etiam pacem, imo ipſius imperii jacturam avi conjugiſque incolumitati poſthabendam fuiſſe cenſentibus. Quippe pietatem primam apud Sinas virtutem, obſequiumque adverſus parentes natuque majores imperio potius eſſe debere.

Pacis obtruſa neceſſitas.

Imperatori regnum pietate potius.

Ceterum *Hiangyus* reſponſo tam ſuperbo irritatus, utrumque deſtinabat igni; cum *Hiangpeus* pater intempeſtivam ultionem reprimens, *Sæpe fili, nos eorum pœnitet*, ait, *quæ irati facimus. Quid autem hinc emolumenti tibi, ſi necem offeras inſontibus? fortaſſe vivi magno impoſterum uſui nobis erunt.* His dictis *Hiangyi* patrem verentis ira referbuit. Sed non in totum.

Poſtero enim die *Hiangyus* Imperatorem ad duellum provocavit, internuncio miſſo; qui ejus nomine ſic illum appellare auſus eſt. *Quouſque noſtros utrinque cives ac milites vexabimus? & imperium uterque quærentes, funditus evertendo perdemus? Age, ſi quid audes, ſi vir es, vel tuo vel meo diſcrimine bellum provocatus abſolve. Alterutrius omnia ſerito, qui vivus excedet è duello.*

Irriſit Imperator hominis ferociam; &, *Ego*, inquit, *non copiis meis, ſed virtute ac prudentia contra te pugno. Hæ decernent, utri noſtrum debeatur imperium; quo te in anteceſſum inſcitia imperandi, &, quod magis eſt ſcelera tua te privant.* Simul his decem crimina, queîs erat obnoxius, inſequebatur. *Hiangyus* acervo lapidum adhuc inſiſtens, unde audire poterat Imperatorem ac videre, contumeliam non tulit. Iratiſſimus proin derepentè balliſtam majorem, cui ad jactum aptandæ quatuor homines vix ſuffeciſſent, ſolus aptat, & ingenti ſagitta Imperatorem petit. Parum abfuit, quin Imperatori letale fulmen illud eſſet; in latere quidem graviſſimum vulnus accepit. Hic jactus ad effugium *Hiangyo* viam aperuit. Imperator enim coactus eſt urbem ingredi; vulnus quidem diſſimulans, ne caſtris metum inferret. Obibatque exercitum incedens lecticæ geſtamine, quamvis præ doloris magnitudine vix poſſet. Interea maximam *Ci* regni partem devictis regiis Præfectis occupavit *Hanſinius*. Quare *Cius* in ſummas adductus anguſtias ab *Hiangyo* petiit auxilia. Nec defuit ille laboranti; *Lungcieo* cum valida manu ſubmiſſo. Iamque uterque exercitus, & ipſe *Ci* rex ad *Yung* haud magni nominis amnem pervenerat. Qui tamen amnis hactenus obſtabat *Hanſinii* copiis, ut, qua *Cium Lungcieumque* invaderent, nulla eſſet via. Quippe medius inter utrumque exercitum fluebat. Ad ultimum *Hanſinius* mirabili ſtratagemate tranſitum invenit. Id autem erat hujuſmodi. Saccos arena repletos magno numero, ſilente nocte in profluentem demerſit; queîs decurrentes aquæ magnam partem retentæ, completis longo tractu ripis ſuperioribus, ut erant peraltæ, mirum quantum intumuere. Simul etiam alveus inferior, quanto plus aquarum

Ira facit fortem.

Stratagema.

aquarum retroibat, tanto tenuiore fluxu deſidens adeo nudavit vadum, ut aliqua pars exercitus eo facile tranſire poſſet. Nec mora; vado ſuperato pugnam ciet, in ulteriori litore reliquis militibus, ita ut compoſiti erant acie, ſtare juſſis. Subinde, ubi pauliſper eſt pugnatum, recedit ex acie; quem iterum trajecto vado ſpeciem fugæ præbentem *Lungcieus* cum ſuis audacter inſequitur, eodem impetu fluminis alveum ingreſſus, ac certus victoriæ. Sed *Hanſinius*, cum pars hoſtilis exercitus jam fluvium ſuperaſſet, reliqui acervatim ſequerentur; ſigno dato, per funes, ad quos erant religati ſacci, eos extrahi repente jubet è flumine. Tum vero nativæ libertatis compos elementum ingenti undarum mole ruens, quos in alveo deprehendit milites, ſecum in ruinam trahit, ſimul tranſmiſſam exercitus partem ab altera ſeparat. Hic invehitur in eos *Hanſinius*, integrataque cis amnem acie copias hoſtiles tanta ſtrage fundit, ut ne nuncius quidem ſuperſtes eſſet improviſæ calamitatis. Interim aquæ ad familiarem curſum defluxerant; cum *Hanſinius* moram omnem è periculi ſuſpicione damnans, toto exercitu in ulteriorem denuo ripam trajecto pugnam infert hoſti; *Lungcieo*que interfecto, *Ci* rex vivus in victoris manus venit. Ita victricia circumferens arma totum *Ci* regnum occupavit *Hanſinius*.

Intelligens autem, quanta in Imperatorem merita eſſent ſua; ſubactum modo *Ci* regnum optabat ab illo, tanquam victoriarum prœmium, accipere jure beneficiario. Mittit igitur ad illum, qui & recentem victoriam nunciaret, exponeretque ſimul vota ſua; quæ mandavit his fere verbis. Ci *regnum adhuc mutabile ſemper & anceps fuit; variæque fidei, modo hunc modo illum ſequebatur, omnibus indiſcriminatim, at nulli conſtantius quam tempori parere promtum. Quare abs te peto, ut ejus fiduciam mihi committas; quem, ut adhuc tibi fidiſſimum habuiſti, ſic fidiorem, beneficiique memorem clientem in perpetuum habebis.*

Imperatori non placuit hæc oratio. Sed *Chanhleangus* & *Chinpingus*, ut *Hanſinii* poſtulatis cederet, ei perſuaſere. *Quid enim?* dicebant; *an non illuſtre*

fidelitatis hoc eſt argumentum, quod occupatum à ſe regnum, à te petat loco beneficii? Negabis ei, quod, ſi per vim retinere vellet, noſtrum auferre poſſet? Omnino fortis eſt ac prudens militiæ dux; cujus egregias artes ipſe jam ſæpius expertus es. Exercitus duci ſuo par; à quo maxime amatur, intentis inſuper ad nutum illius omnibus. Cujus proinde petitioni ſi annueris; quod reliquum eſt belli, hujus fide non magno negotio conficies. Valuit igitur apud Imperatorem duorum conſilium; jamque ſigillum & reliqua clientelæ neceſſaria præparabantur. Interea tamen, cum jam omnes Boream verſus eſſent ſubjugatæ provinciæ, mandat *Hanſinio*, ut etiam contra *Hiangyum* tendat, *Zu* regnum occupaturus.

Sub idem tempus Imperator legatos ad *Hiangyum* miſit, avum conjugemque repetens. Vſus hac occaſione *Hiangyus* egit cum Imperatore de pace. Quæ demum ita convenit, ut *Hiangyo* ſolæ partes Auſtrales, quæ ſunt ultra fluvium *Hungkeu*, cederent; penes Imperatorem vero reliqua Sina tota, id eſt, omnes Boreæ orientique ſoli objacentes eſſent provinciæ. In hunc modum utrinque firmata pax avum Imperatori conjugemque reſtituit. At ecce! vix eos receperat; cum denuo frangit datam fidem, *Changleango* & *Chinpingo* inſtinctoribus. Qui pacem averſati, quamvis eſſent Philoſophi, virtutiſque ſe ſectatores ferrent; Imperatoris tamen auribus aſſiduo bellum inculcabant, neglecta fide. Qua de re multum ab hiſtoricis gentis reprehenduntur, ut perfidi ac Philoſophorum nomine indigni. Fuit autem hæc eorum ad Imperatorem oratio. *In eo ſtatu ſunt modo res tuæ, ut ſimul in manu tua ſit imperium. Quod abs te repudiari quis non miretur, pro quo tam diu depugnaviſti? Olim incertus, an illud adepturus eſſes; nunc de victoria certus, eam dimidia quaſi ex parte cum hoſtibus tuis communicas?* Hiangyum *armis validum victoremque paulo ante nil timebas; modo quaſi jam victum ad conditiones pacis invitas? Muta mentem hanc, quæſumus, Imperator; neve domum ullo pacto per te liceat* Hiangyo *incolumi ac regnaturo reverti. Cave ne uſu tibi veniat, quod illis, qui domi parvam alunt tigridem; quæ,*

Rupta pax.

cum

tum excrevit, oblita beneficii, nec dominis ſuis paret. His talibus ergo verborum lenociniis obſequens Imperator pacem reſcindit. Viſus eſt tamen haud multo poſt perfidiæ pœnas dare, cum *Hiangyus* exacerbatus ira eum prope *Cuxi* urbem, aggreſſus, etſi viribus potiorem tanta clade affecit, ut exinde non auderet ſolus cum eo manus conſerere. Caſtris ergo bene munitis ſe continuit, donec, uti dictum, *Hanſinius Changuluſque* cum omnibus copiis adeſſent; *Zu* regnum ducibus, ex æquo dividendum pollicitus, ſi ſtrenue dimicantes *Hiagnyum* acie ſuperarent. Illi tanti ſpe prœmii commoti, fortiſſime invadentes *Hiangyum* in fugam avertunt. Hic virtus *Hanſinii* cumprimis enituit. Nam ſuis abſtinere à præda ordineſque ſervare juſſis fugientem *Hiangyum* pari celeritate perſequitur. Ille recta *Maocheu* petebat urbem, apud quam munitiſſima caſtra poſuerat. Sed vix illa cum ſuis intraverat; cum hæret in tergo *Hanſinius*, eaque obſidione claudit. Advocato dein omni exercitu locis opportunis milites diſponit, qui omnem undique annonam interciperent; expugnaturus *Hiangyum* fame. Sed ille, ut erat fortis animoque magno; pugnando potius fortunam iterum experiri ſtatuit. Ita cum *Hanſinio* ſigna confert, extra caſtra ſuos optime compoſitos & inſtructos educens. A fortiſſimis ducibus utrinque magna contentione pugnatum, ancipitique Marte; donec tandem *Hiangyus* multitudine longe impar & excedere pugna coactus caſtra repetiit, agmine tam compoſito, ut ingreſſu prohiberet hoſtem. Reſumta proin obſidione cum denuo caſtris incubaret hoſtis; *Hiangyus* ultimis conſiliis animum aperuit. Cum enim exſpectaret auxilia, quæ adeſſe juſſerat è *Zu* regno; ejus maxima pars Imperatorem ultro amplectebatur. De *Hiangyo* namque jam actum eſſe perſuaſerant ſibi. Quin & auxiliares ejus copiæ ad Imperatorem defecerant. Noctu enim cum per caſtra deambularet, vigilias obiens; è propinquo Imperatoris exercitu voces percepit plurimorum lingua *Zu* regni propria cantantium. Ea res *Hiangyi* quamvis conſtantem animum afflixit;

prona

prona defectionis & indubitabili conjectura. Deſtitutus ab auxiliis undique, & arctiſſime inſuper obſeſſus, ad fugæ, quæ reſtabat una ſalutis via, conſilium reſpexit. Tentorium itaque ſuum ingreſſus, cum *Hia* conjuge ſua, præcellentis formæ femina, invitans ſe vino, lætuſque cantare cœpit, eam bono eſſe animo jubet; ſibi modo, ne vivus in hoſtium poteſtatem veniret, abeundum. *Ne vero te deſertam interim ac ſub cultro linqui querare*; *caſtra*, inquit, *relinquo permunita, paulo poſt cum ingentibus copiis rediturus, ut iterum te videam.* In hunc modum ubi valedixit; *Hia* manibus indutus arma ſua, conſcenſoque equo cum equitum octingentis intempeſta nocte ſubito erumpit è caſtris, multoſque paſſim trucidando, armata manu viam ſibi ſuiſque ſternit ad hoſtilem exercitum. *Hanſinii* milites ſane non mediocriter improviſa incurſione turbati, trepidanteſque diſcurrunt ad arma. Vnde non pauci ſunt etiam ex *Hiangyi* ſociis deſiderati. Verum viam tandem aperuit; & reliquis, qua cuique licuit, effugientibus, ſolus *Hiangyus Hoai* fluminis trajectu, ad *Uguei* devenit urbem, ubi deflectentem à via palus excepit. *Hanſinius* interea de tumultu doctus ab iis, quos ex *Hiangyi* ſociis fortuna vivos in ipſius manus demiſerat, exploratores quoquoverſum dimittit, magnis propoſitis prœmiis, ſi vel vivum vel mortuum adducerent *Hiangyum*. Is in palude nihil præſidii ſibi videbat jam ſupereſſe, non dubitans ab Imperatoris militibus undique ſe quæri. Quocirca magno niſu tandem, albeſcente jam cælo, eniſus inde, recta petebat urbem *Hocheu* dictam; cum ab Imperatoris equitibus duodetriginta invaditur. Quos ubi vidit ille, conſtitit; &, *Octo jam anni ſunt*, ait, *ex quo bella gero*; *pugnavi ſeptuagies, ſemper invictus. Et nunc iſtos octo & viginti lepores timeam? Cælum avertat iſtud à me dedecus! à quo faxo ſaltem ut ſciat orbis me derelictum, non ab hoſtium virtute victum fuiſſe. Cælum tenet, non hoſtis, manus meas.* Mirum dictu! ab extrema verbi parte ruens in illos, unus omnes necat. Inde ad *Ukiang* fluvium pervenit haud procul *Hocheu* labentem; quo navi oneraria

Fuga regis Zu.

Qui 32. unus necat.

trajecto,

trajecto, tandem exſpes vitæ, ſic locutus eſſe fertur. *In eo jam loco conſtitutus ſum, ut & ortum fluvii teneam, & occaſum vitæ meæ. Nuſquam ullum mihi fidelem amicumve reperio; plus imo à meis hîc, quam ab inimicis mihi timendum video. Quare occidentem repetam. Sed fugitivus amicorum atque parentum conſpectum ferre quî potero? ſcio, quid faciam! poſtquam Cælum deſiit favere fortitudini meæ; mori ſatius eſt, quam dedecore tantam gloriam maculare.* Sic abrupta ſpe omni caput ipſi ſibi ſtans uno ictu præſcidit. Vir fortiſſimus audaciæque promtæ, ſed crudelis ac perfidus; quibus artibus amiſit imperium, quod fortitudine ac militari peritia facile obtinuiſſet. Eo ſane dignus, ſi, ut militum, ſic & civium animos habuiſſet in poteſtate. Sed iſtorum nimius vexator, ab unis militibus amabatur, inque vicem amabat eos quam maxime. Quorum tamen & virtus & fides denique *Lieupangi* ceſſere fortunæ. *Tandem ſeipſum.*

Hanſinius interim caſtra magna vi aggreditur; quorum facilis erat oppugnatio, duce carentium. Victoria perquam uſus eſt modeſte, milites necari vetans, &, ut ſua ſigna, ſi vellent, ſequerentur, invitans; ſin abire mallent, id impune licebat. Hac modeſtia ſibi devinxit omnium animos, ſumma voluntate ad ejus caſtra tranſeuntium. Ex quo totum *Zu* regnum ad deditionem pronum, quippe viribus exhauſtum uſquequaque, jugum accepit. Vna *Lu* civitas vim experiri maluit. Irritatus Imperator ea civium audentia jurato denunciavit, omnes una cum urbe conflagraturos, ni ſe quamprimum dederent. Forte obiens mœnia cum non voce tantum, ſed organis etiam muſicis cantantes in urbe multos audiret; *Vt video, inquit, in hac civitate, quæ tantopere muſica delectatur, boni mores vigent; fides imprimis erga regem, à quo ne deficiant, obſtinatum eſt eis extrema pati. Si non eſt alia reſiſtendi cauſa; laudo conſtantiam, jureque jurando reſciſſo, ſi velint manus dare, jam nunc polliceor incolumes fore. Vtinam tantam fidem in urbibus meis inveniam!* Inter hæc affertur *Hiangyi* caput; quod, qui eum perſequebantur milites forte repertum, haſtaque præfixum poſt- *Muſica indicium morata urbis.*

poſtquam Imperator oſtentavit urbi, ſtatim in ejus ditionem arbitratumque conceſſit. Poſt hæc Imperator *Hiangyo* ſolenni pompa exſequias inſtruxit; defunctum etiam in patre veneratus, quem ad ſe invitatum exceptumque perhonorifice, dynaſtia denique donavit. Præterea, quod eſt apud Sinas ſummæ benevolentiæ ſignum atque honoris, *Hanæ* familiæ ſuæ titulum ei atque appellationem impertiit, ut *Hanæ* dynaſta diceretur.

Hoc bello confecto Imperator *Tingtao* profectus urbem, *Hanſinium* ex promiſſo *Zu* regulum tributarium; *Pungyuenum* vero *Leangæ* regem in eodem regno creavit. Tunc *Hanſinius* memor eorum, quæ collata fuerant à *Paomua* in ſe beneficia, cum in egeſtate verſaretur; eam ad ſe invitat, argentique libris mille donat. Illum quoque puerum, à quo in urbis *Hodiganæ* macello erat affectus injuria publica, provexit ad præfecturam, malum beneficio rependens, quod niſi ab animo magno excelſoque proficiſci non poteſt.

Beneficia & injuria beneficio compenſata.

Indictis poſthæc comitiis *Lieupangus* in *Xantung* provinciam *Caocheu* ab omnibus denuo Regulis Præfectiſque agnitus Imperator diademate ornatur. Inde profectus ad *Loyang*, præfectis ac militibus inſtruxit magnifice ſplendideque convivium. E quibus cum inter colloquendum amice percontaretur, ecquidnam cauſæ putarent, cur à ſe potius, quam ab alio eſſet occupatum imperium? varii varie reſpondebant, prout quemque vel veri dicendi libertas, vel adulandi vanitas monuerat. Imperator auditis omnibus, *At ego potitus ſum,* inquit, *imperii non alio magis præſidio, quam, quod viris uti ſciebam, præſentiens, quod aptum cujuſque foret ingenio. Qua ſolertia mihi longe ceſſit* Hiangyus. *Noveram* Zufangum *etſi domo aut tentorio non exeuntem, ſola prudentia, melius, quam ego poſſim, vel mille ſtadia diſtantem acies inſtruere, parare victorias ſcire; ad hoc munus eum adhibui. Noveram* Siaohoum, *præ quam meum ferret ingenium, peritum eſſe regnum firmandi locupletandique, populum in læta pace continendi, reditus vectigalia ſic ordinandi, ut nunquam ſtipendia, nunquam alimenta deeſſent; ad hoc munus eum adhibui.*

Lieupangus Imperator recte miniſtrorum ingeniis uſus.

Nove-

Noveram Hanſinium *felicius quam à natura mihi datum, milites habere in poteſtate, victorias obtinere poſſe; ad hoc eum quoque munus adhibui. Hæc ſunt, quæ mihi pepererunt imperium; hi tres, inquam prudentia & virtute præſtantes viri mihi probe cogniti, & ad ea quiſque munera delecti ad quæ maxime aptos eſſe non ignorarem. Hujus ſolertiæ adminiculo ad faſtigium evaſi. Et profecto hominum animos cognoſcere difficilius eſt quam orbem regere, vel in commune ſapienter conſulere, vel fortiter hoſtes vincere. In ceteris rebus vinci me ab aliis facile patiar; ſed hanc unam laudem ſi reſervo mihi, nolim arrogans videri.* Fancenium *quidem* Hiangyus *habuit ad quævis aptum; at quia illo uti neſciebat, interiit.* In hunc modum Imperator perbelle ſuos ac ſeipſum laudavit.

Inter hæc in regno *Ci Tienhengus* quidam, regum ſanguis, ab *Hiangyo* adjutus, aliquoties turbas excitaverat. Quippe ſemper audaces ac turbulentos homines aluit *Xangtung* provincia. Verum audita *Hiangyi* morte cum quingentis ſociorum maris orientis inſulam petiit, litoribus vicinam. Huc mittit Imperator, qui eum ad ſe vocaret; niſi pareret, extrema omnia minatur. In viam itaque duobus ſociis comitatus ſe dedit; verum, antequam ad Imperatorem pervenirent, voluntariam mortem omnes præciſo gutture ſibi concivere. Quo audito, qui in inſula remanſerant, ad unum omnes in mare ſe præcipitant, erga dominum ſuum, quem jam nullum habebant, hac inſania fidem teſtaturi. *Vltroneæ mortes.*

Kipus autem quidam ex *Hiangyi* ducibus, cujus non una tantum in Imperatorem erat injuria, nullum effugium videns, deſertis militibus, barba capilliſque præciſis in regno *Lu* ſeipſum cuidam *Chao* vendidit pro mancipio. Erat *Chaus* manu ſtrenuus & bellator bonus; qui dein, ubi *Kipum*, non mancipium eſſe cognovit, miſericordia motus, illius patrocinium arripuit, & *Sieum* Imperatoris Præfectum conveniens, *Quodnam* Kipi *tantum eſt crimen?* inquit. *Quæ geſſit adhuc pro rege ſuo, in quem nunquam non ejus fides enituit, ejuſmodi ſunt, quæ procul à reprehenſione, multam potius laudem merentur. Vt taceam, poſtquam Imperator orbem*

orbem totum ſolus obtinet, alienum à majeſtate videri, ſingulare odium unius hominis ejuſque regi ſuo fidelis extinctum velle ſanguine. Magnarum mentium eſt, condonare.; quæ non alias magis magnitudinem ſuam oſtentant, quam cum negligunt oblatam occaſionem ulciſcendæ injuriæ. Imperator à *Sieo* de hac expoſtulatione commonitus *Kipum* vocari juſſum ob hero ſervatam fidem præfectura donat. Non eadem uſus eſt fortuna *Tingkungus* alter *Hiangyi* militum Præfectus *Kipi* avunculus. Nam hic quidem ad Imperatorem venit, in ejus obſequium ſeque tradens omneſque copias, quarum ei mandata cura; ſed exitio ſuo, juſſu Imperatoris plexus capite. Qui venientem increpans, *Quod ſuſpicione laborat*, inquit, *ingratum eſt obſequium. Cum his, quos adduxiſti, pro duce tuo ſtandum erat tibi. Nunc ubi ſecus à te factum, nec qui uni domino fidelis non fuit, eſſe ſolet alteri; exemplum in te ſtatuam, quod imitandi tui ſtudio poſteros non accendet.* Hæc poſteaquam acta, tranquillatis toto imperio rebus *Hieuyang*, quam ſæpius provinciæ *Xenſi* regiam urbem diximus, ingreſſus, totum inde Sinarum orbem gubernavit.

Fides etiam ab hoſte præmio donata.

Perfidia viciſſim punita.

At non diuturna quies iſta fuit, ſparſo ſubinde, quanquam falſo rumore, rebellionem meditari *Hanſinium*, inſidiantem faſtigio. Imperator, ut rem ſilentio ac procul omni turba certius exploraret; inſtituit imperii provincias obire, capturus *Hanſinium.* Et primum iter fuit ad regni *Zu* confinia. Ille ignarus calumniæ, nec male ſibi conſcius, cum paucis, ut aſſolebat, ad excipiendum Imperatorem adeſt, ſimul & capitur. Quem facti novitate defixum, ubi collegit animum nonnihil à ſtupore, ſic locutum ferunt. *Quæ res hæc eſt? quæ cauſa? quæ ratio? Quaſi timidum leporem in agro me cepit Imperator. Innocentem nec ullius criminis conſcium eſſe, id mihi fraudi fuit. Quid mirum autem comprehendi obviam euntem lictoribus? At intelligo, quid agatur. Nimirum rapaces aves omnes extinctæ ſunt, rebelles omnes devicti, regnis & imperio imminentes è medio ſublati. Iam arcus remiſſi, jam hebetatæ ſagittæ, jam imperium eſt ſine bello. Quid*

Hanſinius capitur.

multa?

multa? non eget amplius Imperator opera mea. Et hoc eſt illud unum unicumque crimen; quia bello non ardet imperium, ego flammis dignus ſum. Verum re diligentius examinata non inſontem modo pronunciavit Imperator; ſed inſuper *Hoaiganæ* urbis, unde ortus erat *Hanſinius*, principatu excoluit. *Et abſolvitur.*

Tum ex illo ſciſcitatus, quantum exercitum ei videretur in officio continere poſſe? cum reſponderet *Hanſinius*, non plus quam centum millia; loquendi libertatem demiratus ille, *Tu vero quantas copias credis poſſe te regere?* Cui Hanſinius: *Quo plures, hoc melius regam; tu vero Imperator, quo plures duces habebis, eo melius diriges. Nam in cognoſcendis regendiſque magnorum virorum ingeniis omnes tibi palmam ex merito concedunt.* Sagaci dicto mirifice delectatum Imperatorem ajunt, in eo quippe placentem unice ſibi, quod præ ceteris animos hominum felici contemplatione deprehenderet. *Argute dictum.*

Deinceps Præfectis, qui ſibi egregiam navarant operam in his bellis, prœmia elargiri cœpit. *Changleangum Lieu* non procul ab urbe *Pi* diſtantis Principem renunciavit; adjecturus alia loca, niſi recuſaſſet omnia, contentus una *Lieu* civitate. Animi porro ſui modeſtiam his admodum verbis eum explicuiſſe reperio. *Quid de te meritus ſim, Imperator, equidem ignoro; niſi forte conſilio nonnihil adjuvi rempublicam. Ceterum facta, non perinde dicta majore aliquo digna prœmio eſſe arbitror. Operæ meæ, quantulacunque fuit, ſufficit pretium iſtius loci tributa dominatio; non alio merito, quam quod, ubi te primum utentem fortuna tum tenuiore, felix mihi caſus obtulit, ſecutus ſim partes tuas.* Hac modeſtia collaudata, ceu convenit, Imperator *Siaohoum* deinde ducem creat, maximas ei *Zuonis* oras attribuens. Tum *Chinpingum Huyen* regioni ducis etiam nomine præfecit. Hic eam dignitatem refugiens in *Uuchium* tranſmovere Præfectum inſtituit, ut ei gratiam referret, à quo ſe meminerat infimæ ſortis hominem ad Imperatorem olim nomine qualiſcunque ſcientiæ introductum fuiſſe. Quem nunc affatus, *Optime Imperator*, ait, *ſi quid egi apud te laude vel prœmio dignum; id* Uuchio *totum debeo.* *Modeſtia Changleangi.* *Mira modeſtia in recuſandis donis.*

Ille mihi aditum ad te mollivit; abſque quo ſi eſſet, inops fortunæ periiſſem. Imperator hac grati animi ſignificatione lætus, *Bono eſto animo!* inquit; *ego non tibi modo, ſed &* Uuchio *propter te multa debeo. Ducatum igitur accipe, quem offero; nec* Uuchio *præmia ſua deerunt.*

Liberalitas obfuit Imperatori.

Hæc prœmiorum diſtributio exitialis propemodum Imperatori fuit. Nam (ut fit, cum ſe omnes prœmio dignos putant, nec, quod ſperant, accipiunt) reliqui duces ubi ſe neglectos viderunt, in Imperatorem conſurgere parabant, eumque morte multare. Sed *Changleangus* frementes jam ac minas in Imperatorem non obſcure jactantes prudenti conſilio compeſcuit. Suaſit enim Imperatori, ut ex iis unum alterumve, quorum in rempublicam eſſent merita ſpe prœmii ſine controverſia minora, quamprimum remuneraretur. *Sic enim & reliqui digniores,* inquit, *ſibi reſervata credent prœmia; & ſaltem in tempus, dum rebus melius provideas, conquieſcet mitigata ſeditio.* Paruit huic conſilio Imperator; & *Iungchium* quendam *Xefango*, *Gocanum* vero *Sapingo*, urbi utrique, principes impoſuit; magna ceterorum omnium lætitia, nec ſpe minori. Sic periculum evaſit Imperator.

Prudens conſilium.

Porro reputans apud animum ſuum, *Cinam* familiam adeo facile propterea exſtinctam fuiſſe, quia nullos è ſua ſtirpe reges ſibi tributarios fecerit, à quibus auxilium ſperare potuiſſet; (excluſerat enim arctiori propinquitate ſibi conjunctos ab ejus honoris communione, ut dictum eſt) inducendam veterem reipublicæ formam ſibi duxit. Ergo filium natu majorem, cui *Kias* nomen, *Hingi*; ſecundo vero genitum *Hiung* dictum, qui dein hujus familiæ fuit Imperator à patre tertius, *Tai*, reges creat. *Fium* autem nothum, quem etiamnum adoleſcens ex obſcura muliere genuerat, *Ci* regem renuntiavit.

Dehinc ſtatum imperii, jura, leges, aulæque ritus ac cerimonias per *Xoſunium* ordinavit. Cumque jam ſe recte haberent omnia; ſexto imperii anno, qui fuit ante Chriſtum natum ducenteſimus, iterum comitia omnium Regulorum, Ducum, ac Dynaſtarum, Præfectorumque majorum ſplendidiſſimo conventu habuit.

buit. Ingenti pompa paratuque illos excepit. Ac tametſi, quicquid in regia occurrebat oculis, induſtria *Xoſunii* ad ſummam magnificentiam exactum eſſet; Imperatorem tamen ſola majeſtate metum omnibus non ſine arcano quodam venerationis affectu incuſſiſſe ferunt. Ipſe quoque tanto ſuorum apparatu & ſplendore lætus, *Hodie tandem*, inquit, *experiri mihi licuit, quanta ſit Imperatoris majeſtas & amplitudo.*

Tartarorum in Sinas irruptio.

Dum hæc geruntur ac per omnem Sinam recenti pace feſtiſque gaudiis cuncta fervent; ecce *Tartari* ſuperato repente muro magno ad agendum prædas irrumpunt in imperium per *Xanſi* provinciam, ubi nunc *Taitung* eſt urbs munitiſſima. Imperator *Hanſinium* illis oppoſuit; ſtatimque ad arma ventum. Sed hæſit *Hanſinii* deprehenſa felicitas. *Tartaris* enim more gentis equitatu maxime valentibus cedere coactus acieque victus in urbem *Moyem* fuga pervenit. Ibi à *Tartaris* obſeſſus & ad ultimas anguſtias redactus ſuper deditione cum hoſte paciſcitur ſeque urbemque tradens ejus arbitrio. Qua re cognita Imperator ipſe in *Tartaros* movet. Edoctus autem ab exploratoribus, illos in valle *Tai* agere; denuo miſit exploratores, qui de eorum viribus propius cognoſcerent. *Maotunius Tartarorum* dux de his inſidiis certior factus, optimos quoſque ac fortiſſimos equites, exercitus robur in occulto latere juſſit, imbellibus iiſque paucis caſtra tenentibus. Exploratores, ut ad Imperatorem rediere, victoriam in expedito eſſe renuntiant; paucos enim ac debiles milites habere *Maotunium.* Iamque verſus eo tendebat Imperator hoſtem invaſurus; cum *Leukingius* & ipſe miſſus ad explorandum, rediit, Imperatori ſuadens, ne progrederetur his verbis. *Etſi nihil apud* Tartaros *vidi admodum validum, quodque timere debeas; ego tamen haud facile crediderim, eos tam temere ingreſſos Sinam. Qui enim ſine viribus* Hanſinium *debellare potuiſſent, aut imperium noſtrum incurſare auſi eſſent? inſidias timeo, exercitus robore fortaſſe conſulto latitante; decernendum quidem non cenſeo, niſi prius certiora cognoſcas.* Optime ſuadentem Imperator increpitum etiam perduel-

Tandem labefactata Hanſinii felicitas.

Bene monentis calamitas.

lem appellat, ut obſtantem, ne *Tartaros* aggrederetur. Conjectus quoque in vincula ſervabatur ſupplicio, quod poſt victoriam eum manebat. Cujus ſpe plenus Imperator *Quanguu* devicta *Taitung* ad urbem uſque penetravit. Nondum totus advenerat exercitus; cum à *Tartaris* (quadringenta equitum millia fuiſſe ſcribunt) in *Petengo* monte, qua *Taitung* Orientem ſpectat, obſidetur. Quid hîc ageret? quo ſe verteret Imperator? Vnum ei reſtabat effugium in muneribus. Hoc enim erat, quod ſemper in beatiſſima Sina quærebant *Tartari*. Promiſſa igitur ingenti vi argenti, Sinarumque ſexus utriuſque copia pacem emit à *Tartarorum* regina, quæ rerum potiebatur; ſimul etiam recepit *Hanſinium*. Tunc exploratores priores omnes necari jubet; *Leukingium* vero collaudatum à fide ac prudentia ducem *Kienſin* creat.

Quia vero tot bellis regia *Xenſi* provincia fere exhauſta erat, raris indigenis, raris qui agros colerent; tale conſilium ſucceſſu favente cepit. E provinciis omnibus habito fortiſſimorum hominum delectu, eis unaque exſtinctarum familiarum poſteris, quorum bona fiſcus invaderet, domos & agros aſſignando ingentem incolarum agricolarumque frequentiam concivit. Supra centies mille familias affluxiſſe ſcribunt.

Poſteaquam Imperator ad *Changan* urbem pervenit, palatio ſuperbiſſime ac ſplendidiſſime ornato ab *Siaohoo* exceptus eſt, haud ſine ipſius ſtomacho. Advertit *Siaohoum* quanquam obſcure prodita indignatio, &, *Imperatoris domus*, inquit, *eſt totus orbis, ad quem comparatus hic qualiſcunque ſplendor, ut à ſole minora ſidera, infuſcatur. Si tantæ majeſtati non par aſſurgat habitatio; minoris illa fiet, ac terroris, ſine quo majeſtatis fulgor hebeſcit, expers.* Non probant hujuſmodi orationem præſertim è Philoſophi ore Sinenſes hiſtorici, ajentes majeſtatem regibus à pietate ac juſtitia eſſe arceſſendam, ob ſolam virtutem & prudentiam metuendis: his orbem ſubjectum ac paventem habituros. Nunquam fando auditum, regem ob inſanas ſubſtructiones ſuis formidoloſiorem aut pluris æſtimatum fuiſſe. Satius futurum, ſi nimii ſumtus impendantur egentium alio-

aliorumque ſubditorum bono. Sic demum omnes ſui amantes habiturum ac fidos, quibus rebus maxime utitur imperium.

Dum hæc fiunt in hunc modum, *Tartari* Boreos tractus novis incurſionibus vexant. Quibus malis ut tandem obviam iret Imperator; miſſo *Leukingio* duce cum *Tartaris* amicitiam & affinitatem conciliare aggreditur, *Tartari* regis filiam uni è filiis ſuis uxorem expetens. Quanquam Sinicus author hoc loco ſcribit Imperatorem egregie *Tartaris* impoſuiſſe, *Tartari* regis filia non ſuo, ſed mancipii cujuſdam filio nuptum data: indignum fortuna Sinica ducentem, vel ipſius *Tartarorum* reginæ connubia Sinam ingenuum inire; multo autem indignius, Imperatoris filium. Eſt enim ita Sinicæ gentis ingenium, ut omnes nationes præ ſe nullas putet; de ſe una magnifice alteque ſentiat. *Fraus Sinarum in conjugio.*

Imperator proſecutus iter ſuum *Chao* pervenit ad *Gaum* regem, cujus filio filiam ſuam uxorem deſponderat. Arrham è more gentis dotemque *Chao* rex ad Imperatorem præmiſerat; ſed, neſcio quamobrem in iis mittendis à ſolenni ritu modoque diſceſſit, aliter quam exſpectarat Imperator. Qui proin iratus, acribuſque verbis in *Chao* regem invectus, nec contumelia abſtinuit. *Caus* & *Yuus* regii Præfecti ea re offenſi, regi ſuadent, ut Imperatoris apud ſe commorantis morte ſe vindicet, læſumque jus hoſpitii. Rex vero non modo non eos audiit; verum etiam de iniquo conſilio caſtigatis ſilentium imperavit. Non adeo tamen occulta res fuit, quin cuidam *Cai* obtrectatori veniret in notitiam. Ille *Chao* regem *Caum*que criminatus apud Imperatorem odio ſuo impenſe litavit. Captoque rege cum illius criminis conſcii Præfecti omnes adeſſe juberentur; mortem crudeliorem timentes, occupavere voluntariam. Vni *Cao* fides in regem ſuum conſtitit; increpanti ceterorum ignaviam, ſceleriſque ſocietatem fortiter exſecranti. *Si enim nos ipſos occidimus*, ajebat, *quis pro rege noſtro ſtabit? quis Imperatorem de illius fide atque innocentia docebit?* Stitit ergo intrepide ſeſe Imperatori; adhibita quæſtione faſ- *Captus rex Chao.* *Cogitati ſceleris confeſſio.*

 ſus

ſus ultrò datum ab ſe Imperatoris necandi conſilium; ſed regem ſuum illud admittere noluiſſe. Confeſſionis iſtius certior factus Imperator miſit alios, qui verum tormentis quærerent. Ibi *Caus* ſuſpendens judicum animos, *Quid ago?* inquit; *num pluris eſt mihi mei regis ſalus, quam mea, quam meorum omnium, quos ob crimen meum certus manet interitus? At enim plus apud me valet veritatis amor, quam timor privatæ calamitatis, cui me, cui meos expoſui. Ego, ego fui, qui crimen hoc admiſi; ego cædis conſilium dedi. Rex innocens eſt & uſque in vitium Imperatori fidelis & obnoxius? apud quem non fuit locus conſilio meo.* Admiratus tantam fidelitatem Imperator & *Caum* è tormentis, & regem dimiſit è carcere. Hunc tamen è rege ducem juſſit eſſe *Siuenping* dictum. *Caï* vero fortuna provehebatur in ſublimius, ad præfecturas etiam patente via, niſi ſeipſum odiſſet. Tunc enim, *Quod adhuc vivam*, inquit, *in cauſa eſt vita mei regis, à qua mea pendebat. Hunc ut inſontem, periculo liberum volebam. Poſtquam id obtinui vel meo periculo, quanquam felici nec adeo pœnitendo; libens tamen nunc lætuſque moriar. Nec enim tam exhauſto rubore ſum, ut Imperatori ſervire audeam, cujus perduellis audio; nec alteri ſerviam, ſi ſervire non poſſum regi meo.* Cum dicto ſpiritum ſibi præciſo gutture intercluſit.

Mors ultronea.

Ceterum apud Imperatorem maxime gratioſus erat *Iuyus* è *Ciea* concubina, quam ante alias deperibat, filius. Hunc regno primum *Chao* donatum, jam in eo erat, ut etiam imperii ſucceſſorem deſignaret; excluſo, quem jam elegerat, legitimo filio. In electionis verſæ titulum iſtius valetudo viriumque tenuitas prætexebatur. Huic conſilio cum obſtarent magiſtratus omnes & Præfecti, nec exquiſitis rationibus quicquam efficerent; unus *Changus*, etſi ore blæſo, ut ab incepto deſiſteret, tandem obtinuit. Qui audito Imperatore, *Indiſertus ſum ego quidem*, ait, *nec menti lingua paret in iis, quæ concepit, exprimendis; at nunc non modo me naturæ vitium haud ſinit ea, quæ vellem loqui, ſed etiam ac multo minus animi commotio, non ferentis, ut Imperator meus tantum à recta ratione deficiat.* Hæc loquens ita verba perturbabat, ut vix intelligeretur; iſtud

Æquitas etiam in blæſo diſerta.

iſtud unum ingeminans, *Hoc ſcio, non convenire.* Hanc & mentis perturbationem & hæſitantiam linguæ primum Imperator riſit effuſiſſime; ſed ejus pertinacia victus, recepit ſe, quod ſuadebat, eſſe facturum. Itaque in præſens, magna omnium ac præcipue *Lieuheuæ* matris lætitia propoſitum mutavit.

Sub idem tempus ad muri contra *Tartaros* exſtructi cuſtodiam *Chinhium* ducem magno cum exercitu ire juſſerat, ex Auſtralibus provinciis evocatum. Hic, cum ei tranſitus per *Hoaigan* eſſet, ad *Hanſinium* divertit; quem prehenſa ejus dextera, remotis arbitris, ſic affatur. *Quouſque marces, indormiſque cauſæ? Imperium virtuti tuæ debitum an negligis? Fortibus factis & gloria militari nemini ſecundus es; regnique tui milites ſunt in armis omnes exercitatiſſimi. Quos inter, ut olim tuus miles, ita nunc quoque profiteor nomen meum; iturus, quocunque juſſeris, ſed in Imperatorem ante omnes. An inultam feres contumeliam, qua te non ita pridem affecit, in vincula conjectum ut perduellem, in quem nec ſuſpicionis cadebat umbra? Mihi crede, nunquam ſalutis tuæ ſecurus ages, quamdiu, te vivo, tyrannus timet ſe vivere non poſſe. Quare magnopere tibi ſuadeo, ut rebus tuis in tempore provideas. Ego ad murum magnum opperiar, dum aliquid ibi moveas. Si militem contra te miſerit Imperator; inibi vacuam* Xenſi *provinciam invadam tuis auſpiciis. Ita imperium, quod tuæ felicitati, tuis debetur armis, quaque annexa ſunt imperio, in tranquillo erunt tibi.* Non ingrata fuit *Hanſinio* hæc oratio, ſed dolo quam ſucceſſu nobilior. De rebellione quidem inter eos convenerat, ac plane actum erat de Imperatore, ſi latuiſſet conjuratio. Sed ex *Hanſinii* famulitio quidam rem omnem latens audierat, & ad Imperatorem ſpe præmii nomen utriuſque defert. Præceps tunc ad exitum properabat annus Sinicus; nec auſus Imperator aliquid tentare palam adverſus *Hanſinium*; dolum, quo ſine armorum ſtrepitu caperetur, adornavit. *Lieuheuam* igitur mittit Imperatricem cum *Siaohoo* ſpecie obeuntis ſuo nomine Sinam. Cum tranſirent *Hoaigan*, ubi agebat *Hanſinius*, ab Imperatore de tota re bene docti; adeſt

Hanſinii gloria perfidia corrupta.

ille, ut venientem Imperatricem exciperet ex officio, Sinarumque more fauſtum ei novi anni juberet eſſe principium. Ibi rei, quæ agebatur, incautus *Hanſinius* à fortiſſimis viris in ejus exitium ſubornatis oppreſſus, ſine mora capite truncatur. Ita tantus vir, cui acceptum Imperator ipſe referebat imperium, tot victoriarum polluta laude, perduellis nota interiit. Imperator inter hæc ipſe cum maximis copiis quaſi *Tartaris* bellum moturus contra *Chinhium* ducem tendebat. Hic ubi ſe quæri ab Imperatore, intelligit; hoſtem profeſſus palam ei reſiſtit. Anceps erat Imperatori diuturnumque cum illo bellum, accepto etiam luculento vulnere; donec tandem interfectus *Chinhius* ad victoriam hoſti, paulo ante Imperatori ſuo viam perfido ſanguine ſignavit. Sic ingens imperii amittendi periculum Imperator partim prudentia, partim fortitudine diſcuſſit.

Ol truncatur.

Quo autem tempore per *Leang* regnum ei tranſitus erat; *Pungyueus*, qui in clientelam Imperatoris ibi locorum conceſſerat, ad illum excipiendum more ſolito non prodiit, impeditus valetudine. Diſſimulavit tunc quidem ille neglectum obſequii; at rediens victor *Pungyueum* captum deſtinabat exilio, prius in ordinem redigendum regnoque privandum. Sed Imperatrici pœna non probabatur, quæ ſæviret infra mortem. Quare, ut è medio tolleretur, Imperatori ſuadens, *Impenſe vereor*, inquit, *ne te pœniteat haud multo poſt clementiæ tuæ.* Pungyueum *fortiſſimum belli ducem eſſe ſcis; quem offendiſſe juxta & vita donare, quid eſt aliud quam hoſtem in ſeipſum armare? Nunquam enim odiſſe te deſinet ſemel offenſus, nec ante quieſcet, quam ultus fuerit exilii probrum, perpetuo rerum tuarum, niſi pereat ipſe, periculo. Quod ut antevertas ejus maturanda morte, magnopere tibi etiam atque etiam ſum author & hortatrix.* Muliebri conſilio victus Imperator inſontem ac bene de ſe meritum ducem illico necat, ejuſque caput tanquam perduellis, in urbis *Loyangæ* foro ſpectandum facit; illum cum *Hanſinio* & *Chinhio* rebellionis conſilium iniiſſe prætendens. Antequam hæc fierent; *Pungyueus Luonpum* Præ-

Inſontis regis cædes feminæ ſuaſu.

Fides Præfecti in defunctum.

Præfectum, virum facundiſſimum, legatum ad *Ci* regem miſerat. Is rediens ubi cognovit regem ſuum occiſum, & in ea, quam diximus, urbe reſectum illius pendere caput; eodem vertit iter, flexiſque genibus ante illud tabo rubens, ſuæ legationis exitum, magno cum ejulatu ac lacrymis expoſuit. Id cum ſignificatum eſſet Imperatori; *Luonpum* capi jubet. Qui cum intelligeret è vinculis ad flammas ſe protrahendum; in Imperatorem detonuit. *Liceat mihi pauca, quæ ſi abſolvero, lubens moriar. Cum* Loyang *inter atque* Chincao *ab* Hiangyo *arcta obſidione tenebaris; abſque* Pungyueo *fuiſſet, nec vitam nec imperium haberes. Ille ſalutem, ille imperium obtulit tibi; præclare alias etiam de te meritus, de quo nihil in præſens attinet dicere. Quid igitur?* Hanſinium *ab hujus communione laudis excludo? minime; ſed hoc dico, futurum, ut ſi tales viros nulla de cauſa, niſi ficta & commentitia tam male tractas, reliqui omnes, quorum virtus tibi ſuſpecta eſſe poteſt, ſibi timeant, & rebus ſuis melius, quam* Hanſinius *ac* Pungyueus *rex meus fecere, provideant. Quis enim dubitet? quis non videat, idcirco illos à te occidi, quia, quorum virtute ac fortitudine jam non indiges, eos formides? Cave, Imperator, cave, ſi tibi diuturnum imperium eſt cordi, ne deinceps in hunc modum ſævias. Hæc ſunt illa pauca, quæ te volebam non ignorare; de cetero facies mecum quod voles, non minus parato mori, quam vivere.* Fulminatus improviſa expoſtulatione Imperator diu ſtetit; ubi vero collegit animum, accurrit, ſolutumque vinculis *Luonpum* ad honores invitavit. *Imperatori invisa.*

Luonpum vera locutum mox *Kingpus Hoaigan* rex oſtendit. Videns enim Imperatorem fortiſſimis quibuſque ducum ſuorum necem offerre fictis etiam cauſis; ne ſævitiæ valeſcentis exemplum ad ſe quoque pertineret, fortunam experiri voluit, aut interimere certus aut interire. Itaque aperte in Imperatorem rebellis, recta Boream verſus tendit, intactas nullaque vi tentatas Auſtrales provincias relinquens à tergo. Sed præcipiti conſilio ſeipſum egit in fraudem. Quippe Imperatoris Præfecti, qui curabant in Auſtra-

libus provinciis, collectis copiis omnem ei commeatum intercluſerant; & Imperator magno cum exercitu progreſſus obviam, prope *Ki* urbem nil tale prætimentem fudit ac fugavit. Et quamvis *Kingpus* exceſſerit vivus è prœlio; poſt tamen haud multo, quam nuſpiam apparebat, quo ſe reciperet, occurſantibus à Borea & Auſtro copiis, captus & occiſus eſt. Memorant Imperatorem audita ejus rebellione ſciſcitatum à ſuis, quonam conferret hoſtis iter ſuum; cui cum eſſet reſponſum, eum recta Boream *Xenſi*que provincias petere per montes, Imperatorem dixiſſe. *Salva res eſt! cur ipſum timeamus, nil habemus; habuiſſemus, ſi provincias Auſtrales invaſiſſet, facturus haud paulo majus mihi negotium. Nunc ubi ſecus ab eo factum; vos bono eſte animo, jamque devictum captumque ne dubitate.*

Nova rebellio.

Ex hoc prœlio redux in morbum incidit Imperator; cujus ingraveſcente vi poſtquam ſe vicinum agnovit eſſe, ne vacuum relinqueret imperium, *Iuyung* è *Ciea* gratioſiſſima concubina filium, ejus precibus victus, ſucceſſorem denuo declaratum ibat. Interceſſere magiſtratus omnes præpoſtero favori; docentes, quam male ſucceſſiſſet olim idem audentibus, quantaque inde imperio impenderent mala, ſed nullis conſiliis aures ejus patuere. *Liuheua* imperatrix pro filio ſuo maxime ſollicita *Changleangum* rogat, excogitaret præſenti malo remedium, haberetque curæ filium ſuum. Ille rem ex more gerens perite, atque callide, Imperatricem alloquitur in hunc modum. *Iam agendum eſt non dictis, queîs Imperator non cedit; ſed factis. Si tamen audire pauca potes; rei componendæ modus hic occurrit mihi. Quatuor è Philoſophis nobiliſſimi ob* Cinæ *familiæ bellorumque motus ac tempeſtates abdidere ſe villis, quo tutius atque ab armorum ſtrepitu remotius in ſtudiis ſuis latere poſſint. Tu tantum* Ingio *tuo filio ſuade vel impera, ut eos honorificis literis invitet ad ſe docendum; reliqua meæ curæ ſunto.* Mox ad illos profectus, de Imperatoris conſilio præmonitos rogat, nec hoc onus Imperatoris filium docendi ſuſcipere graventur; hoc enim reipublicæ atque adeo totius orbis intereſſe. Illi omnia ſe facturos recipiunt, ſtatim-

Idoneo conſilio procurata legitimi heredis ſucceſſio.

ſtatimque Principis epiſtola eis traditur cum muneribus. Quam Philoſophi ſecum ferentes, ad *Imperatorem* adeunt, eumque monent ab *Ingio* ſe litteris invitatos, libenter, quod ejus pace fieret, quamcunque poſſent Principi laturos opem. Imperator veneranda canitie ceteroque Philoſophorum cultu commotus, eorumque nomina ſciſcitatus, *Adhuc*, ait, *optimi viri, meum ſervitium fugientes in veſtris villis latuiſtis; nulla veſtra culpa, ſed mea. Nimirum ego vobis dignus non eram. Invideo plane ſorti filii mei, à quo invitati adeſtis. Felicior eſt ille vobis præceptoribus, quam ego ſceptris fui. Sed quo pacto vos invitaverit, ſcire aveo. Nec enim unquam eſſe credidi tanti conſilii filium meum.* Illi prolata epiſtola, *Filius tuus*, inquiunt, *pius eſt & obſequens, literarum hominumque doctorum amans. Omnino felix imperium noſtrum erit, ſi tibi ſuccedet ille, à quo totius orbis pendet bonum. Nos ſane, queiſcunque licebit artibus eum ad omnem virtutem atque doctrinam informabimus. Sic eum docti omnes amplectentur, & tanquam ad literatorum aſylum confugient.* His dimiſſis Imperator *Cieam* concubinam vocat, & *Ingus*, ait, non quærit imperium; ſed imperium quærit *Ingum* ſupplicem purpuram offerens renuenti. Quod igitur ſæpe promiſi tibi, jam præſtare non eſt in mea manu. Nam ecce! qui ſapientiæ laude florent, omnes *Ingum* dilaudant & amplectuntur; quorum exemplum totus ſequetur orbis, ego unus omnibus contravenire nequeo. Hæc locutus *Ingum* imperii ſucceſſorem poſtliminio deſignavit, haud mediocri omnium lætitia.

Inter hæc etiam *Siaohous* leviſſima de cauſa captus ab Imperatore, mortis periculum vix effugit. Salutem debuit Imperatrici; à qua, ut amicus, inprimis amabatur. Cauſa vero, quod adeo repente gratia exciderit, non tam ad aliquod *Siaohoi* crimen eſt, quam ad antiquum Sinarum morem referenda. Semper enim hoc habuere gentis hujus Imperatores, habentque nunc etiam, ut nihil faciant ſubditos ſuos, tractentque non ſecus ac mancipia, quoſcunque magiſtratus gerant geſſerintque. Cum enim imperium omne ſit penes unum; fortunarum omnium ſe, vitæque ac *Subditi Sinæ ab Imperatore viliter habentur.*

necis

necis dominos eſſe credunt. Hinc nulla nobilitas, nulla dignitas adeo procedit, ut non pendeat ab Imperatore; nec ulli hominum generi licet ex infima plebe clauſus eſt ad ſummos honores aditus, Imperatoris unius apertus voluntate. Vnde ab omnibus Numinis loco colitur, velut à quo pendeant omnia; valida in terrorem majeſtate metuendus. Hinc ergo fit, ut leviſſima ſæpe de cauſa etiam bene meritos exuat ſummo quoque munere, alios morte multet, eos præcipue, quorum fortitudo bellique peritia poteſt aliquando tenui quamvis indicio timeri. Sola meretur indignationem ſuſpicio. Non ignotum id militum ducibus; queis proinde, præſertim potentioribus, multorumque militum Præfectis, non minus eſt fluxa fides in Imperatorem, quam in ſe illius æquitas, è cujus obtritu materiam rebellionis ut plurimum arripiunt. Nam ſi devictis hoſtibus militem dimiſerint, vix mortem ſe præſciunt evaſuros; ad quam merendam ſatis eſt, præclare fortiterque factis eo perveniſſe, ut timeri queant. Hinc belli temporibus in Sinis audiuntur continuæ rebelliones; & quanto quæque atrocior, tanto audacius à quoque, nulla fidelitatis habita ratione, cœptatur.

Cum jam in ultimis eſſet Imperator, *Liuheua* viſens eum, *Scio te uno, optime Imperator & Conjunx amantiſſime*, inquit, *in dignoſcendis hominum ingeniis ac naturæ dotibus neminem adhuc prudentiorem fuiſſe. Quare abs te ſcire aveo, cui poſt* Siaohoum *è Præfectis Colai dignitatem deſtines. Is enim non diu vivet, utpote ſenex; & fortaſſe noſtro malo.* Tunc Imperator, *Proximus*, ait, *ei* Zaoſanus *ſuccedito. Poſt hunc* Uanglinius *id munus adminiſtrato, diſpertita tamen ipſum inter &* Chinpingum *poteſtate. Cave, ne penes hunc unum ſit ab Imperatore proxima dignitas. Summa eſt in illo vis ingenii, rerumque prudentia nimia, & hoc ipſo ſuſpectanda. Super hæc eſt homo arbitrii ſui, nemini cedens, & hinc magis idoneus reipublicæ perturbandæ, quo prudentior. Eſt omnino maximæ prudentiæ, uti prudentia ſcire, ac ſine hujus abuſu, alterius magis inniti, quam ſuæ ſententiæ. Solus quidem difficulter adminiſtrabit imperium; ſin alium poteſt pati, quod poſſe debebit, qui ſit illi*

quaſi

quaſi pro fræno, ſuccedent omnia ex voto tuo publicoque. Nec alium ei facile parem invenies. Non multo poſt hæc verba, prudentiæ plena, ut in loco referemus, moritur *Lieupangus* Imperator, inter humanæ felicitatis exempla merito numerandus. Nam per varios caſus ad imperium Sinicum evaſit à latrocinio; non ſane tam diuturno illius fructu, quam uſquequaque tranquillum id habere cœpit. Cumque laboraret à nepotum ac filiorum ſucceſſione; nova tamen ipſius auſpiciis Imperatorum familia ſuccrevit *Hana* dicta, quæ triginta continuos ſucceſſores habuit. Quam felicitatem etſi rebelliones bellaque varia ſubinde acciderint, imo & ipſius denique imperii partitio; ſexaginta tamen ſupra quadringentos annos & amplius imperatoriam dignitatem tenuit, quod deinceps docebimus. Ceterum *Lieupangus* à ſuis prolixe dilaudatur, multas ejus virtutes narrantibus; nullo vitiorum oblæſas confinio, niſi nimium in eo luxum damnarent. Quippe magnifici apparatus, vitæque cultus cum voluptate in præcipuis ei deliciis erant.

SINICÆ HISTORIÆ LIBER OCTAVUS.

I. IMP. HOEIUS.

Imperavit annis VII.

E *Liuheua* legitima uxore, Phyſiognomi filia, *Lieupangus* hunc primum filium ſuſceperat; ubi per manus imperium accepit à patre, dictum *Hoeium.* Hic moderatione, magnanimitate ac præcipue comitate inſignis fuit. Sed bonam illius indolem reliquaſque virtutes duo mirum in modum fœdarunt, effrenis libido, nimiaque in matrem indulgentia. Illa in florenti adhuc ætate exſtinctus emarcuit; hac mater ſuſque deque habuit rempublicam. Quippe cum ſenectute probra quæque ac flagitia

Cyclo 42. anno 44. ante Chriſtum 194.

tia induit; ſeu potius, quæ vivo *Lieupango* occultabat, aperuit, filio nunquam auſo cohibere vel emendare matrem. Quæ proin exemplo ſane peſſimo ad ſuum unius arbitrium libidinemque res imperii adminiſtrabat, Præfectos officiis exuebat, vel necabat, alios ad primi nominis etiam præfecturas extollendo.

Imperatricis ſævitia.

Hæc igitur *Liuheua* ſive filii erga ſe pietate, ſive obedientia, ut Sinæ loquuntur, potentiaque abutens documento fuit, nihil mulieris ira ſævius eſſe, nihil petulantia flagitioſius. Quippe facultatem ultionis nacta, conceptum jam pridem odium in *Cieam* concubinam ejuſque filium evomuit. Primo itaque *Cieam* in palatio commorantem capit & in quodam conclavi clauſam ſervat. Deinde Imperatoris nomine mittit, qui filium ejus *Iuyum Chao* regem advocarent; At ille ter vocatus, ter venire recuſavit. Denique tamen paruit; verens, ne in Imperatorem rebellis audiret, cujus nomine vocabatur. Imperator, qui cauſam adventus ignoraret, ad ſe officioſe inviſendum veniſſe ratus, tanquam fratrem omni viciſſim honore ac comitate, quin & regali convivio perquam liberaliter excepit, *Liuheua* in omnem interim ejus necandi occaſionem vigilante. Quæ quidem ſubinde ſe obtulit in hunc modum. Forte ſummo mane Imperator ad emittendas ſagittas in hortum deſcenderat; cum negotium dat Imperatrix Præfectis majoribus, ut *Yuyo* epulum palatio inſtruerent. Ibi cum large ſe invitaret potando; per ſubornatum à *Lieuheua* famulum repentino præcipitique miſtum veneno poculum propinatum intrepidus hauſit. Nec diu factum; & vi veneni ſe in omnes corporis partes inſinuante, ibidem mortuus jacuit. Ajunt Sinæ, cujuſdam alas aviculæ, quam *Chin* dicunt, vino miſtas, è quibus diſpulveratis dirum fit toxicum nec ulli medicinæ cedens, ei conciviſſe mortem.

Tum, priuſquam Imperator ex horto rediret, in *Cieam* graſſata matrem, detruncatis ejus manibus pedibuſque, præciſis auribus, effoſſis oculis, toxicoque per vim infuſo loquela miſeram privat. Ita fœdatam in palatii latrina jubet habitare, nec aliter ac ſuem ab omni-

omnibus & re & nomine tractari. Ex quo diſcas mulieris odio, poſtquam nacta vires eſt ac potentiam, nihil eſſe impotentius.

Imperator ab exercitatione corporis rediens, ubi dira matris facta, *Cieam*que patris ſui delicium adeo miſerandum in modum deformatam audiit; indoluit vehementer, ubertimque flevit ac tanto animi cum impetu, ut in morbum inde delapſus fuerit, è quo nonniſi poſt integrum annum convaluit. Vocatam igitur matrem corrigere quidem vel increpare non eſt auſus; ſed ita eam alloquitur. *Reprehendere te, multo minus pœnas à te mihi licet expetere. Filius tuus ſum; in matrem impius eſſe non queo, nec, ſi queam, velim. Magno tamen opere tuis factis indoleo, quæ ſunt homine prorſus indigna. Sed quando fas non eſt filium imperare matri; facio, quod poſſum, & jam nunc imperio toto me abdico, ne à me talia vel facta vel permiſſa credantur.* Neque fecit aliter ac dixit; matrique commiſſa rerum ſumma, ſe voluptatibus ipſe vinoque dedit in tantum, ut utroque ſe vitio demum enecaverit. Merito reprehenſus à Sinicis ſcriptoribus, & quod matris flagitiis obviam ire neſcierit, nimiam ei potentiam permittendo; & quod relicto reipublicæ gubernaculo, voluptatis ipſe mancipium factus fuerit.

Imperator matris crudelitatem improbat.

Imperii curas deſerit.

Inter hæc *Fius Ci* rex, cognita fratris ægritudine ad eum conſolandum adeſt; exceptus amantiſſime. Frater enim, licet ex alia matre, Imperatoris natu major erat. Cumque apparaſſet ei convivium; primum in accumbendo locum ætatis prærogativæ detulit. *Liuheua*, cui poſt infanda parricidia nullum erat inter fas nefaſque diſcrimen, invidia ringebatur. Itaque venenatum ei poculum propinat ac mortem. Suboluit tamen impia fraus matris Imperatori; neque dubitans, toxico dilutum eſſe poculum, quo matrem in poſterum abſterreret à ſimili ſcelere, accipit ipſe poculum, ebibiturumque fingit. Exhorruit nimium quantum *Liuheua*; advolanſque illud è filii manibus ereptum in terram effudit. Ita meditatum ſcelus patuit. *Fius* autem ocyus ex aula ſe proripuit, in ſuum regnum revertens.

Periculum à fratre ingenio averſum.

Altero Imperatoris iſtius anno morte deceſſit

Siao-

Siaohous, ingens illa ſtirpis hujus columna. Gratia & dignitate, qua florebat, magnas potuerat modo vellet, opes colligere. Verum ſpretis omnibus etiam *Zuon* ditionem, quam accepta fiducia tenuerat, ſponte reliquit, humilique tecto contentus procul à pompa, procul à divitiis ætatem exegit. Admonitus ea de re ab amicis, atque ut filiis ſuis proſpiceret, rogatus, *Si filii mei ac nepotes*, ait, *probi & ſapientes erunt; eis pro magiſtra erit hæc moderatio & frugalitas mea: qua comite nihil unquam illis deerit. Sin futuri ſunt mali; unum id illis non relinquam, quo pejores evadant, quove demum inſidiis ac vi ſalutem ſuam nudent. Secura paupertas eſt cum probitate; divitiæ quanquam eadem comite, periculoſæ atque ab exitio proximæ; ſi vitiis fomitem ſuppeditent.*

Erat *Siaohoo* jam inde à puero ſummus cum *Zaoſano* uſus. Hunc ergo, quem probe noſſet, de ſucceſſore interrogatus, Colaum nominavit. Quam dignitatem ei *Lieupangus* quoque moriens præſagio deſtinarat. Neutrum ſua ſpes fefellit. Nam *Zaoſanus* illius veſtigiis inſiſtens, eum magiſtratum pari cum laude geſſit, prorſus alter *Siaohous*. Quæ res mire populum affecit, qui multis carminibus exſultans ei gratias egit.

Anno imperii tertio Imperator ſororem ſuam ex alia matre *Tanyu Tartarorum* regi nuptum dedit. Quanquam Sinici ſcriptores tradunt, quæ ſuperbia gentis eſt indignum ſua felicitate putantis, id faſtigii puellam cum *Tartaro* jungi, unam ex iis, quæ ſerviunt in palatio, fuiſſe. Quia vero *Liuheua* pro dote non tantum dedit, quantum exſpectabat *Tartarus*; acerbas ac refertas contumeliis ad eam ſcripſit literas. Excanduit vehementer ſuperba mulier, & continuo bellum in *Tartaros* imperavit. Nec defuit furioſo decreto *Sanquaius*, qui operam ſuam offerebat, promittens ſe cum centum armatorum millibus vaſtaturum *Tartariam*. Contra quem conſiſtens *Kipus* unus è Præfectis, *Næ tu morte dignus es, qui talia jactas*, ait. *An non meminiſti, quo tempore* Lieupangus *Imperator obſidebatur à* Tartaris, *te militum ducem trecenta millia*

ſub

ſub ſignis tuis habuiſſe? ſi tunc tamen nihil effeciſti, ſi adeo Imperatori ſuppetias non tuliſti, ut redimere cogeretur auro ſalutem ſuam; contra eoſdem hoſtes jam cum centum millibus quid facies? Hinc ad *Liuheuam* verſus, Tartarorum *verba te non plus*, inquit, *quam belluarum voces movere debent. Siquid boni promant, haud magni faciendum; nec, ſiquid mali, multum dolendum.* His à ſuperbo Præfecto auditis Imperatricis ira utcunque intepuit.

Anno quinto *Zaoſanus* ſummus Præfectus diem ſuum obiit. Huic anno ſequente duo ſimul ſuffecti, *Uanglinius* & *Chinpingus*, ita prorſus, ut moriens *Lieupangus* prædixerat. Eodem anno deceſſit etiam *Changleangus*, vir conſiliis imperatoriis inclytus, & de hac familia bene meritus in primis. Denique anno imperii ſeptimo ipſe *Hoeius* Imperator etiam vitæ ac libidini ſuæ finem impoſuit.

Mortuus Imperator.

Interim *Lieuheva* ſtabiliendo ſibi ſceptro, quoque ſecurius gubernaret, quotquot poterat è ſuis conſanguineis ad ſummos honores evexit. Ea res totum fere turbavit imperium. Et primo quidem *Liuzanum* ac *Lintayum* duces militum creavit, id potiſſimum ſpectans, ut metu Præfectos alios contineret in officio. Præterea, nequis alius è *Lieupangi* filiis in imperio ſuccederet, cujus ſumma penes ipſam, ut aviam, eſſet nomine tutelæ; per ſimulationem deſtinabat illud *Yeo* cuidam adhuc infanti, quem ab infimæ ſortis muliercula genitum, at à ſe ſuppoſitum, demortui *Hoeii* prolem mentiebatur. Hunc, è medio ſublata ejus matre, ne fraus manaret in vulgus *Hoeii* nurui alendum dedit. Struxeratque tanta ſolertia dolum, ut nunquam innotuiſſet hominum ulli, niſi rem ipſa poſtmodum publicaſſet, eodem *Yeo* ſuppoſito Imperatore occiſo, ut paulo infra docebimus. Ab hoc ergo tempore Sinis mulier imperavit annos octo, quod jam narrare aggredior.

Fraus Imperatricis & crudelitas.

III. Imp. LIUHEUA.

Imperavit annis VIII.

Cyclo 42. *an.* 51 *ante Chriſtum* 187. *Femina Sinis imperat.*

HÆc mulier; cui nihil dulcius imperio unquam fuit, non contenta plurimos conſanguineorum ad ſummos magiſtratus ex infimo loco extuliſſe; creandis inſuper aliquot regibus animum intendit. At U*anglinius*, ut erat juſti tenax, obſtitit huic conſilio, quod diceret, regnum, niſi ex *Hana* imperatrice familia ortus eſſet, concedi poſſe nemini. Omnes enim Præfectos à *Lieupango* juſſos in hæc verba jurare, omnes promiſiſſe, arma contra illum, qui aliud tentaret, eſſe ſumturos. Hæc loquendi libertas U*anglinio* cauſam necis attulit. Vlcerata namque Imperatrix *Liuis* mandavit, ut eum interficerent. In cujus locum ſubrogatus eſt *Pous Chinpingi*, qui adulandi vanitate gratiam non mediocrem inierat à *Liuheua*, ſocius. Tunc igitur ad *Chinpingum* verſa, quænam ipſius eſſet de regibus ſententia, ſcitatur. Ille non tam quid ſentiret ipſe, quam quod Imperatrici placere ſciret, expromens, *Imperator maritus tuus dum viveret*, ait, *ea fecit, quæ ad ſtabiliendum imperium tenendumque ſpectare videbantur. Modo tu clavum tenes imperii; quem torquere, quo velis, eſt in tua manu. Breviter! quod libet, licet.* Lætis auribus accepit hæc Imperatrix, & aliquot è conſanguineis reges fecit, beneficiario jure tamen ſibi obſtrictos.

Sed una res eam maxime ſolicitabat ad timendum ſagacem, nec immemorem injuriæ, qua *Ci* regem affecerat. Quem, poſteaquam pro eo ac deſtinarat, necare non potuit; placare ac devincire ſibi conſtituit. *Changum* igitur illius fratrem dignitate ducis excultum, aliquot propugnaculis etiam gubernatorem præfecit; ignara, quam tetrum ſibi ſuiſque foveret anguem. Nam ab hoc *Liua* potentia vireſque factæ viam ad interitum toti *Liuorum* familiæ laxavere.

Suppoſititium heredem occidit.

Anno imperii quarto ubi ſuis rebus ſatis proviſum, firmatumque imperium credidit; *Yeum* admodum puerum, cui ſacramentum jam dictum erat, occidi jubet.

jubet. Ad cauſam necis imprudens ei ſuffecit ætas. Quippe ſeptennis tunc *Yeus* noluit illam aviam ſuam agnoſcere, nec reginam matrem ſeque nepotem nominare. Hoc tempore tantum potentia *Liuæ* familiæ creverat, ut eorum ſuperbia inſolentiaque contineri non poſſet ab aliis magiſtratibus. Omnium tamen flagrabant odio, quærentium undique occaſionem eos reprimendi atque ad modeſtiam revocandi; præcipue fidos inter Præfectos ea de re ſæpe multumque in medium conſulebatur. Tandem *Changus* dux primus ad vindictam prorumpens, in convivio unum è *Liuis* nobilioribus aggreſſus, quia cum inſigni aliorum contemtu ſuperbiſſime loquebatur, ipſe ſua occidit manu. Iam bellum *Liuheuam* in *Changum Fium*que *Ci* regem parantem, inopina mors & ipſam & *Cium* oppreſſit. *Siangus Cii* filius patri ſuffectus in regno, paratis utrinque jam armis pugnandi facultatem non omittendam ratus, apertum bellum *Liuis* infert. Contra quem *Liuſanus*, ſupremus militum dux *Quoningum* legatum ſuum cum potenti exercitu mittit. Qui poſteaquam audiit, *Siangum* non imperio, ſed *Liuis* infeſtum eſſe; cum eundem animo occultaret affectum, cum copiis omnibus ad *Siangum* defecit. Ea res *Liuæ* familiæ fautores omnes ab illa diſtraxit. Iamque *Chinpingus* etiam ac *Pous* maximi Præfecti ad defectionem ſpectabant; niſi à *Liuis* vi retinerentur. Quare ut à *Ci* rege gratiam inirent; ipſe *Liuam* familiam, quam adhuc foverant, occupato regis adventu perdere conſtituunt. Itaque, quam poſſunt ingenti collecto exercitu, tanquam *Siango* bellum moturi; omnes è *Liua* familia ad communem hoſtem debellandum invitant. Adſunt illi ſane quam frequentes; omnibus paratis ad pugnam, *Pous* ad milites verſus, *Veſtram*, inquit, *ô milites, fidem & animum prius experiri placet, quam cum hoſte manus conſeramus. Si omnino pro incolumitate* Liuorum *pugnare decretum eſt vobis, dextrorſum abite; ſin* Hanæ *familiæ partes mavultis defendere, ſiniſtrorſum.* Mirum dictu! ne unus quidem miles oram dexteram petiit. Tantum erat omnium in illam familiam odium ex inſolentibus eorum ſuperbiſque

Explorata militum ſtudia.

biſque factis. Tum *Pous* immotos excitans, *Poſtquam ergo nulli veſtrum placet*, ait, *malam cauſam ſequi; agite, in* Liuos *irruite, necate omnes, & odia, queîs merito in eos exardeſcitis, illorum cruore extinguite.* Ab extrema dicti parte ruunt milites, &, quotquot è *Liuis* aderant, è veſtigio necant. Deinde mares omnes ac feminæ, pueri ac puellæ ſanguinis ejuſdem undique conquiſiti ſunt & morte multati. *Pous* ubi prima proceſſere tam feliciter, legatum ad *Ci* regem, qui jam proxime aberat, mittit *Liuorum* interitu doctum, monet, ut exercitum reducat. Quem enim alioqui crediturum, arma duntaxat eum contra *Liuos* ſumſiſſe, ac non potius ambire imperium? iſtud autem non uſque adeo infelix eſſe, quin fortibus etiamnum abundet fidiſque Præfectis. Paruit bene monenti *Siangus*, & cum *Chango* domum revertitur. *Quoningo* quoque cum exercitu, quicum defecerat, in regiam regreſſo, Præfecti omnes, jam à *Liua* familiæ poſteris nil metuentes, agunt de Imperatore eligendo. Quem cum leges nonniſi ex *Hana* arceſſerent; *Hium Lieupangi* filium, ſecundum *Tai* regem miſſis legatis invitant. U*enius* ei nomen erat; qui & familiæ jure Procerumque in ſe benevolentia libenter uſus, ubi venit, omnium conſenſu Imperator eſt renuntiatus.

Liua familia extincta.

IV. Imp. UENIUS.

Imperavit annis XXIII.

Cyclo 42. *an.* 59. *ante Chriſtum* 179.

Pietas, aliarumque virtutum ſtudium, & præcipue in parentes obſervantia imperium U*enio* dedit, excluſis aliis fratribus. Nam ob has maxime artes eſt electus à magiſtratibus. Nec minus bellica quoque virtute claruit; repreſſis, ut in loco referemus, *Tartaris*, imperium identidem ad prædas agendas involantibus. Vtprimum habenas imperii tractare cœpit, ſummam *Chinpingi Pai*que præfecturam denuo ratam eſſe juſſit; *Quoningum* aulæ magiſtrum declarat. Poſt menſes aliquot à magiſtratibus rogatus, ut *Kium* filium imperii ſucceſſorem deſignaret; ita reſpondit. *Quantum filio meo defertis, eum deſtinando ſceptris; tantum*

tantum mihi detrahere de mea virtute, qualis eacunque eſt, videmini. Probi enim Imperatores ac ſapientes non filiis, ſed ſui ſimilioribus, hoc eſt, ſapientibus cedunt imperium. Tanta ſpes U *&* Hoaigan *reges, fratres meos manet; his, ſi virtutem amaverint, imperium poſt me debetur.* Urgent illi nihilominus, non ante deſiſtentes, quam cederet conſilio. Hinc enim pacem imperii pendere, hinc turbarum omnium extinctionem; nec ea nunc eſſe tempora, quæ olim, cum hominum ſimplicitas imperium ſapientioribus ac virtutum ſectatoribus deferret.

Modeſtia Imperatricis.

Altero poteſtatis anno *Teuam* conjugem legitimam imperatoria corona, ſolemni pompa inſigniit. Memorant hanc modeſtiſſimam fuiſſe feminam, morum elegantia & comitate inclytam. Concubinis, quod mulieres non facile ferunt, eundem honorem, quem ſibi haberi voluit; nulla obtrectatione, nulla invidia, ut fit, anxia. Nunquam etiam à marito imperatricis prærogativam ac titulum ambiit, liberum ei relinquens, quam vellet, extollere. Quin & Imperatricem jam renunciatam, Eunucho ceremoniarum præfecto iratam fuiſſe ſcribunt, quod in convivio *Xinam* Imperatoris concubinam juſſerat humiliori loco accumbere. Verum perbelle ſe purgavit Eunuchus, hoc omnino convenire dicens, ut concubina ſedeat humilius, ne *Liuheua Ceaque* renovetur exemplum. Tum *Xina* locum humiliorem ultro petiit, Imperatrice tandem conſentiente. Cujus iram in Eunuchum magiſne mirer an illius modeſtiam, quam nec Imperatricis urebat gratia, nec familiaris & ſæpe vitioſa mulierum æmulatio, non facile ſtatuerim.

Recuſati honores.

Habebat Imperatrix fratres duos, *Quangyueum* & *Changkiunium*; quos Imperator tanquam conſanguineos multis terris donare volebat. At illi maximam partem recuſantes, ſolum quantum ad vitam honeſte tolerandam ſufficiebat, voluerunt admittere. Erant ambo Philoſophi virtute ac ſcientia ævo ſuo inclyti; cumque ſummas etiam Colai dignitates promererentur, adduci tamen haud potuere, ut eas admitterent. Timebant, ne alii Præfecti criminarentur, idcirco

tantis honoribus auctos, quia fratres Imperatricis erant; quæ ad inſtaurandum *Liuæ* familiæ exemplum facilis erat via.

Imperatoris benignitas. Vere primo, ut Imperator ſuum in populos ac ſubditos amorem animique commiſerationem oſtenderet, convocatos magiſtratus omnes alloquens, *Nunc anni placidiſſimum eſt tempus*, inquit; *nunc ſol arbores, plantas, & quicquid vivit, lætificat, ut cum cælo hilarata eſſe omnia videantur. Sed in communi rerum omnium lætitia multos è ſubditis meis video, qui malis oppreſſi, conſeneſcunt. Senum præcipue me miſeret, qui niſi ſericis veſtiantur, algent; niſi carne veſcantur, eſuriunt. Ego igitur, quo ſubditi mei me non ſolum ut dominum timeant, ſed etiam ament ut patrem; illis non ſecus ac filiis providere cogito. Quare de meis tributis per totum imperium omnibus ætatem octoginta annorum ſuperantibus carnis libram in ſingulos dies pendi volo; præterea quotannis ſerici goſſipiique libras ternas. Adhæc, qua patet imperium, tributorum dimidiam partem remitto; captivos autem omnes libertate dono.*

Ejuſdem frugalitas rarum equum recuſat accipere. Quo magis autem huius Imperatoris comitas ac ſimplicitas pateſcat; juvat hic adſcribere, quod de eo traditum reperio. Memorant enim eodem tempore adductum eſſe generoſiſſimum ac miræ velocitatis equum, qui viginti quatuor horarum ſpatio quiverit mille Sinica ſtadia conficere. Quem cum Imperatori obtuliſſent; tunc ille, imperii vexilla & inſignia, inquit, cum iter facio, me præcedunt; currus & equites ſequuntur. Iam ſi velociſſimo inſideam equo, famulitium utrumque vexem neceſſe eſt. Nam & illos ſuperabo, qui præcedent; quique ſequentur, multo me minus poterunt aſſequi. Solus autem ſi præcedam, quis non videt nec majeſtatis à me nec ſecuritatis haberi rationem? quæ igitur nec mihi neceſſaria ſunt, & famulis meis inſuper moleſta, non accipio; edicoque jam nunc, nequis in poſterum ad me muneris loco quicquam afferat ejus, cui ſola raritas pretium facit, uſitatis contentum atque communibus. *In cultu & ſupellectili modeſtia.* Multa alia de hujus Imperatoris ſimplicitate ac frugalitate narrantur. Quale illud, quod omnia vaſa teſtacea voluit eſſe

in pa-

in palatio; nec imperatrici neque concubinis diſcolores veſtes vel acu pictas permittebat. In palatio præterea nil quicquam paſſus eſt, ut Præfecti volebant, aut innovari aut addi; ſuorum ſe parentum domo contentum eſſe dictitans. Nec enim ulla re meliorem ſe illis, ut habitaret, quam illi, magnificentius.

Eodem anno, qui fuit ante vulgarem Chriſti epocham ſupra centeſimum octogeſimus octavus, viſa eſt in Sinis memoranda ſolis defectio; quo menſe, non eſt proditum.

Anno imperii tertio *Hoainan* rex *Changus* ad Imperatorem ſalutandum venit. Hic cum in urbe regia in *Xinxekium* ducem, cujus odio jam inde à puero imbutus erat, forte incideret, impotens animi, ſtricto eum ferro interfecit. Hujus odii cauſa paulo altius eſt repetenda. *Changum* Imperatoris fratrem *Lieupangus* è formoſiſſima muliere ſuſceperat; à *Chao* rege ob raram formæ pulchritudinem Imperatori miſſa. Hanc *Lieupangus Liuheua* irritandæ metu ſervabat in occulto, furtivis indulgens amoribus. Non fallebat ea res *Xinxekium*; qui *Liuheuæ*, cujus gratiam prenſabat, quidquid ejus erat, aperuit. Illa, ut erat iræ, præſertim æmulationis accedente inſania, impotens; nihil intentatum reliquit, quo mariti amaſiam è medio tolleret. Sed hoc agebat, quam poterat occultiſſime, ne ſi quid reſciret Imperator, illam alibi tutam ſervaret. At enim occulta licet, *Liuheuæ* tamen inſidiis patebat, ubique ad mortem quæſita. Demum ubi filium enixa, capſula clauſum per certos homines ad Imperatorem miſit; tum ferendis, queîs ab Imperatrice continuo vexabatur, moleſtiis impar, ſua ſibi manu vitam exhauſit. Imperator ut illius morte vehementer indoluit; ſic filiolum ſemper amavit, & cum cura enutritum tandem *Hoainan* regem creavit. Hic eſt ergo *Changus*, qui matris mortem ulturus *Xinxekium* occidit. Poſt cædem in tutum fuga ſe recepit, inſalutato Imperatore. Culpæ tamen aliquanto poſt facta gratia rediit ad regnum ſuum; ubi de obtinendo imperio conſultare cœpit. Sibi enim debitum credebat, quia natu major è *Lieupangi* filius

Cædes ducis ob inveteratum odium.

filiis erat, præceps audaciæque projectæ. Vnde *Iuenyangum* Præfectum ſuum nunquam audiit ſuadentem, nequid adverſus Imperatorem moveret, ſuo contentus. Demum eo delapſus eſt, ut ſumtis armis in Imperatorem fratrem inſurgeret. Sed brevi victus & ab omnibus deſertus aufugit è prœlio. Poſtea vero, quam ſe nec regem vidit, qui volebat Imperator eſſe, fame voluntaria vitam miſere finivit.

Rex fame voluntaria mortuus.

Nanye regio Sinarum Imperatori ſe ſubjicit.

Sub hæc tempora *Nanyue* dicta, quæ *Quangtung* & *Quangſi* complectebatur, in leges Sinicas conceſſit; illecta Imperatoris virtute ac pietate, cui miſſis legatis ultro ſubjecit ſeſe, fecitque tributariam, quicquid libri, doctrina & politia Sinica juberet, factura. Mirum dictu! gens illa, quæ nunquam ad id uſque tempus arma Sinica timuerat, nunquam experta erat, virtuti non eſt auſa reſiſtere. Arma inimica fortaſſe ſprevifſet ac repuliſſet etiam; uni virtuti manus dedit. Nimirum nihil tam barbarum ac ferum eſt, quod vera virtus non mitiget. Ac documento plus uno compertum habemus plus virtutem ad regna ſubjuganda valere, quam vim & arma. Et quoties id vitiis amiſerimus, quod armis fortiter obtinueramus; funeſta exempla in hac decade narrata, opinor, abunde teſtantur.

Virtus armis potentior.

Pecuniæ ratio apud Sinas.

Nunc videamus, quæ ſit apud Sinas ratio pecuniæ. Nunquam eorum regibus placuit vel argenteam cudi vel auream monetam; fraudes, quibus iſta gens aſſueta, lucrique ſagaciſſima, præcaventibus. Solo pondere argenti vel auri valorem expendunt; & quatenus quidque miſtum purumve ſit, accuratiſſime dignoſcunt. Quanquam auro nunquam utuntur ad emendum; quippe quod non pecuniam, ſed mercem eſſe dicunt. Hinc autem fit, ut argentum continuo quaſi tormento ſubjaceat, & in minutiſſima fruſta ferrea forcipe ad hoc apta diffringatur. Dein, ut cuique lubet, iterum in maſſas refunditur, ac velut reviviſcit in unum collectum; donec pro emtoris neceſſitate iterum ſecentur in fruſta. Res eſt haud exiguæ moleſtiæ ac laboris; non tamen tot fraudibus obnoxia quam pecunia ſi foret apud Sinas in uſu. Cupream vero monetam à multo jam tempore habuere; quam hic Imperator ad melio-

meliorem commodioremque formam revocavit, ac conceſſit inſuper, ut ubique, modo ſine fraude, in toto imperio cuderetur. Nam ante hæc tempora fiebat hoc in ſola regia, magno quidem Imperatorum quæſtu, ſed majori populorum incommodo, propter itinerum difficultates ac diſtantiam locorum. Monetæ formam rotundam eſſe voluit; & in medio quadratum foramen, quo facilius filum inſereretur. Inſignitur quatuor plerumque literis, nomen Imperatoris & impoſitum valorem ſignificantibus. Liberum præterea fecit omnibus, undecunque ſalem colligere; potiſſimum in id intentus, ut populi provideret utilitatibus, non ut eo vexando, ſuo tantum ſerviret quæſtui, quod eſt regum principumque perſonis oppido indignum. *Sal publici juris.*

Superiorum bellorum tempeſtas rem agrariam, in qua Sinis magnum ad rempubl. momentum, non parum afflixerat. Ad ejus artis reſarcienda damna è Præfectorum conſilio Imperator animum applicuit. Rationem plantandi moros, & bombyces educendi ab Imperatrice ceteras mulieres ejus exemplo doceri voluit; arbores & bombyces item in palatio alendi peculiari cura ei mandata, cujus manu tactas veſtes ſericas ad ſacra tantum adhibuit. Exemplo, cujus vis permagna ſemper fuit, cum à capite deſcendit in membra, commotæ totius imperii mulieres, etiam nobiliores, aggreſſæ ſunt hoc artificium. Ipſe quoque Imperator agriculturæ dabat operam, ut omnes ejus exemplo, etiam ſummi Præfecti, ad imitationem traherentur. Hinc ruſticalia, feſtum Sinis diem, quem *Hinchun* vocant, originem ſumſiſſe crediderim. Ruſticorum quidem proprius hic dies eſt; ſed vere nobiliſſimus, quemque ſolemnem omnibus uſus fecit. Primo enim vere, cum ſol medium Aquarii ſignum ingreditur, etiamnum à Sinis ingenti per imperium univerſum pompa in qualibet civitate atque in ipſa regia urbe dies iſte celebratur, in hunc ubique fere modum. Vnus è primoribus Præfectis claro cum plauſu ſymphonia greſſibus præmoderante, collucentibus undique cereis & vexillis volitantibus, redimitus floribus ad portam *Res agraria reſtituta.* *Serici conficiendi ars promota.* *Ruſtica apud Sinas celebritas.*

Orienti obverſam progreditur. Hunc virorum turba ſequitur pompæ fercula vectibus portantium, queis veterum hiſtoriarum de agricultura monimenta vel è papyro, vel è ligno ficta repræſentantur, ſericis aureiſque textilibus fulgentia. Variis in locis aſſurgunt arcus triumphales procedentibus. Plateæ omnes aulæis dependentibus ſuperbiunt. In hunc igitur modum Præfectus ad urbis portam, de qua dictum, procedit, veri adventanti quaſi obviam iturus. Inter ſimulacra cetera præcipue duo eminent. Alterum eſt vacca teſtacea tantæ nonnunquam magnitudinis, ut ab hominibus quadraginta portari vix queat. Alterum, ſed vivum, eſt adoleſcens, quem diligentem ac laborioſum ſpiritum appellant; qui pedem unum nudum, alterum tibiali tectum habet, virga vaccam teſtaceam continuo percutiens. Sequuntur ruſtici, omnia ferentes artis inſtrumenta. Neque hic quidquam vacat myſterio. Continua vaccæ verberatione ſignificare volunt, quantam curam ruſtici debeant agrorum culturæ impendere. Per pedem adoleſcentis nudum, & alterum male calceatum feſtinationem innuunt, quam ruſticos oporteat adhibere, cum ſe rus conferunt ad laborem, ut nec temporis ſatis ad ſe veſtiendos ſibi permittant. Pompa uſque ad regis palatium, & in urbibus ad Præfectorum ædes deducta, vacca teſtacea omnibus ornamentis ac floribus exuitur; è cujus aperto ventre, velut ex equo Trojano parvas magno numero vaccas, ex teſtacea nimirum matre teſtaceas extrahunt, è quibus unam ſingulis Præfectis mittit Imperator, ſimul monens ut omnem operam in agris colendis à populo curent adhiberi, ſeduloque invigilent, nulli nec agro nec homini liceat otioſum eſſe. Scribunt ipſum Imperatorem eo die terram aratro ſcindere ac ſementem facere. Prorſus, ut ſine aliarum gentium injuria vereque affirmare poſſe mihi videar, haud aliam in agricultura magis diligentem peritam & conſtantem eſſe, atque Sinicam. Vnde non mirum, ſi tantæ hominum multitudini annonam terra ſufficiat; cujus vix palmum unum in toto Sinico imperio, modo vel natura ſit vel arte ferax, incultum aut ſterilem invenias. Crebroque

Ingens vacca teſtacea.

Floret agricultura apud Sinas.

broque ſermone celebrant Sinæ; maximum ac præcipuum regni opus agriculturam eſſe; nec alii rei magis à regibus & magiſtratibus invigilandum.

Iiſdem temporibus rex *Leang* ab equo lapſus occubuit. Ob eam rem ſtabulo Præfectus ſibi violentas manus attulit; reprehenſus idcirco à Sinis, voluntariam mortem, ubi nulla virtutis vel honeſti ſpecies apparet, improbantibus.

Anno imperii quarto decimo *Tartarorum* centum & quadraginta millia, equites omnes imperio infuſi, ad prædas more gentis agendas ad *Pungyang* uſque penetrarunt urbem; ubi *Pingking* hodie, urbs & ipſa, eſt ſita. Contra quos Imperator ipſe movere ſtatuit; ſed, poſtquam ingentem exercitum collegerat, mutavit conſilium, importunis uxoris precibus retentus, & ſuo loco *Siangium* Præfectum miſit, ſecundiſſimo eventu. Ille quippe *Tartaros* prœlio fuſos extra imperii limites ejecit, magna eorum edita ſtrage, omnique præda erepta, quam egerant. Sed enim haud multo intermiſſo tempore majoribus copiis, itinere duplici ac bipartito exercitu denuo in imperium ſuggreſſi, duas ſimul *Xenſi Xanſi*que provincias invaſere, antiqua prædandi cupidine. Tum vero Imperator, tripartito exercitu præmiſſo contra eos egreſſus, copias ſuas peropportunis locis ita diſpoſuit, ut in provincias ulteriorem hoſti progreſſum intercluſerit. Primum exercitum ductabat *Afuus* Præfectus, egregius bello dux ex *Afui* familia, de quo ſub *Lieupango* diximus. Erat militaris diſciplinæ tenaciſſimus, qui levem quoque illius impatientiam gravi pœna multabat; de cetero ſuos milites liberaliſſime tractabat & humaniter. Forte ad ejus caſtra Imperator appropinquabat; cum, qui eum antecedebant equites, excubias monent adeſſe Imperatorem, aperirent proinde portas. Contra, qui ſtationem agebant, teſſeram militarem exigunt. Quam cum illi reddere non poſſent; excubitores jubent eos recedere, alioquin hoſtiliter in eos invaſuri, &, *Apud nos*, inquiunt, *teſſera militaris, non Imperatoris nomen valet*. Excluſus igitur Imperator coactuſque recedere, curſorem cum literis imperii ſigno

Irruptio Tartarorum.

Fides & conſtantia excubiarum.

ſigno munitis ad *Afuum* mittit, queis adfuturum ſe monet. Tum denique *Afuus* edixit ſuis, ut Imperatorem admitterent. Adeſt ergo cum ſuis equitibus Imperator; at excubitores etiam tunc eum arcent ingreſſu, cauſantes, ſe quidem juſſos Imperatorem admittere, non tamen equo vectum, multo minus ceteros equites. Interdixerat enim *Afuus* ſeveriſſime, ne ullum unquam equitem admitterent. Quod fortaſſe fecit eo conſilio; ut, quia *Tartari* omnes equitant, & ob frequentem equitandi uſum vix pedibus poſſunt incedere, ſtratagematis eorum anteverteret. Vtut eſt, Imperator una cum ſuis ex equo deſcendere coactus eſt; ille quidem ſella geſtatoria, ceteri pedites omnes ingreſſi. Mos erat, ut, cum Imperator veniret in caſtra, ſummus belli dux ad eum excipiendum procederet obviam. Sed hoc ante non licebat, quam ordinaſſet aciem. Cum igitur adeo improviſo veniſſet Imperator, ut *Afuus* tempus non habuerit ad diſpertiendos in totum ordines, ideo differebat obſequium. Vbi cognovit Imperatorem ad ſe jam ingreſſum; ita, ut erat armatus, ad eum excipiendum prodiit, ſtans ipſum veneratus, non flexo poplite. Sic enim ferebat mos Sinarum, hodieque fert, ut ſummus belli dux admiſſus ad Imperatorem, genua non flectat armatus; quo tamen obſequii genere reliqui omnes regem ſuum venerantur. Multi Præfectorum Imperatoris iram ab *Afuo* ſumturi pervicaciæ pœnam verebantur. Sed contra evenit. Is enim & hunc & milites collaudavit, & talem tamque ſeveram diſciplinam ab omnibus ſervandam eſſe dixit. Deinde *Afuum* omnium aliorum ducum ſupremum juſſit, eumque contra *Tartaros* expeditionis comitem eſſe voluit. Quos non pugnando, ſed vias tantum intercludendo, ad tantam rerum penuriam adegit, ut multis ſuorum exſtinctis fame, domum redire coacti ſint, equis ſuis pleriſque conſumptis in cibum. Memoriæ traditum eſt, *Afui* ducis militarem diſciplinam & exactam imperiorum obedientiam plus valuiſſe, quam fortitudinem. Recte quidem ac ſapienter. Hæc enim ſine altera ſubinde magis ad latrocinia, quam ad victorias eſt accommodata.

Tertio

Tertio & vigeſimo, quàm rerum potiri cœpit, anno deceſſit *Uenius*, optimus Imperator; quem triduo totum luxit imperium. Alba omnes veſte amicti; qui color luctus apud Sinas eſt, ut apud nos pullus, index. Ejus rei rationem hanc afferunt, quod ſit color naturalis, cum ſe reliqui fere omnes debeant arti fulloniæ; quo ſe ſignificare dicunt, nullam in dolore ambitionem vel artificium adhibendum eſſe. Nam ubi dolor verus eſt, abunde è natura ipſa exprimitur.

Albus color Sinis in luctu.

Cur?

Ceterum hic Imperator nunquam ſe moriturum ſibi penitus perſuaſerat; à quodam impoſtore deceptus, à quo pocillum magni pretii cum hac inſcriptione accepit, *Hominum domino vita ſempiterna!* quo promittebat eum immortalem fore. Delirabat in hunc modum anno imperii decimo ſeptimo; quem imperii ſui primum numerari voluit, vitæ perennis initium auſpicari ſe ſtultiſſime credens, epoto medicamento. Hac una re non ſapuit. Neque adeo mirum eſt hoc in Sinis, vitæ proferendæ ad inſaniam uſque ſtudentibus; cumque totam felicitatem in ea ponant, quia æternam ac meliorem ignorant, quidquid eſt huic indipiſcendæ, omni ſtudio ſectantur. Et prorſus ſibi perſuadent ex *Laozui* doctrina medicamentis eo perveniri poſſe, ut immortales fiant. Quin multos eſſe fingunt in montibus errantes, qui nunquam moriantur, & avolent quaſi ſpiritales, quocumque voluerint; imo in cælum uſque, cum libuerit, aſcendant. Quid ſi fabulis hujuſmodi materiam ac principium præbuerit *Eliæ* atque *Enochi* hiſtoria? immortalitatis quidem hujus, multi ſunt, qui toto paſſim imperio præcepta venditent; *Laozui* Philoſophi juxta & ſacrificuli ſectatores in queîs præcipuus *Tauzus*. Hinc tam impenſe chymica delectantur arte. Quippe penitus perſuaſum habent eandem eſſe rationem, quaque unguentum, quaque vita paretur æterna. Sed nimirum non eſſent ſola vita contenti niſi divitiis abundarent inſuper ad voluptates. Quæ mira prorſus & inſignis eſt hominum alioqui ſagaciſſimorum ſtupiditas; qua de plura dicemus infra.

Impoſtor promittit immortalitatem Imperatori.

Reſto-

Studia reflorescunt. Refloruere ſub hoc Imperatore literarum ſtudia; quique libri tenebris à *Cina* familia damnati latuerant, libere jam in lucem protrahi cœpti. Quin & alii non minus eruditione, quam eloquentia pleni, nec ii pauci ſunt compoſiti Etiam nunc *Hanæ* familiæ ſcriptores magni æſtimantur, ob dictionis ornatum ac ſtyli. *Papyrus inventa.* Sub eodem eſt inventa papyri conficiendæ, cui materiem ſufficiunt arundines maceratæ, non vulgaris ratio. Hinc varia ſunt ejus genera; quæ ad omnes, etiam viliſſimos uſus conſulto accommodata divendunt per totam Sinam. Nec minus variam habent ad ſcribendum; albæ, quæ in Europa conficitur, nonniſi firmitate cedentem. Ante hæc tempora, ut eſt ſupra memoratum, arborum cortices adhibebant ac folia, in queîs literas ſtylo ferreo ſculpebant. Hodie pro calamo utuntur penicillo pulchre affabreque concinnato *Sinarum atramentum.* ex animantium pilis. Atramentum ſolidum, non liquidum miro artificio temperant; quod ſuper lapides ad hoc paratos aqua molliunt, ut à noſtris pictoribus fit, cum colores terunt. Et in hunc modum omnia vel mente concepta vel ore promta mandant papyro. Porro modus atramenti conficiendi non inter mechanicas artes, ſed liberales ab eis reponitur; quidquid ad literas quoquo modo ſpectat, è ſua vilitate in majus, illarum amore, tollentibus.

V. IMP. HIAOKINGUS.

Imperavit annis XVI.

Cyclo 43.*anno* 22. *ante Chriſtum* 156.

HVic *Uenius* imperium per manus tradidit; quem moriens ita ſcribitur allocutus. *Si mortem meam excipient bella, quod eſt proclive metuere;* Afuum *ducem præclariſſimum adhibe in conſilium. Huic tuto committes omnia; nec dubitabis de illius fide, tot experimentis probata. Ejus vero peritiam militarem quid attinet laudare, qua Sina neminem habet ei parem?* *Hiaokingo* conſilium iſtud utiliſſimum fuiſſe rerum eventus docuit. Nam per *Afuum* bella non pauca confecit feliciſſime. Quanquam deinde nimius juſti rectique amor & conſtantia, ſed præcipue muliebris indignatio in odium

Impe-

Imperatoris eum adduxit, ac tandem miſere mori coëgit, ut in loco docebimus.

Mos erat à multo jam tempore apud Sinas, ut criminibus convicti tot in fruſta ſecarentur, quot vellet judex. Quæ carnificina ſubinde ad decem uſque millia procedebat. Prima ſectio graſſabatur in ſupercilia; quorum detracta pelle, tegebant oculos, quæſita hinc etiam tribunalibus commendatione clementiæ, quod reum judices dolorem ſentire quidem, non & videre vellent. Quanquam *Uenius* Imperator hanc pœnam mitigavit, ſi mitigata dici poteſt, quæ nihilo ſecius eſt acerbiſſima. Nam ſectionis loco tot ictus, quot judici placeret, excipiebatur reus, gracili virga ſalicis tantum dolorem infligente, ut ea verberatione multi ſint enecti. Vnde hic Imperator illam plus deminuit, ictuum meritorem tertiam tantum partem imperans. Sed qui ſtatutas à patre pœnas minuit, tributum auxit. Ejus namque penſionem ad antiquum ſtatum revocavit, ac dimidiam partem à patre remiſſam denuo exegit; cauſatus, rem agrariam reſtitutam, quæ obſoleta paternam tantiſper indulgentiam ſibi feciſſet obnoxiam. In vectigalibus autem unum ex triginta ſolvendum imperavit.

Reorum carnificina.

Subinde totum imperium ebrietas miſcuit. In palatio regulorum filii de more cum filiis Imperatoris educabantur. Inter hos erat U regis filius, *Iungo* Imperatoris filio ante alios chariſſimus. Sed hunc amorem vinum turbavit. Accidit enim, ut hi duo poculis ſeſe invitantes, graveſque mero, primum de re non magna verbis contenderent. Mox vero ſurgentes è menſa, nec minus ira quam vino calidi, de digniore loco altercari cœperunt. *Iungus* potiſſimum U regis filio iraſcebatur, quod ſibi debitum honorem non tribueret; eodemque loco, ubi potaverant, eum cultro trucidat. U rex audita filii cæde, vindictæ cupidus, contra Imperatorem hujuſcemodi tragœdiam orditur. Solicitatis regulorum animis, alios præterea ſex in partes trahit ac jubet una ſecum in Imperatorem conſurgere; omnes Imperatoris aut fratres, aut patruos aut avunculos. Erant autem iſti. *Paus* U rex conjurationis

Ebrietatis mala ingentia & varia.

Cædes regii filii armorum cauſa.

tionis author; *Kiungus Kiaoſi*, *Kimuſ*que *Kiaotung* reges fratres; *Hienus Zaochuen*, *Pieus Cinan*, *Faus Zu*, *Suius* denique *Chao*, reges. Omnium potentiſſimi *Uus* & *Zuus* habebantur.

Legio Sinica. Imperator audita conjuratione, paterni conſilii memor *Afuum* cum ſumma poteſtate bello præfecit, ſex & triginta legionibus Sinicis, quas *Kiun* vocant, ei datis. Duodecim millibus & quingentis militum conſtat una legio; ducem ſupremum unum habet, & quatuor tribunos, præter reliquos minorum ordinum duces. Ex quo intelligitur hunc exercitum pluſquam quadringenta & quinquaginta militum millia complexum fuiſſe. *Afuus* quippe gnarus militiæ cumprimis, ut reges à ſe mutuo diſtractos compelleret ad ſui quemque territorii cuſtodiam; diviſis copiis, Præfectiſque *Liekio* duce ad invadenda *Chao*, *Luonpeo* autem ad *Ci*, regna miſſis, ipſe cum robore exercitus contra fœderatorum copias tendens in *Zu* regnum impreſſionem facit, à terris Imperatori obnoxiis bellum averſurus. Omnium primo occupavit *Honan*, provinciam frugum fertiliſſimam, & alimentis abundantem. Sperabat enim, poſtquam ea potitus eſſet, ſuis militibus nil defuturum; hoſtem vero ſola fame deleri poſſe. Non fefellit hoc ſtratagema fœderatos; qui proinde *Honan* ingreſſi, vel pugnam erant commiſſuri, vel illam ſibi provinciam retenturi. Iamque ad vallem obſcuram *Yeu* Sinis appellatam, inter altiſſimos *Hiao Xing*que montes accumbentem pervenerant; cum *Afuus* cognito eorum conſilio militibus edicit, ut recta per vallem tendant, ſervatis ſemper ordinibus. Erat ei deliberatum *Loyang* urbem antecapere, quo facilius hoſti viam intercluderet. Verum, ubi paullum proceſſerat; *Chaoxui* ducis inſtinctu conſilium mutavit, omiſſaque valle per montes Orientem petens, ſuperatis faucibus *Uuquanis* per urbem *Lautien* breviori quidem, ſed difficiliori itinere ad *Yungyang* pervenit urbem. Ea quippe majoris erat quam *Loyang* ad victoriam momenti. Magnis difficultatibus ac laboribus, quos exantlavit ſumma montium juga ſuperando & impervia penetrando, favit exitus haud pœni-

pœnitendus. Ingens periculum evaſit, in quod omnino incidere debuiſſet ex inſidiis, quas fœderati reges, qua impeditiora erant loca, in *Yeu* valle poſuerant. Poſteaquam *Yungyang* tenuit, cui obtinendæ vix parem ſe credebat eſſe; perlætus, *Iam eſt*, exclamat, *in noſtra manu victoria! miſeros illos reges vincam ſine armis.* Nec temere ſic exultabat. Omnem enim commeatum rebelles per unam urbem *Yungyang* ſperare poterant, de cetero aſperrimis montibus intercluſi. Vrbis ab Imperatoris exercitu captæ fama non invenit apud reges primo fidem. Nec enim alas habere ac volare poſſe Imperatoris milites, per jocum dicebant. At ubi certior ea de re nuncius haud amplius dubitare ſivit; tum enimvero actum eſſe de ſe conclamarunt, ſi *Afuus* detrectaret pugnam, in qua una ſpem omnem poſuerant. *Afuus* interea de inſidiis inter *Hiao* & *Xing* paratis per exploratores monitus, à tergo militem in eos mittit, & inopinantes magna ex parte cædit. Iamque regum exercitus terga dare coactus, recta & ipſe *Yungyang* petebat pugnam initurus. *Afuus* autem cum *Honan* provinciam interim ubique pronam haberet ad deditionem; regnum *Leang* amicum (ejus quippe rex non ſtabat à fœderatis) firmis præſidiis munivit, interdicens, nequid annonæ ad rebelles inde tranſvehi permitterent. Ab hoc enim regno pauci montes arcebant rebellium exercitum. Ceterum perpetuis altiſſimiſque montium jugis claudebatur. *Honan* provinciam à *Xenſi* ſeparantium. Itaque in medio clauſi reges jam ad extrema ſola fame venerant; tantum exercitum annona deficiente. Omnem proinde lapidem movebant, quo *Afuum* ad prœlium laceſſerent. At ille caſtris ſe continens, in rerum omnium abundantia ſecurus irriſit hoſtes. Hoc conſilium ubi fruſtra eſſe vident; ingreſſum in *Leang* regnum moliuntur. Iam ad primam ejus urbem pervenerant; quam *Afuus* permunierat undique, victoriam in eo poſitam eſſe dicens, ſi urbe non exeuntes, aliquantiſper propugnarent mœnia. Interim penuria rerum neceſſariarum ingraveſcente reges ſoluta obſidione *Afui* caſtra ſtatuunt invadere. Nam invenerant

Commeatus intercluſus.

nerant viam ante, quam hoc aggrediebantur, qua ſaltem aliquam annonam adveherent; quæ per *Hoai* fluvium uſque ad amnem *Zu* in illum ſe exonerantis, parvis navigiis *Zu* adverſo magna difficultate portabatur ad exercitum, utcunque felici hactenus ſucceſſu. Sed *Afuus* eâ de re certior factus ab exploratoribus, ad fauces amnis cuſtodiendas levis armaturæ miſit equites; qui, priuſquam hoc reſciſcerent hoſtiles copiæ, regum inibi fuſo præſidio intercludunt iter. Tum reges, ut *Afuum* ad pugnam elicerent, circumire caſtra, inſtructis ordinibus eum laceſſere, ac timiditatem exprobrantes ei proterve illudere. Ille contra nil moveri dicteriis inanibus, caſtraque melius emunire. Præciſa itaque pugnæ ſpe omni, reque deplorata, in ipſa caſtra, quod ultimum ſupererat conſilium, conſtituunt impetum facere. Nec prima procedebant male, niſi ſtratagemate, quod adornabant, felicior *Afui* virtus eſſet. Igitur intempeſta nocte robur exercitus ad eam caſtrorum partem, qua Boream ſpectabant, ſilentio tendere jubet hoſtis; & militum manum non contemnendam panico tumultu partem Auſtralem aggredi. Hoc fecit eo conſilio, ut *Afui* militibus ad Auſtrum, ubi res maxime inclinata videbatur, averſis, ipſi à Borea, unde nihil hoſtile timeretur, irrumperent. Non latuit *Afuum* ea fraus, ex incurſandi modo facile ſuſpicantem, ad Auſtrum non agi ſerio. Ergo caſtra, quæ Boream tuebantur, non tantum non nudavit præſidio, ſed quantis potuit viribus, eam partem auxit. Vbi reges audiunt, ad Auſtrum increpuiſſe panicum; à Borea vacuam, ut putabant, partem aggrediuntur. Sed magna ſuorum clade repreſſi, cum ſtratagema ſuboluiſſe animadverterent; effuſa fuga retrocedunt à caſtris. Eodem modo milites Auſtrales, qua data via, profugiunt. *Afuus* eruptione facta fugientes per ſaltus ac montes inſecutus, pecudum more mactavit; memorabili victoria potitus, nec uno ſuorum deſiderato, ſeptem regum ſine prœlio victor. Faus *Zu* rex, qua evaderet, non inveniens; ne in hoſtium veniret poteſtatem, mortem ſibi concivit. Idem remedium eadem inſania quæſivere *Suius Kiungiuſ*que reges. U

Septem reges una pugna victi.

rex

rex ad *Yue* regem amicum profugit, qui hoſpitem in Imperatoris gratiam perfide necavit. Reges reliqui tres in *Aſui* manus venere vivi, adductique ad Imperatorem pœnas rebellionis dederunt, uſque ad necem atrociſſime verberati. Neque hic ebrietatis damnum ſtetit; ſed in ipſum etiam ebrium redundavit. Quippe filio iratus Imperator excedere palatio juſſum atque in reguli *Linkiangi* humilitatem dejectum, ſucceſſionis jure privavit. Etſi vero in præſens abſtinuit ab hac ultima ſententia, cedens Præfectorum precibus; poſtea tamen eum ob pravam indolem & quod ſemper in pejus rueret, rato priori decreto ſucceſſionis exheredem fecit, ut infra dicam ſuo loco. Vere ut dici queat, una ebrietate non unum Imperatorem modo, ſed ſeptem inſuper interiiſſe reges.

Læſum jus hoſpitii.

Anno imperii tertio decimo *Tartari* quoque Sinam ingreſſi ſunt per fauces *Yen* dictas, qua longiſſime porrectus ille murus ſubeuntes admittit. His oppoſuit Imperator *Aſuum*; qui devictos ejecit ex imperio. *Liquangus*, unus ex *Aſui* ducibus cum trecentûm equitum ala miſſus ad explorandum longius progreſſus, in aliquot *Tartarorum* millia inciderat. Iamque fugam meditabantur ſui, ſine dubio ad unum omnes à *Tartaris*, velociſſima gente, caſuri, niſi prudentior *Liquangus* eos retineret. *Quo vos, imbelles,* ajebat, *aufert inconſulta fuga? nonne videtis, quo nos in loco fortuna conſtituerit? ab exercitu noſtro pluſquam quadraginta ſtadiis diſtamus. Si terga præbemus hoſti; non effugimus periculum, ſed incurrimus. Certo enim nos prius aſſequentur, quam tantum ſpatium fugiendo emetiamur. Ego potius hoc faciendum putem, ut excitatis opere ſubitario caſtris nos ſepiamus, multis vexillis undique ad panicum terrorem hoſtium in altum ſurrectis; quo fiet, ut noſtra paucitate minime cognita plures eſſe credant, quam ſumus.* Afui *præterea tantus eſt apud* Tartaros *timor, ut omnino mihi perſuadeam non auſuros longius procedere.* Factum, ut imperavit; eluſiſque *Tartaris* proximæ noctis ſilentio cum incolumi agmine ad *Aſuum* rediit.

Stratagema.

Habebat in palatio apud ſe Imperatorem U*um*, minorem quidem natu fratrem, ſed uterinum, ſibique

Nimia indulgentia parentum in liberos noxia.

chariſſimum. *Teua* quoque mater eum, ut ultimo genitum amabat unice. Hunc & ipſius amore impulſus Imperator & matris gratia regem *Leang* creat, claris honorum titulis auctum, præquam ceteros reges ſolebat. Quin & inſignia quædam imperii vexillaque impertiit ei; quibus, cum in publicum prodiret, uteretur ad ſplendorem. Præterea quoties vellet, in palatii penitiſſima quæque ingrediendi copiam fecit, quod nulli conceſſum apud Sinas, ne filiis quidem, ubi ſeptimum ætatis annum exceſſerint. Solis Eunuchis hoc licet, & iis, quæ ſunt è gynæceo. Sed his honoribus abuſus U*us* efferre ſe inſolentius, & magis magiſque tumens ad majora niti; demum auſus ab Imperatore petere, ut ſe nuncuparet heredem imperii. Quanquam non tam ſua ſponte proceſſit eo arrogantiæ, quam *Xingi* & *Gueii* aulicorum impulſu. Cum igitur aliquando apud Imperatorem præſente *Teua* epularetur; quod clam optaverat, denique palam petiit. Nec ad ejus vota difficilis Imperator, poſtponens jus amori, jamjam annuebat; cum *Iuenus* & alii quidam Præfecti, quos inter & *Afuus*, ſic eum alloquuntur. *Quoties in imperio, filiis præteritis, frater declaratus eſt heres; ſemper orta ſeditione variæ calamitates rempubl. invaſere. Quo æquius eſt, ut memineris, Imperator, te à majoribus tuis non imperium modo accepiſſe, ſed una etiam, quæ ſunt ab ipſis ſalubriter inſtituta.* Lieupangus *autem abavus tuus hanc inter reliquas leges impoſuit, cum eſſent Imperatori filii, nunquam fratres eligerentur.* Valuit apud Imperatorem hæc admonitio; atque ab incepto deſtitit. At U*us* iræ impotens in conſilii authores inſurgit, eoſque per *Xingum* ac *Gueium* jubet interfici; uno *Afuo*, qui jam apud exercitum agebat, ad alias adhuc inſidias reſervato. *Iuenum* ergo alioſque præterea decem è Præfectis majoribus hi, quos dixi, è medio ſuſtulere. Quod ubi nuntiatum eſt Imperatori; mittit, qui & U*um* & duos illos aulicos comprehendant. Sed eos in præſens U*us* ſubtraxerat vinculis, in ima palatii deductos, abditoſque, qua nemini patebat ingreſſus. Ipſe tamen captus, & jam capite plectendus erat, niſi *Teua* matris lacrymis flexus Imperator ferre ſententiam

tiam diſtuliſſet. Inter hæc *Gueius* & *Xingus* ubique quæſiti, nuſquam inveniebantur; donec uni demum è cuſtodibus palatii res innotuit. Ille ſibi ſuiſque certum exitium metuens, quod in ſecretam ſpeluncam per ſe patuiſſet hominibus ejuſmodi deſcenſus; U*um* convenit, & quid facto opus, deliberans, in eum ſic invehitur. *Cur teipſum*, ô Leange *rex*, *noſque tecum is perditum? nam certa mors utroſque manet, ſi locum relinquit perditorum hominum iniquis conſiliis; quæ quo ſpectant, niſi ut imperii legibus fraudem facias? quod ſi reſciſcet Imperator, à te* Xingum Queium*que introductos in palatium; (quo quid eſt proclivius?) unius tuæ culpæ invidia ſe provolvet in omnium noſtrum exitium. An tibi jam effluxit ex animo, paucos abhinc dies vitam tuam maternis condonatam eſſe lacrymis? Adhibe, quæſo, remedium in tempore; ne irati Imperatoris dolorem nondum bene ſanatum denuo haud paulo gravius accendas.* Vera loqui cuſtodem ſentiebat U*us*; ac partim amicorum, partim ſuo periculo utrinque evidentiſſimo commotus uberrime flere cœpit. Tandem nuncios ad eos mittit, qui monerent eſſe proditos, nec aliud præſto, quam in morte remedium; rogare proin, ut ipſi de ſe ſtatuerent. Nuncios autem clam admonuit, ut, ſi cadere ſuapte manu timerent illi, vi vitam eis eriperent. Sed ipſimet, quanto in diſcrimine verſarentur, edocti, poſtquam ſupplicium impendens voluntaria morte redemerant, ſummo ſilentio in palatii nemore ſepulti ſunt. Speraverant illi quidem, U*o* Imperatore, magnos honores; quibus imminentes in malefactis etiam fidelem operam navabant. Sed extremo ſuo malo didicere verum eſſe, quod dicitur, Mala conſilia conſultoribus peſſima.

Interim *Teua* mater nullum lacrymandi modum facere, de U*o* filio ſolicita, nec cibum nec ſomnum admittens. Quæ res quanquam Imperatori matris vicem miſeranti maximo dolori fuit; plus tamen publici boni affectus apud eum valuit, U*o* negantem veniam pervicaci ſeveritate. Optabat interim tamen, ut Præfecti rationem inirent, qua U*o* placaretur. Aderant tunc commodùm, qui ad U*um* & reliquos capiendos miſſi

Maternus in filium amor.

miſſi fuerant; quippe ab U*o* de *Xingi Guei*que morte docti. Quos ut Imperator ſine præda veniſſe videt; *Eccur* U*um ac reliquos non adducitis, quos comprehendi juſſeram? Ipſi jus*, inquiunt, *dixere jam perfidiæ ſuæ voluntaria morte, qua vel ſuo judicio digni erant.* Xingus *ac* Gueius *jam dedere pœnas. Rogamus igitur, ut hac de re nil amplius inquiras. Condona modo injurias tuas lacrymis matris tuæ, quæ ſe* Ui *cauſa excrucians, nullam nec cibi nec ſomni partem capit. Diſſimulandum eſt, quidquid eſt, in quo peccavit* Uus; *cujus crimen haud ab ipſius malitia, ſed à perfidorum fraude profectum eſt, & venia tum hoc, tum illo præcipue nomine dignum, ne matrem eneces. Illo ſervato innoxio ſimul & matrem ſervabis, bis uno facto pius.* Tunc Imperator, *Vtrinque premor*, ait, *hinc pietate, ne matrem perimam; inde juſtitia, qua ſalva* Uo *reconciliari non poſſum. Quare animi pendens ac plane neſcius, utram in partem me flectam, hoc negotium veſtro arbitrio committo. Ite, meamque matrem jubete bono eſſe animo ac vivere. Tienxaus*, qui huic quæſtioni præpoſitus erat, ubi mentem Imperatoris intellexit; ſenio ac mœrore confectam Imperatricem propere adiens, *Vive*, ait, *Imperatrix!* Uus *filius tuus ſalvus & incolumis eſt! Quæ objecta ſunt ei crimina, nefanda illa quidem, ipſo tamen inſciente facta ſunt. Nulli culpæ obnoxium deprehendi; unde innocens ab Imperatore pronuntiatus eſt.* Hic demum ad lætitiam à mœrore traduci paſſa ſe *Teua*, lacrymas ſiccavit, cibumque ſumſit, alacris utcunque. Deinde tamen Imperator U*um* non eadem, qua prius, comitate tractabat; turbulentum hominis ingenium faſtumque formidans. Denique penitus à ſe removit eum, & nec menſam nec currum amplius cum ipſo habuit. U*us* autem videns, ſe illis molitionibus, queîs imminebat imperio, Imperatoris gratia excidiſſe, ineluctabili triſtitia oppeſſus non multo poſt fatis conceſſit, ingenti matris mœrore. Quam ut quoquo modo conſolaretur Imperator, in U*i* filios *Leang* regnum partitus, regulos creat; filiabus vero magnas donat opes, non leve luctuum, queîs Imperatrix tantum non ſuccumbebat, temperamentum.

Quanta

Quanta in hoc imperio, quotque mala nata ſint è polygamia unius viri multiplici malo, vel maritis unam ante ceteras amantibus, vel feminis vagum ſui amorem inter ſe invidentibus; ſupra ſæpius eſt à nobis dictum. Sub hoc Imperatore quanquam & principatum & torum caſte habente non defuit exemplum ſimilis infamiæ. Cum pater ejus adhuc rerum potiebatur, *Zangula Yenis* regis neptis duas filias & filium *Sinum* è nobiliſſimo apud *Yenem* Præfecto, cui *Vamhungo* nomen, genuit. Hoc vita functo *Zangula* juvenis adhuc, *Tieno* nupſit, apud Imperatorem gratioſo, & unam è majoribus præfecturam adminiſtranti. Hic *Zangulæ* majorem ex *Uamhungo* filiam *Kinuango*, & ipſi Præfecto, nuptum dedit. Quibus cum nata eſſet filia, emicuit, ut ſolet, aſtrologorum & hariolorum ingenium, poſt magnæ felicitatis experimenta futuram denique Imperatricem divinantium. *Zangula*, mulier ambitioſa, credidit hæc aviđiſſime; neptemque magna cura educatam, non plus annos quinque natam, in regiam ad Imperatricis miniſterium dimiſit. Erat inſigni forma prædita, qua ceteras omnes è toto imperio puellas facile ſuperabat. Tertium ac decimum attigerat ætatis annum, cum *Iungus* Imperatoris filius natu major ex *Lieua* matre, legitima uxore, illam ſibi ſponſam depopoſcit. Quod ut facilius impetraret *Piauam* ex *Uangia* concubina ſororem ſuam adhibuit, uti ſe apud *Lieuam* adjutum vellet. At illa tantum abeſt, ut aſſentiretur, ut acriter filiam objurgatam de hac petitione, juberet à ſe faceſſere. Quam tamen longe proniorem votis ſuis habuit *Cheus* alter Imperatoris ex *Vangia* filius, eandem exoptans conjugem ſibi. Nihil enim cunctata *Lieua*, imo læta, quod ipſius nuptias ambiret, protinus eam tradit. Id matrimonium *Cheo* viam ad imperium ſtravit. Nam *Piaua Chei* ſoror uterina, cognito puellam fratri ſponſam proveniſſe; adverſus *Lieuam* & *Iungum* vehementer excanduit. Hinc apud Imperatorem identidem eorum obtrectare famam; contra, ubi ſe cunque dabat occaſio, *Vangiam Cheumque* dilaudare. Quibus artibus adeo in

Polygamia regnis moleſta.

Tragica ambitioſæ mulieris machinatio.

Imperatoris animum irrepſit, ut tandem *Iungum* filium exheredaret, ebrietatis illius, in qua tot malorum cauſa conſtiterat, memoria ſuſpenſam aliquantiſper iram fortius urgente. Quod ut commodius ac ſine turbis ageretur, *Vangiæ* ſecundæ uxori diadema impoſuit ſpreta *Liea*, *Cheum*que illius filium imperii heredem declaravit. *Liea* tantæ injuriæ impatiens, & , ſi fato ceſſiſſet Imperator, atrociora timens mala, queîs utplurimum à ſucceſſoris matre reliquæ uxores & concubinæ affligtarentur; cum iram & dolorem in æmulos effunderè non poſſet, magnitudine mali oppreſſa moritur.

Neque hic invenit exitum hæc tragœdia. Multi enim è Præfectis indignitate rei commoti, cum obſtarent Imperatori, neve primam uxorem ejuſque filium aſpernaretur, authores eſſent; propterea interemti fuere. *Afuus* etiam ipſe, tantus alioqui vir, cuique tantum debebat Imperator, eandem ob cauſam mulierum inſidiis appetitus, atque in vincula conjectus, voluntaria inedia ſibi vitam exhauſit. Nec vero jam ſolum Imperatori reſtiterat; ſed etiam, cum *Zinum Zangulæ* filium reguli vellet ornare poteſtate. Quæ libertas eum mulierum odio expoſuit; quod non niſi exſtincto *Afuo* quievit. Tantum poſſunt ambitioſæ mulieres, ubi pronas aures, animoſque maritorum vel amicorum ſibi obnoxios habent.

Poſt hos & *Hiaokingus* diem ſuum obiit; undique laudandus, niſi quod in eo ſumma levitas eſſet & inconſtantia. Nunquam in ulla cauſa ſuſcepta, præterquam in *Vangiæ* electione conſtanter permanſiſſe memoriæ proditum reperio. Sed inter ejus laudes eminet obſequium & reverentia erga parentes, quæ, ut ſæpius dictum, apud Sinas maxima primaque virtus habetur. *Cheus* ei filius ſucceſſit. Nam *Iungum Linkiang* regem creaverat, exutum jure ſucceſſionis, eoque in regno velut in carcere concluſum neque ſitum regia urbe exire, ne, ſi vires ſuppeterent audaciæ, turbas daret. Quoad vixit, magnæ ſemper ei curæ fuit agricultura, & bombycum educatio. Immenſis opibus, quas collegerat, parce utebatur. Quo factum, ut

ſucceſſori affatim pecuniæ, quæ in his etiam terris nervus, ſuppeditaret ad illa ſumtuoſa bella, quæ ante ipſum aggredi auſus eſt nemo. Nam & *Tartaros*, qui colebant veterem *Tartariam*, armis invadens, ad internecionem fere delevit, & in Indiam uſque terrore ſui prolato, *Bengalam* etiam penetravit, de quibus infra.

VI. Imp. HIAOUUS.

Imperavit annis LIV.

CHeus itaque partim fortuna, partim arte, quod naturæ jus negabat, imperium obtinuit; & Aſtrologorum de ejus uxore prædictionem eventus probavit, felici Sinarum ſorte. Vere enim egregius Imperator fuit. *Hiaouus* dici voluit, quod obedientem Belligerum ſonat. Diuturnum habuit imperium, hoc eſt, annorum quinquaginta & quatuor, ingenti vel ſapientiæ vel felicitatis fama. Sapientes ac literatos amabat mirifice; nec minus ſenes prudentia caniſque ſimul venerandos. Vtriuſque generis homines undique convocatos vel ad doctrinam interiorem vel ad publica conſilia adhibebat. Revixere quodammodo ac poſtliminio ad ſe rediere ſub docto principe & doctorum amatore literæ. Libros, quotquot potuit, undique collegit & conquiſivit. Nec bellica virtute minus, quam literis inſignis fuit. Vtramque nimirum Palladem amicam habuit, armatam ac togatam. Omnium primo *Tartaros* ſubegit ac domuit, eorumque terras ingreſſus, omnia longe lateque vaſtavit. Sinico etiam imperio vicinam *Indiam*, eam præcipue, quæ ad Libycum vergit, à *Gange* clauſam, ad *Bengalam* uſque regnum occupavit. Nulli ſane Imperatorum rebus geſtis & hinc effloreſcente nominis gloria ceſſiſſet, niſi egregias naturæ dotes ac virtutes, humanæ conditionis oblitus, longioris vitæ cupidine fœdaſſet. Prorogandæ namque vitæ præcepta ad inſaniam uſque ſectabatur; ridiculaque multa ea de cauſa fecit, deceptus ab impoſtoribus. Adeo verum eſt, Nihil eſſe in humanis omni ex parte perfectum. Sed de his omnibus exponam ſuo loco.

Cyclo 43 *anno* 38. *ante Chriſtum* 140.

Primus Tartaros ſubegit.

Amor prorogandæ vitæ.

Vix patri juſta perſolverat, cum indicto ſapientum conventu laudatas quaſque leges & inſtituta optimorum Imperatorum ex iis audire voluit; quod diceret ſibi nihil optatius vel antiquius eſſe, quam ſubditorum bonum, & orbis totius cum Sinica politia conformationem. Aderat inter alios Philoſophos *Tumchungus*, è *Kingcheu* oriundus. Huic omnes conſenſu deferebant, ut Imperatori primus reſponderet. Quod ille pro eá dignitate ac ſapientia, qua pollebat, tam egregie præſtitit, ut me non pigeat concionem illius hic apponere, ſervata Sinica phraſi, quantum potero. Ea namque dixit, quæ audiſſe nec Sinis indecorum fuit, nec Europæis erit fortaſſe inutile. *Ego*, ajebat, *cum conſidero, quanta cælum inter & hominem debeat eſſe conſenſio; rem timore plenam invenio. Nunc quidem cælum non iniqua nobis promittit tempora; quin imo, qua eſt erga nos pietate, mortales omnes pace vult ac quiete donare. Neque aliud jam deſideratur, niſi ut obedientes cælo, nobis vim inferamus. Primum, in quo laborandum, eſt verarum virtutum ſtudium. Illud aures, illud oculos noſtros diriget ac perficiet; ex hoc augetur & clareſcit prudentia. Deinde vis nobis eſt adhibenda, ut nunquam non in rectæ rationis ſtadio curramus. Sic enim virtus continuo magnis exſurget incrementis ac merita augebit. Eſt autem recta ratio, per quam tanquam per planum iter procedere debet bona orbis gubernatio. Illa pietatem, juſtitiam, politiam, optimas leges & pulchram inter reges ſubditoſque conſenſionem complectitur; ex qua bene conſtituta emanat continua illa multorum malorum ſeries, & in orbis imperio ex patre in filios nepoteſque derivata ſucceſſio. Hinc denique orbis totius ad veram doctrinam exiſtit vitæque ſanctitatem converſio. Regibus ante omnia ſi quidem vera pietas eis eſt rectique ratio cordi; ſimul cordi debet eſſe perfectio ſui nunquam niſi quod rectum eſt intuentium. Inde palatii totius aulicorumque boni pendent mores; indidem porro magiſtratuum & præfectorum virtus ac ſinceritas, populorum fides & orbis totius optima conſtitutio. Tali rege nemo erit vel ex vicinis vel ex remotis, quem non tangat regis ad exemplum cura ſui perficiendi ſequendique recti. Regis virtus inſtar venti, ſubditi ſunt inſtar*

Sapiens oratio Tumchungi.

Similitudo.

ſtar ſegetum, quæ omnes in illam inclinant partem, in quam impelluntur à vento. Nulla quidem res homines agit longius in tranſverſum, quam avaritia lucrique fames; verum ſicut aqua deorſum ruens caſtigari ſiſtique poteſt, ita hominum cupiditas legibus ac bona doctrina frenari debet. Eam ob cauſam antiqui reges primum illud ac præcipuum in principatu ducebant, uti ſcholas & academias conſtituerent, in quibus ſubditi ad doctrinam, ad pietatem; ad juſtitiam, ad humanitatem ac politiam informarentur. Ita puerilis ætas ad pulcherrimorum morum elegantiam adoleſcens, in parentes inque majores obedientiam & obſequium induebat. Optimi autem ac pii reges, qui malis in imperio ſucceſſerunt, impreſſa vitiorum ab antecedentibus veſtigia, ac peſſimos inductos mores abolebant omnino, quo pulchrius ipſi deinceps ſuas in adminiſtranda republica partes implerent. Et quemadmodum muſici, cum inſtrumentum ſibimetipſi diſcors accepere, prius illud explorant, chordas vel tendendo vel laxando, donec juſta proveniat harmonia; ſic boni reges malorum regum diſcrepantiam ſpernebant, & malas leges in bonas permutabant. Hæc dixi, ô Imperator, ut illos imitari te non pudeat. Iam imperialis Hana *familia tua imperium totum pacificum habet. Adhuc ob bella ac turbas omnia in meliorem ſtatum ab anteceſſoribus tuis redigi non potuere; tibi, optime Imperator, hoc cælum conceſſit, prudentia ſuper omnes pollenti, &, quid agere conveniat, probe intelligenti. Sed memento illius dicti, quod in proverbium abiit; Melius eſt rete accipere ac piſces capere, quam illos tantum natantes videre ac laudare. Manus ad opus applicandæ ſunt, non ſolum ingenium ad intelligendum.*

Alia. *Alia.* *Proverbium.*

Inexſpectata erant hæc Imperatori, futurum ſperanti, ut ad ardua ſe atque ad bella ſuſcipienda Philoſophus animaret & hortaretur. Magno enim atque excelſo erat animo, & orbem totum ſuis victoriis deſtinante. Quam ob cauſam ante jam exquiſierat rationem totius orbis ad Sinicam politiam conformandi. Sed negabat Philoſophus ex eorum ſecta bella digna eſſe, quæ ab Imperatore tractarentur; & plus virtute, quam armis effici poſſe credebat. Verum, ut erat prudens

prudens Imperator, id diſſimulare, laudare Philoſophum, & , ut plura doceat, mandare. Tunc *Tumchungus* opinionis ſuæ tenax & pacis opus urgens, ea ſuper re porro ſic diſſeruit. *Qui doctos*, inquit, *ac ſapientes ad ſe vocat ac conſulit, nec deinde ſalutaria docentes audit; eum ſimilem dixerim illi, qui lapidibus gaudet pretioſis, quos ubi plures adhuc rudes collegerit, nullum tamen unquam expoliri curat, unde illorum pulchritudinem non videt. Magna* Confutii *doctrina eſt, quam omnes ſequi amplectique debent, eamque aliis tradere. Ille pacis artes ac belli docet optime; queis, ô Imperator, ſi animum imbueris tuum, homines vere ſapientes te amplectentur, ab eis neceſſariæ rectæ orbis gubernationi atque optima præcepta diſces. E doctrina* Confutii *vera exſiſtet ſapientia. Meminiſſe quoque te velim præmiis virtutem acui, pœnis vero timorem injici. Illis bonos ornare, his malos coërcere, ſi qui ſint, debemus quidem; at bona piaque gubernatione id efficiendum eſt, ut mali non ſint, nec adeo pœnæ neceſſariæ, ſoliſque prœmiis utamur. Ita demum bella ceſſabunt. Regum munus, quod eis cælum impoſuit, in pietate ac virtute conſiſtit. Virtutem debent reipublicæ; pœnarum aut ſuppliciorum terrorem procul habeant. Hæc enim præter cæli voluntatem adhibentur, neminem volentis eſſe malum, ſed omnes bonos. Fungantur reges bene ſuum munus, cæli ſequantur nutum, pietatis perfectæque virtutis curam habeant. Sic vitia, ſic pœnæ, ſic bella demum ex orbe pellentur.*

Similitudo.

Hæc poſtquam Imperator audivit; ut in eam rem plura diſputaret, imperat, mirifice delectatus ejus facundia. Et ille ſui ſimilis ac conſtans, quamvis noſſet Imperatoris ingenium, dicta jam exemplis confirmare cœpit. Hiaa, inquit, *prima imperialis familia quo tempore rerum potiebatur, plurimum fidem atque integritatem amabat.* Xanga *vero ab illa proxima ſimplicitatem morum ac comitatem;* Cheua *denique familia tertia ornatum & urbanitatem. Ne pigeat ſequentes Imperatores antiquorum inſiſtere veſtigiis, optima ex quavis familia eligendo. Nemo quidem inficias ierit, recti rationem & quicquid huic conſentaneum eſt, originem è cælo trahere; ſed quemadmodum cælum unum*

Similitudo.

unum ſemper fuit & immutabile, ac perſeverat, ita recti ratio ac conſentaneum idem, quo antea fuit, etiam nunc eſſe debet. Nihil virtus amat humile, nihil vile; quod ſi caderet in virtutem, jam virtus non eſſet, quippe vitiis commiſta. Sed alta ſolum ac magna æternumque manſura continet; in ſolo pulchro & bono conſiſtit, quibus, quicquid eſt in orbe nobile, continetur. Iam quia bella nihil habent pulchri, nihil boni; à virtute aliena ſunt & vitioſa. Yaum *regem ſecutus eſt* Xunus, Xunum Iuus. *His omnibus una recti ac conſentanei fuit eademque ratio, quam alter ab altero quaſi cum imperio per manus accepit. Qui bene ſancteque volet orbem regere, hanc rationem ſequatur neceſſe eſt. Quam quicunque deſeruerunt olim, mali reges fuere; mali autem ideo fuere, quia illam quæ unica eſt, bene gubernandi rationem deſeruerunt.* Hana *quippe familia noſtra poſt multa bella reique publicæ perturbationes, pacatum tandem imperium tenet. Hoc ut quietum conſerves, neceſſe eſt, atque pacatum. Oportet quidem in præſens de urbanitate atque ornatu* Cheuæ *familiæ nonnulla detrahere; ſed & multa integritatis ac fidei ex* Hiaa *gente aſſumere. Non ſunt omnia omnino innovanda. Quemadmodum enim currus eaſdem habet rotas quas habebant antiqui, & flumina eundem alveum, cœlum denique motus eoſdem; ita homines iidem ſunt, eademque conſtantes voluntate. Quare ad eos regendos eadem debent eſſe ſtatuta, leges eædem; ne peregrinis ac novis inventis monſtra potius invehamus. Sufficiant nobis regum antiquorum exempla, è quibus facile bona eligentes, mala, ſiqua fuere, vitabimus.* *Similitudo.*

Imperator itaque tunc quidem abſtinuit, & pacis artibus totum ſe dedit, leges ac ſtatuta rituſque imperii ordinavit. Rem etiam agrariam, magni, ut ſæpius dictum, in imperio Sinico momenti; temporum injuriis iterum labefactatam reſtituit.

Vna res tamen eum anxium habebat, & à conſilio belli exteris inferendi avocabat. *Iuus* enim *Yangcheu* rex, Imperatoris frater natu major, licet ex alia concubina, vir audax & inſolens, imperium ætatis prærogativa ſibi debitum, ab *Hiaouo* occupatum indigne ferebat, & multorum animos in partes ſolicitabat.

Impe-

Imperator ergo, priuſquam res erumperet in arma; obſtinatum ac ferocem fratris animum emollire tentat, & perſpecta *Tumchungi* virtute ac perſuadendi gloria & quantopere à bellis omnes abſterreret, eum ad *Yuum* fratrem legat, quam ob rem mitteretur, bene inſtructum. Per hunc igitur ad fratrem plenas humanitatis atque officii literas dat, rogatque, ut tantum hominem eo in honore apud ſe habeat, quem illius virtus ac ſapientia merebantur. Mira itaque *Tumchungi* in agendo dexteritas cum virtutis opinione conjuncta, ferocem *Iui* animum ſibi conciliavit. Quo factum eſt, ut ſæpe ad colloquendum invitatus, paulatim optimis monitis atque conſiliis eum ita placarit, ut plane *Iuum* in alium mutarit virum, effeceritque, ut fratri non amplius invideret faſtigium. Tantam vim habet vel apud malos virtus, quæ vere in res omnes imperium habet.

Agendi dexteritas.

Memorant deinde, *Tumchungum* poſt multa alia præclare acta turbas aulæ præfecturæque pertæſum, domum, unde pauper emerſerat, pauperem rediiſſe. Ibi ludo aperto magiſter factus, undecunque advenientes, publice Philoſophiam Sinicam docebat. At non eo perinde carere poterat Imperator; qui nullam magni momenti rem aggrediebatur, nec implicatum aliquod negotium abſolvebat, quin prius *Tumchungum* per literas conſuleret. Ajunt autem authores Sinici, adeo prudenter eum ad omnia reſpondiſſe ſemper, ut, quod ipſe ſuaſiſſet, illud omnino eſſet optimum; quippe quo in rebus ac negotiis conficiendis nemo erat clarior, nemo juſtior.

Amor vitæ privatæ.

Hiaouus, ut dixi, bellorum erat ac militum amans. Vnde cum ab armis temperaret ſibi, Præfectis pacis ſtudia ſuadentibus; venationi ſe addixit impenſe, robuſtæ voluptatis gratiam ſecutus. Aliquando tamen in illa nimius fuit. Iuvenis namque ac viribus pollens gaudebat maxime, omni ſpreto periculo, & apros & urſos ipſe ſolus invadere, ſolus ferire. Forte autem accidit, ut hujuſmodi feras inſequens ab aulicis ac famulis longius diſcederet, aberraretque illactenus, ut inveniri non poſſet. Ibi ſolus à latronibus captus proxime

E venatione periculum.

ximè aberat ab ultimo diſcrimine. Nemo enim ex iis Imperatorem eum eſſe ſuſpicabatur; aliud proinde nihil quam ipſius necem ac ſpolia cogitantibus. Sed in hoc rerum articulo quædam anus ei ſaluti fuit, latronum famula; quæ ex corporis habitu facieque imperio digna minime vilem conjectans hominis fortunam, periturum inſuper miſerata, modum, quo præſens periculum evitaret, oſtendit. Ex hac occaſione *Siangus*, ſupremus militum Præfectus, ut Imperatorem à nimia venandi voluptate averteret, in admonentis authoritatem aſſurgens, *Gaudium eſt tuum*, inquit, *invia, devia, & periculoſiſſima quæque montium loca ſubire, ut feras ſagittis figas. At enim timeo non perfunctorie, quod modo tantum non contigiſſe vidimus, ne tandem illam feram habeas obviam, quæ te adducat in pericula nunquam proviſa. Fortaſſe ſpernet arma & inimicorum vim virtus ac fortitudo tua, ſed hæc, ubi cum beſtiis venitur in certamen parum valent. Perſpicax es & multum in poſterum proſpiciens. Vtere natura tua, quæſo, & ante periculum obviam ito periculo. Nec illud tacuerim æquum non videri, dum capis feras, interim abs te tuorum ſubditorum vaſtari agros, & agricolarum duros labores ab equis tuis peſſumdari.* Audiit hæc patienter Imperator; quoque in poſterum eſſent à venatione indemnes agri, amplum & in multas leucas patens ferarum ſeptum excitare totumque montem *Nanxan* muro cingere meditabatur. Verum ubi neceſſe fore comperit, eo opere magnam agrorum partem includi; deſtitit ab incepto, ſeipſum potius vincens, & quamlibet gratiam venationem ſibi negans, quam ut induceret in animum ſubditis damnum facere. Tantus ſemper fuit apud Sinicos Imperatores, queîs probitas cordi ſuorum amor, & in imperando cautio, ex æquo & juſto agentes omnia, nihil ex libidine. Res ſane digna, quam omnes imitentur reges, & præcipue Chriſtiani. Itaque antiquorum regum ſeptis contentus, in eis venabatur ac militare robur exercebat.

Oratio Præfecti à venatione dehortantis.

Audita ab Imperatore publico bono.

Anno imperii quinto cum jam multos apud ſe haberet ſapientes ac liberaliter tractaret; mandavit, ut quinque libros, quos *Uking* Sinæ vocant, à patre ſuo jam

Sinarum diſciplina quinque libris comprehenſa.

jam inventos in lucem darent. Singulis doctores præpoſuit, ut eorum doctrinam aliis explicando traderet. Primus eſt *Ieking* ſive mutationis liber, qui per figuras ac ſymbola doctrinam ſuam proponit, ut initio hujus epitomes explicatum. Secundus *Xuking* dicitur, hoc eſt, librorum doctrina, ſive liber librorum. Eſt antiquarum trium imperialium familiarum ad compendium redacta hiſtoria, non omnes quidem omnium familiarum Imperatores, ſed aliquos tantum, & præcipue probos, ab eis vel dicta prudenter vel præclare facta enumerando. Initium ejus libri eſt *Yaus* Imperator; narrantis deinceps & explicantis gubernationis modum, quo veteres Imperatores uſi fuerant; multa quoque tractantis de ſtatutis, legibus ac cæremoniis, quas primi Sinarum Imperatores adinvenerant. Tertius eſt carminum liber, *Xiking* appellatus, qui Poëticæ inventioni jure ſuo indulgens, non proſa, ſed vorſa oratione rerum naturam commode explicat, ab Imperatoribus bene ſecuſque facta denarrat. Quartus eſt *Liking* urbanitatis ac morum liber; hic continet ritus, mores & quidquid ad civilitatis partes ſpectat. Nulla fere eſt humana actio quamvis minima, cui modum non præſcribat. Stoica ſeveritate non abſimilis iis, qui ſe magiſtros morum profitentur; niſi quod minutiis quibuſdam ſcrupuloſe perſequendis non effugiat legentium faſtidium. Agit etiam de divino cultu bene ac graviter. Quintus liber eſt *Chuncieu*, *Confutii* partus; quem ver poſſis & autumnum dicere. Varios in eo reges proponit, bonos juxta maloſque, neutrorum famæ obnoxius, fugienda, ſequenda, pro cujuſque meritis, aut damnans aut commendans in poſteritatis exemplum. Propoſitum erat *Confutio*, belligeros ævi ſui reges à rixis aliiſque malis avertere, vitiorum fœditatem, pulchritudinemque virtutum, uti ſupra dictum fuit, oſtendenti. Hos ergo quinque libros Imperator primo nitori reſtituit, publicique juris fecit una cum *Confutii Mentii*que Philoſophia. Horum doctrinam omnino callere debent, quicunque ad litteratorum honores adſpirant. E reliquis vero unum neceſſe eſt eligere, cujus ſcita tueantur, qui doctoris

ambiunt

ambiunt inſignia. Porro manu ſcripti erant hi libri omnes, quod iis temporibus nondum apud Sinas eſſet inventa typographia; quæ, ut ex Sinica conſtat hiſtoria, ſumſit originem anno poſt Chriſtum natum circiter quinquageſimo.

Cum ſeptem annorum ſpatio rempublicam optime ordinaſſet nec præſidiis militaribus minus, quam legibus firmaſſet; tum *Tartaris* bellum movere cœpit, perfide pacem cum eis factam frangens. Ad hoc eum *Queius* unus è Præfectis ultro propenſum & currentem facile compulit. Sed author belli *Queius* haud multo poſt mali conſilii pœnas dedit, ut mox referam. Hoc itaque bellum Imperator contra *Tartaros* ſuſcepit, quam potuit occultiſſime. In cauſam belli magnus ille murus prætexebatur, cujus tuendi muniendique ſpecie duos miſit cum ſumma poteſtate duces, *Liquangum* & *Puxeum*, utrumque juſto exercitu inſtructum. Hos dein Imperator ipſe cum trecentis militum millibus ſubſequitur. Quem exercitum ad vallem accumbentem ad *Maye* ſeduxit, excitatis inibi, quoad ejus fieri potuit, clam hoſte caſtris. Animus erat, collectis copiis omnibus, inopinantes *Tartaros* invadere; idque tanto ſilentio ſucceſſurum ſperabat, ut nihil ejus *Tartari* adverterent. Sed hos non fefellere tanti motus; accedente præſertim ſecuritate *Queii*, cujus famulus ab illis cum literis interceptus eſt. Ergo *Tartari* ad vim repellendam ſe parant. Imperator ubi ſua conſilia detecta videt; ſive ut è *Tartarorum* animis ſuſpicionem evelleret, eoſve placaret, ſive ut *Queium* puniret, tradidit eum carceri. Vbi perfidiæ pœnas dedit, ſibi ipſi carnifex factus; &, unde gratiam Imperatoris ſperabat, mortem invenit. *Tartari* tamen *Queii* morte non contenti, bellum ſuſcipiunt, perfidia Imperatoris altius in eorum animos deſcendente, quam ut eam concoquerent. At viribus ſuis diffiſi, donec è terris ſuis majores copias advocarent, murum, quotquot ibi in præſidio erant, ingrediuntur, ac prædas agunt. Sic Imperator, qui aliena vexatum ibat, ſua defendere coactus eſt. Quare cum videret in apertum jam bellum rem evaſiſſe; rerum ſuarum

Præfecti conſilio ruptum fœdus.

Conſilii mali author pœnas dat.

ſatagens, quatuor duces in varias partes ad illos reprimendos dimiſit, traditis unicuique decem armatorum millibus. Omnes tamen à *Tartaris* fortiter excepti ſunt atque rejecti. Vnus *Chingus* victoriam de *Tartaris* reportavit, quorum ſeptingentos cum totidem equis captos ad Imperatorem deduxit. Eum, quo reliquis ducibus adderet animum Imperator, in illis *Tartarorum* confinibus, qua ipſos devicerat, dynaſtam creavit, attributo illo territorio. Iam hiems imminebat, in his locis aſperrima. Quare Imperator in regiam regrediens, *Liquangum* ei bello cum ampla poteſtate præfecit. Iamque *Tartari* quoque advenerant, nec viribus nec numero imperialibus impares. At poſtquam audivere *Liquangum* eſſe ſummum ducem; pugnam inire non ſunt auſi, nec, quam diu illic ſtetit, murum tranſgredi. *Liquangi* namque fortitudinem ac felicitatem à multo jam tempore perſpectam habebant, nec eum alio nomine quam *Volantis Ducis* vocabant. Sæpe nimirum conficit ſola fama bellum. Sed nec Imperator ſuos extra Sinam abire ſivit. Terrebat eum regulorum quorundam nimia potentia; formidantem, ne ſparſis alio viribus,aliorum in Imperio vires experiretur. Et certe reguli nonnulli jam nimium creverant; in quibus unus mille ſtadia terrarum quadrata habebat, cum Imperii leges ad ſummum centum ſtadia regulis concederent. Itaque timens, ne facerent, quod ſub Patre ſuo fecerant, milites non emiſit. Interea tamen huic malo prudenter ivit obviam novis quibuſdam inventis Legibus. Decrevit enim, ut inpoſterum Reguli acceptas jure beneficii terras inter omnes legitimos filios æqualiter partirentur. Nec enim jus & fas eſſe, ut uno omnia accipiente reliqui fratres in paupertate eſſent. Hinc illud exſiſtere, ut mortui parentes juſtis honoribus careant, quibus eos filii omnes afficere non poſſint pro eo ac dignitas eorum poſtulat, obſtante paupertate. Magnam vero vim habet apud Sinas ea ratio, quæ à parentum obſequio petitur. Quam ob cauſam etiam nunc mos eſt, ut filii omnes æqualiter inter ſe parentum dividant bona, ſolum imperium integrum atque indiviſum uni cedat.

Deinde

Volans Dux.

Novis legibus quieti Imperii conſultum.

Hereditas æqualiter diviſa.

Deinde ſtatuit etiam ut beneficiarii terræ, ubi forte legitimus ſucceſſor deeſſet, ad Imperium devoluerentur unde avulſæ fuerant; niſi ipſe Imperator pro Regulorum meritis aliud ſtatueret. Hæc duo decreta ſtatim vim habere voluit. Quo factum eſt, ut regna beneficiaria ſecundo ac tertio genitis lætantibus in varia diſtraherentur dominia. Quæ res etiam primogenitorum amorem in Imperatorem conciliavit, nec minorem à Regulis ſecuritatem; id quod prætendebatur.

Decretum inſuper, ut impoſterum Imperatoris eſſet, Regulis omnibus ſummum Præfectum dare, nec ſine illius conſenſu liceret his eum electo alio reſpuere. Hoc decretum *Ci* Regi mortem attulit. *Ienius* namque apud Imperatorem gratioſus, ſummuſque *Cio* Præfectus datus, inceſtus ei crimen intulit, quaſi cum ſorore conſueſſet; ad quod experiendum ipſum gynæceum ingreſſus eſt. Non ferens tantam Præfecti audaciam, tantumque dedecus *Ci* Rex, mortem ſibi concivit. Quo audito Imperator *Ienium* cepit, & cum tota conſanguinitate tanquam reguli interfectorem delevit. Sed præcipue illius occidendi cauſa fuit, quod hic caſus Regulos quam plurimos ira & indignatione accenderit; quiritantes nimiam ſummorum Præfectorum audaciam & inſolentiam eſſe. Quos ut placaret Imperator atq; oſtenderet hoc ſe minime volente factum; eapropter *Ienium* morte multavit. Odii porro, quod *Ienius* in *Cium* conceperat, cauſa fuit, quod Rex filiam ejus uxorem accipere noluit, quam optabat ei nuptum locare.

Punita nimia audacia.

Interim tamen Imperator ab impoſtoribus deceptus, in terris æternæ vitæ præcepta ſectabatur. Illi namque chimica pergebant arte ſe non modo aurum atque argentum facturos polliceri, ſed & medicinam illam, qua ſumta viveret æternum & in *Xinſien*, ut vocant, mutaretur. Amabat impenſe res raras & exquiſitas; quæque curioſa paſcunt ingenia, iis plerumque delectabatur. Vnde illis impoſtoribus aures dedit, maxime cum id promitterent, quod unum ad felicitatis apicem Imperatores Sinici ſibi deeſſe credebant. Hinc titulus ille, quo præcipue gaudent & ab omnibus vocantur, *Van Van Sui*, quod decem annorum millia ſigni-

Chimici Sinenſes immortalitatem ſpondent.

Palatium odoriferum.

ſignificat. Hoc titulo perpetuo cum inter loquendum, tum ſcripto appellatur. Immortalitatis igitur adipiſcendæ cauſa curavit exſtrui palatium ex meris lignis odoriferis, ex cedro, inquam, cypreſſo, camphura & id genus aliis, cujus odor ad viginti ſtadiorum diſtantiam profuſus facile percipiebatur, ut Hiſtorici ſcribunt.

Turris cuprea & ejus uſus.

In eo Palatio cupream turrim viginti perticarum, ſtupendum ſane opus, exſtrui juſſit; intus ad ſummum uſque patente per cochleam aſcenſu. Ingens ibi erat cuprea peluis ad modum humanæ manus fuſa, qua ros puriſſimus in ſingulos dies colligebatur; in quo rore uniones æternæ vitæ medicinam macerabat, quibus ex impoſtorum fraude ſperabat ſe immortalem fore. Præterea mire Palatium exornavit atque in tantum, ut tradant, omnia Sinenſium Imperatorum ad hoc uſque tempus palatia illi magnitudine ac ſplendore ceſſiſſe. Vnum, quod in hoc Imperatore plane mirandum, non omiſerim. Nam licet his nugis operam daret, nunquam tamen officio ſuo defuit; quin alia ex aliis negotia majora ſemper & altiora meditabatur. Iſtud quoque circa immortalitatis præcepta de hoc Imperatore narratur. Quem cum Impoſtor quidam poculum miſcere docuiſſet, quo exhauſto fieret immortalis; poculum paravit, & urgentibus quibuſdam Præfectis ſupra menſam poſuit. Tum unus è Præfectis majoribus ei exquiſitis argumentis ſuadere cœpit, ne fidem impoſtoribus adhiberet, neve poculum ebiberet; ſed omnia incaſſum.

Error circa immortalitatem hujus vitæ Imperatori aſtu exemptus.

Hîc repente Præfectus in poculum involat & exhaurit. Excanduit ſcilicet Imperator; & quoniam ereptam immortalitatem ſibi credebat, qua morte tantam audaciam vindicaret, deliberationem habuit. At Præfectus Imperatorem placide alloquens, *Occidere me non potes*, inquit; *nam æternæ vitæ bibi medicinam. Si autem mori poſſum, nullum hîc eſt crimen meum; qui non medicinam veram, ſed impoſtorum bibi mendacia. Ex his, quid tecum agant, intelliges.* Imperator his dictis ſtatim acquievit, & Præfectum ſuum de prudentia collaudavit. Nec tamen omnino deſtitit æternam vitam quærere, ut infra videbimus. Vix enim, ſemel ab hac inſania correptus, unquam curatur; qui artis chymicæ potiſſimus eſſe ſolet effectus,

Poſt

Poſt hæc itaque, cum per ea, quæ diximus, decreta ſatis providiſſet Imperio; tandem per Præfectos ſuos extra Sinicum Imperium miſſos multa occupavit Regna, Sinæ occidentali ad Libycum objacentia. Vnde reverſus *Chankiengus Yuepi*, *Tavon*, *Takiam*que regna ſub Imperium eſſe ſubjuncta, Imperatorem edocuit. In *Takia* regno mons eſt, quem *Kiung* vocant. Ex eo monte *Changiengus* attulit arundinum genus quoddam intus ſolidarum, quarum nodi multum inter ſe diſtabant, ceterum ſuſtentandis ſenibus in baculi vicem aptiſſime ſervientium. Hæc vero Sinici ſunt Autoris verba; quibus clariſſime deſcribit genus illud cannarum, quod in India *Bambu Macho* dicitur à Luſitanis, quod marem arundinem ſonat; in Sinis autem ſimiles non eſt reperire. Vnde hoc Regnum prope *Bengalam* fuiſſe crediderim, *Taum* vero regnum commemoravit optimorum equorum eſſe plurimorumque ferax; montes item inibi permultos continuis nivibus rigere. Hinc Sinica Tabula geographica recte docet, *Tibet* regnum ad radices *Amaſai* montis eſſe; imo in ipſis montibus ſitum. Hinc etiam *Suchuen* Sinica Provincia cum eo regno confinia habet communia; quæ ſimiliter optimis equis abundat. *Yuepi* vero tunc erat, ubi modo *Tungking* eſt & *Laos*: de quibus Atlas noſter adeundus, ubi omnia clarius explicantur. Multa inſuper alia rara ſunt allata, Sinis nondum viſa, quæ Hiſtoricus generatim tantum attingit, non ſingula explicando.

Imperator Regnum amplificat.

His lætus Imperator animum ad majora, quam quæ jam meditabatur, adjecit; nec modo ad eaſdem partes militum ſubmiſit auxilia, ſed etiam Orientis plagas claſſibus ſuis perveſtigandi conſilium cepit. De quibus primo agam, dum miſſa auxilia Occidentem petant. Ergo per mare Sinicum, quod Sinæ *Sang* vocant, Orientem verſus ſuas claſſes emiſit. Sed quia de exteris vix aliquid Sinæ ſcribere dignantur vel ſcire; idcirco de hac expeditione particulatim nihil habeo dicere. Nec nomina Regionum, è quibus quique oriundi, reperio. Nam Sinica exteris impoſita omnia fere contumelioſa ſunt, quippe quæ vel barbaros vel putidos, vel manci-

pia & quæ ſunt generis ejuſdem, ſignificant. Vix aliquando propriis exterorum nominibus utuntur. Ita Iapones per contemtum *Vocu*, *Tartaros Nucieu* vocant. Quare decernere non poſſum num in *Iaponiam*, Inſulas *Liuſonas*, *Ceilanum*, *Iavam*, *Camboyam*, & ſimilia tetenderint loca. Putem ultra *Coream* fretum *Aniani* claſſes etiam penetraſſe; quaque Occidenti eſt maxime obverſa, Americam à Sinis frequentatam. Et hinc fortaſſe originem illa gens habuit. Nam color, capillorum modus ac faciei faciunt id mihi veriſimile; nihil tamen certi reperio. *Siones* autem, *Camboyenſes*, ac vicinas circum regiones à Sinis originem traxiſſe conſtat. Vnde litteris quoque Sinicis utuntur; imo & numerorum nomina ut Sinæ, explicant. Nec dubito, quin olim, ut hodie, mercatores Sinæ navigaverint, etiam uſque ad rubrum mare. Nam nunc quoque maximæ naves *Pan Cum Da China* vocantur. *Pan Cum* autem dicunt quod Sinice ligneum ſonat Palatium. Nec hujus rei parva ſunt in India monumenta paſſim, de quibus alibi plura dixi.

Tartari bello petiti.

Præterea Imperator copiis ad murum magnum agentibus edixerat, ut *Tartarorum* terras invaderent. Quod ut facerent alacrius, ampla & firmiſſima caſtra forma quadrata ultra murum magnum excitavit, in quæ ſi qua neceſſitas urgeret, ſeque ac res ſuas recipere poſſent exercitus. Accidit hæc res populo non parum moleſta, cui erat imperatum, ut ad tantam fabricam neceſſaria undique conveherent. At vero quia publicæ ſecuritatis intererat, cœptum opus ad exitum adduci; nemo Præfectorum auſus eſt Imperatorem de populi querelis admonere. Vnus è Præfectis *Sunhungus* cum ficta virtute ac pietate pari magni nominis famam & dignitates aucuparetur; ut à plebe gratiam iniret, non hanc modo fabricam, ſed & maritimam Indicamve expeditionem impedire volebat, & Imperatorem ad Sinicas terras omnes aperiendas & quoquoverſum colonias deducendas hortabatur. Imperator ne illi contravenire videretur vel ejus conſilium aſpernari; aſtute in aliam opinionem eum traxit. Miſſos namque Præfectos aliquot *Sunhungum* convenire jubet,

bet, ac cum eo de munimentorum expeditionumque reliquarum utilitate colloqui. Qui cum ex eorum dictis Imperatoris voluntatem intelligeret, ne illius gratia excideret, ſine mora ſuam opinionem damnavit. Neque hoc tantum; ſed ad urgenda cœpta Imperatorem animabat, ad eumque adiens, *Ne, ô Imperator*, ajebat, *mihi, vili homini* (Xantung *enim regnum mihi natale ſolum eſt) iraſcere. Vt plerumque ſunt homines ex eâ provincia; ſic & ego rudis ſum ac parum perſpicax. Non intelligebam adhuc, tantas ex iis, quæ moliris, quæque agis, utilitates effloreſcere.* De hoc eodem *Sunhungo* ſcribunt, ut Imperatorem ſervaret amicum ſibi, licet ſatis opima Præfectura fungeretur; amictu tamen ac cibo ſolitum uti viliſſimo. Sciebat enim *Hiaouum* ſimplicitatem ac modeſtiam plurimum in ſuis amare. Alius quidam Philoſophus majori authoritate de hoc cum Imperatore agens, *Non eſt*, inquit, *hæc vera Virtus, ô Imperator, quæ gradum ac dignitatem non tenet ſuam. Profecto ſimulator* Sunhungus *eſt, & aliud ore promtum, alud pectore clauſum gerit. Neque deſunt alia, quibus germanam virtutem explorare poſſis.* Tunc Imperator illum advocat, & num vero ac ficto animo hæc ageret, interrogat. Ille qui ſciret Imperatorem in ſuis animi ſubmiſſionem maxime ſuſpicere, neve majori Præfecto contradiceret; *Confitentem*, inquit, *habes reum, ô Imperator; ita eſt, ut Præfectus tuus tibi dixit. Nam vera illa germanaq; virtute non ſum præditus, quæ tibi me ſervire conſentaneum eſſet; amor tamen ac promta voluntas tibi ſerviendi faciunt, ut virtutem fingam, meque ipſo melior eſſe ſtudeam, dummodo adeſſe liceat obſequio tuo.* Imperator hæc audiens homini non modo non iraſci, ſed etiam de animi candore ac modeſtia collaudatum, in dies pluris facere, atque ad majores dignitates efferre. Demum anno Imperii decimo ad ſupremam Colai præfecturam evexit. Hic honos ingenium ejus prodidit, quod adhuc utcunque malis artibus occultaverat, fallendi peritiſſimus. Namque paullatim inſurgens optimam quamq; dignitatem vexare, Præfectos recti tenaces averſari, amicos multos ad honores admittere; magnum denique malum reip. machinabatur, vel turbaturus, vel, ſi potuiſſet, ſibi occupaturus

Vulpes aulica.

paturus imperium. Sed Imperatoris felicitas & hoc malum ſuperavit. *Sunhunhus* enim non diu ſtetit in eo faſtigio; morte prçventus, quam deſtinata exſequeretur.

Tartari domiti. Inter hæc ingentis illius munitionis fabrica continuabatur; quæ bellum inter Imperatorem ac *Tartaros* tandem accendit. Quippe *Tartari*, quo fabricam impedirent, crebram irruptionem faciebant operaſque fugabant. Imperator ſubmiſſis majoribus copiis per *Gueicingum*, quem ſummæ rerum præfecit, eidem mandat, ut aperte jam *Tartaris* bellum moveat. Pugnatum igitur eſt in regno *Tangu* ingenti *Tartarorum* ſtrage. Multi etiam vivi venerunt in victoris poteſtatem; quos ad Imperatorem miſit. Ea victoria magna per totum Imperium lætitia celebrabatur. Subinde Imperator *Gueicingum* cunctis reliquis Ducibus ſuprema cum poteſtate præpoſuit; omnes uni parere juſſi. Præterea dat in mandatis, ut victoriam delendis *Tartaris*, qui ſemper fuiſſent Sinarum hoſtes, perſequatur; parcat nemini, ut eis penitus profligatis, illorum in Sinas irruptiones ac prædæ impediantur. Ipſe etiam Imperator ad Victorem exercitum oculis ſubjiciendum profectus, ubi *Tangu Tartarorum* regnum ingreſſus eſt, altiſſimos illius montes animi gratia aſcendit. Eſt *Tangu* regnum ad Boream *Xenſi Xanſi*que provinciis confine, ac paullulum in occaſum excurrit; ad ortum, aliqua ex parte *Peking* Provinciam attingit, inter ſitientis arenæ deſerta murumque magnum, clauſum. *Croceus* fluvius medium fere ſecat; ab Auſtro tamen in Boream, & inde rurſus in Auſtrum circumvagus, ut in Atlante noſtro videre eſt. Illac Imperator venatus, animal quoddam rarum cepit, quod ungulas quinquepartitas habebat, unicum vero cornu. Fortaſſe unicornis vel rhinoceros fuit. Ut ut eſt, ejus capturã in lætiſſimum omen accepit, eumq; annum, quo captum eſt animal, Imperii ſui primum dici voluit; hanc epocham, primam venationem vocans, ita ut anni poſtea reliqui à prima venatione appellationem traherent. Fuit hic annus Cycli Sinici quadrageſimi tertii ſextus & quinquageſimus, ante vulgarem Chriſti epocham centeſimus vigeſimus ſecundus, hujus Imperatoris decimus.

Anni à prima venatione nominati.

Sub

Sub hoc tempus *Hoainan* & *Heanexan* reguli rebellionem in Imperatorem meditabantur. Verum eorum famuli rem ad Imperatorem detulere, priuſquam parata eſſent omnia. Ita mature oppreſſi ſunt ambo captique. Ne vero cogerentur ſupplicia ſubire in rebelles parata, laqueo voluntariam mortem occupavêre.

Eodem tempore cum *Tartaris* iterum pugnatum eſt, iterum à Sinis ſtante victoria. Qui veteri *Tartaria* uſque ad *Yenchium* ac *Kilienum* montes vaſtata, pervenerunt uſque ad mare, quod nigrum Sinæ vocant, de quo in noſtro Atlante plura. Montes autem iſti ad Boream *Xenſi* provinciæ ſurgentes, in Occaſum excurrunt. Diſtant à muro magno pluſquam octingenta ſtadia Sinica, hoc eſt, quinquaginta circiter leucas. His malis victus *Hoenſieus*; unus è *Tartarorum* Regibus, ut victoris clementiam experiretur, ad Imperatorem à reliquis defecit. Imperator, ut oſtentaret vires ſuas, equitum viginti millia mittit ad eum excipiendum. Deinde, ut illius potentiam diſtraheret, quinque *Tartarorum* Duces tributarios dynaſtas creat; facta cuique poteſtate ultra murum magnum urbem more Sinico exſtruendi, ſic tamen, ne alter alteri ſubeſſent, ſed Sinicum Imperatorem dominum omnes agnoſcerent. Tum, ut *Tartarorum* terras omnes, ipſoſque *Tataros* deleret, triplici cum exercitu illas invadit. Primum exercitum fortiſſimus *Gueicingus* ducebat; ſecundum *Kiupingus*; tertium *Liquangus*, optimi Duces: ſingulis Imperator equitum quinquaginta millia, peditum vero multo plura aſſignavit, permittens quorſum vellent contra *Tartaros* & quacunque tendere; quique rem eos delendo præclarius egiſſent, illis maxima promiſit præmia.

Tartaris iterum illatum bellum.

Tres exercitus in Tartariam miſſi.

Queicingus igitur cum ſuis *Tartaros* inſequitur. Ad *Barolibycum* progreſſus, ac duo fere ſtadiorum millia emenſus ad montem uſque *Tienquen* victor penetravit. Hunc montem Hiſtoricus Sinenſis in *Tata* Regno ponit (*Tartariæ* vult dicere, ſed ob R literæ defectum *Tata* dicit) & in medio *Tartariæ* eſſe ſcribit. Sæpe autem Sinæ in ſuis etiam antiquioribus ſcriptis *Tata Tartarorum* Regnum vocant.

Succeſſus primi exercitus.

Ex quo intelligitur *Tartariæ*, nomen antiquiſſimum apud Sinas eſſe; illius nimirum, *Tartariæ* quæ extra *Imaos* ſeu *Amaſaos* montes ad fretum uſque *Anian* extenditur, quam veterem dicimus, quod nomen reliquæ Aſiaticæ *Tartariæ* commune factum. Vltra hos montes progredi non eſt auſus, arenoſis campis obſtantibus, de quibus infra. Multos in hac expeditione *Tartaros* devicit, & reges omnes uſque ad mare, quod obverſum Boreæ, delevit; omnes eorum cohortes, quas *Hordas* vocant, diſſipavit. Inde victoriis inclytus domum ad Imperatorem rediit.

Secundi. *Kinpingus* vero Dux alter per veteris *Tartariæ* ad Boream vergentis planitiem, *Barrapheliotem* verſus progreſſus eodem modo inſignes à *Tartaris* victorias reportavit. Emenſus ultra quatuor ſtadiorum millia, montem etiam *Lankiuſium* ſuperavit. Quin & ingenti auſu campum arenoſum tranſiit ex ea parte, qua ſe ad Boream Sinæ diffundit. *Tartaris* infeſtus & ibidem vaſtitatem efficiens. Hunc arenoſum campum ſive deſertum Sinæ *Xamo* vocant, quod tractum arenoſum ſignificat. Eſt autem ingens ac longiſſimus arenæ ſitientis ille tractus; qui Sinam quaſi ambit ad occaſum. Incipit ad Auſtrales radices *Imai* montis circa trigeſimum ſeptimum altitudinis gradum; ubi etiam *Xacheu* Civitas ſita, quaſi dicas, arenoſa. Inde ad quinquaginta tres fere gradus uſque protenditur, per leucas circiter trecentas partim in Boream, partim, & hoc magis, in ortum excurrens continua prope ſerie. Ad occaſum vero in partes duas diffunditur; unde deſertum majus ac minus nominatur. Ibi *Sumahan* & *Caſar* à *Tartaria* vetere dividit. Sinæ *Samahan* & *Hoei* regiones vocant; quæ nomina novane ſint an etiam antiquioribus Sinis cognita ignoro, in Sinarum libris ac tabulis geographicis reperiuntur. Hic arenæ tractus in occidentali parte rarior eſt aliquot leucarum ſpatio, ſeu minus arenoſus; ubi olim Sinæ duas urbes *Iungya* & *Lienyung* condidere, quas adhuc eſt in Sinicis tabulis reperire. Adhucne exſtent, ignotum. Hæ namque regiones à Sinis hodie non frequentantur. Qui hæc melius intelligere voluerit, Atlantem noſtrum extremæ Aſiæ conſulat; ubi

ubi etiam reliquarum regionum, fluviorum ac montium nomina reperiet, antiqua & nova, de quibus in hac Epitome mentionem facimus.

Kinpingus ergo ad finem hujus arenoſi tractus, qua ſpectat Orientem, pervenit. Vnde Boream verſus proceſſit ad *Hanhai*, hoc eſt ad magnum mare. *Han* enim magnum, *Hai* vero mare ſignificat. Quanquam Sinæ non mare, ſed lacum in tabulis ſuis pingunt. Etſi vero tractus hic arenoſus effundit ſe longiſſime; latitudo tamen ejus, qua maxima eſt, vix triginta leucarum ſpatium complectitur. Ab his ergo Ducibus duobus *Tartari* illi qui toties ad hoc uſque tempus Sinam vexaverant, debellati ſunt ac ferme deleti; præſertim illi, qui deſerta camporum inter ac Sinicum mare claudebantur. Nec mitiore fortuna ſunt uſi, qui colebant intra *Lankiuſios* montes. Hi continuo tractu cum *Imao* monte uſque ad mare Boreum excurrunt, & prope arenoſos campos in duas ſeries ſe findunt; quarum altera Orientem, altera Occidentem verſus, utraque tamen in Boream deflectens immenſam aperit planitiem.

Dux tertius non perinde rem proſpere geſſit, ob viarum ignorantiam magnis circumventus difficultatibus. In montibus, queis Niuche & *Niulhan* nomen, hærenti nulla materies egregii facinoris ſuppeditavit. Vbi, cum ſocios ſuos alibi multa præclare feciſſe comperiſſet, dedecoris impatiens guttur ſibi præſcidit, magno totius Imperii luctu. Et hunc exitum habuit *Liquangus* magnus alioqui dux, & militum animis gratiſſimus, quippe qui cum illis tanquam gregarius miles arma ſemper haberet communia, nec eos ut ſibi ſubjectos, ſed ut commilitones tractaret. Tam porro liberalem ac profuſum in alios fuiſſe ſcribunt, ut nihil unquam vel de ſtipendiis vel prædiis reſervaret ſibi; diſtribuens omnia militibus ſuis.

Tertii.

Mors ultronea.

His bellis confectis Imperator duobus ducibus ac reliquis bene de Imperio meritis omnem illam *Tartariam*, quam arenæ Sinicuſque murus complectitur, monteſque præterea *Lankiuſios* dono dedit; militibus urbes militares ac caſtra exſtruxit; duos duces inſuper reges creavit. Hinc *Caro Caty* nomen ad exteros manaſſe

naſſe credo. *Catai* namque terram nigram ſonat; &, ut M. P. Venetus ſcribit, ita deſertum vocatur, quia *Catay* regni populis eſt habitatum. *Catayum* autem Sinicum Imperium eſſe luce meridiana clarius in noſtro Atlante oſtendimus. Hinc etiam urbes ac mœnibus munita loca viſuntur etiam nunc in veteri *Tartaria*, quamvis alioquin *Tartari* nullas ædificent urbes, vagis tentoriis contenti. Sinenſes autem iſti ab Imperatore ibi relicti, paullatim Sinicos obliti mores & *Tartarorum* commercio aſſueti atque degenerantes in *Tartaros*, etſi multo poſt tempore, Sinas tamen infeſtare cœperunt. Inter hæc magus quidam nequiſſimus à regno *Cy* oriundus, cui *Xaukungo* nomen, ad Imperatorem venit; quem præſtigiis multum ſibi devinxit, etſi poſtmodum earum pœnas morte velut impoſtor dedit. Inter alia, quæ dæmonum artibus fecit, illud fuit quod, quoties Imperator optaret, concubinam ei cariſſimam, *Changoam* dictam, ſed jam mortuam advocabat. Imo nimis credulo Imperatori perſuaſit, illam non eſſe mortuam, ſed in luna habitare immortalem, quia medicinam, quam Imperator ſibi pararat ad immortalitatem conſequendam, hauſerit; ſibi vero tanquam ſpirituum domino licere, quoties vellet, eam è luna deductam Imperatori ſiſtere. Autor ei præterea fuit, ut altiſſimam turrim ædificaret in hunc unicum uſum, ut quoties vellet, cum *Changoa* verſaretur; ſed cum adeſſe illam optabat, monuit, ut prius ſpiritibus faceret. Aliquamdiu tenuit hæc conſuetudo; cum vel Deo vero abnuente, vel dæmone præſtigiis non amplius ſe ſubjiciente, magia vim ſuam amiſit. Nam Imperatoris amaſia magno ejus dolore nuſquam apparebat. Tum veterator, ne detegeretur & ignominiam vitaret, alias fingit præſtigias. In ſerico panno cauſas, cur non veniret amplius, ſcribit nomine *Changoæ* increpantis Imperatorem, quod non rite atque ut decebat, ſe coleret, & hanc ſcripturam vaccæ comedendam tradit. Simulans deinde ſe præ timore vix loqui poſſe, Imperatorem adit; &, *Neſcio, quod ſcelus*, inquit, *vel ego vel tu, ô Imperator admiſeris. Mira in hac vacca video; eam, quaſo aperiri jube. Videbis & tu plane quod mireris*

Magus impoſtor mire Imperatorem ludit.

Luna habitari credita.

&

& cur ad te venire deſinat immortalis mulier, intelligês. Factum, quod petebatur; occiditur vacca, pannus literis exaratus apparet, mira in eo figmenta leguntur. Imperator id quod erat ſuſpicatus, ut in conjectando inprimis erat perſpicax, diligentius ſcripturam conſiderat, & ex forma & modo literarum facile deprehendit, impoſtoris eſſe. Quem proinde detecta fraude vera confitentem pœnas meritas dare jubet; morte multatur. Alia multa ſuper hac hiſtoria circumferuntur à Sinis, præſertim in comœdiis, quibus argumentum ea præbuit. Sed à Sinenſibus hiſtoricis non notantur, niſi ea, quæ ſupra narravi, & ut vera refert Sinica hiſtoria. Quæ hoc etiam loco ponere placuit, ut Europæi videant,nec Sinis Sinones aut Tyanæos defuiſſe, ac dæmonem ubique miſeros mortales decipere, cum poteſt. Vnum non omiſerim, quod pro vero notatur. Imperator cum videret amaſiam è luna non deſcendere,cogitavit exſtruere turrim, per quam ipſe ad lunam eniteretur. Obſtitere Præfecti omnes inſanis conſiliis, ſed nequicquam; exſequi ſe poſſe credente,quod meditabatur. Vnus architectus, cui turris cura mandata erat, eum ab hac ſententia deduxit, evidentiſſime demonſtrans id fieri nullo modo poſſe. Dicebat enim ſe turrim quidem ædificaturum; ſed ingenti fundamento opus eſſe, ad quod ponendum totam, qua patet,Sinam vix imo ne vix quidem ſuffecturam; terras etiam extra Sinam neceſſarias eſſe. Itaque ne Sinam & Imperium perderet, à ſtultiſſimo conatu deſtitit. Sic quandoque magna etiam ingenia delirant; & adeo videmus non ſolos Noachi nepotes deliraſſe.

Deprenſus morte luit.

Stultus conatus.

Ingenioſe eluſus.

Dum hæc fierent, *Tartarorum* multi, qui Sinarum manus effugerant, *Imaum* tranſgreſſi montem, per *Sizan* ſive *Pret-Ioannis* regnum, *Tibet* ac *Laos* regiones ad Auſtrum petebant, *Changkiengus*, cui mandata erat Indica expeditio, Imperatorem ea de re docet ac rogat, ut miſſis muneribus, & conceſſis aliquot honoris inſignibus reges earum regionum admoneret, ne *Tartaros* admitterent: imo tanquam hoſtes Imperii necarent. Sed à regibus neglecta eſt hæc petitio, fugientes ad ſe *Tartaros* libenter excipientibus. Sperabant

Tartari iterum vexati.

enim

enim ſe ab illis adjutos poſſe Sinicum jugum excutere. Quare Imperator *Gueicingo* fortiſſimo duci mandat, ut illos fugientes in Auſtrum ſequatur per eandem, qua ipſi penetrabant, viam. Quod ille poſtquam egregie præſtitit, ægritudine oppreſſus diem ſuum obiit. Cui ſubrogâtus *Chanus*, ut ſe virtute non inferiorem oſtenderet, audaciſſime *Tartaros* inſecutus ingenti clade affecit, & continuo in Auſtrum illos perſequens, longa terrarum emenſus ſpatia, uſque ad *V* & *Sum* reges venit, & his etiam duobus regnis potitus in provinciam ea redegit. Parent hodieque Sinico Imperio; jacentque, qua *Suchuen* provincia Occidentem reſpicit, ubi modo *Vſa* urbs eſt militaris ſita.

Vini fons.

Lætus Imperator ſucceſſu rerum; ne populus eſſet expers lætitiæ, vini fontem adornavit, qui ex palatio fluebat publicæ hilaritati totum diem. Placuit deinde terras illas omnes, de quibus dictum, Occidentales Auſtraleſque coram inviſere. Magnis igitur copiis inſtructus, ad *Chau* ducem primo tetendit, & incredibili celeritate *Xenſi Suchuen*que tranſiens *Iunan* pervenit. Inde *Pegu* deſcendit; ubi ad Auſtrum jacens vidit mare. Mox per *Laos* penetrans *Cumboyam* occupavit & *Cochinam.* Dein litus maris per *Tungking* legens, *Quantung* pervenit, & cognita inſulæ *Hainanæ* fertilitate, mari trajecto, illam occupavit, & in novem regiones partitus eſt. Ex illo mari piſcatus ei multos uniones tulit. Eaque propter, primam regionem, quæ modo *Kingcheu* dicitur *Chuyai* vocavit; quod unionum littus ſignificat. Nec immerito. Nam nunc etiam illud Sinas inter *Hainan* & *Sinas* unionum multorum eſt ferax mare. Hinc orientem petens, *Fokien* provinciam penetravit. Qua ſe difficiliora objiciebant loca ea navibus ſuperabat, quæ pedeſtri itinere non facile potuiſſet. In hoc itinere confeciſſe eum ſcribunt Sinæ ſtadiorum Sinicorum viginti millia, quæ fere mille & quingentas leucas noſtrates conficiunt.

Tartarus ſtabuli Imperatoris magiſter.

Inter *Tartaros* reges, qui clementiam Sinici Imperatoris experiri maluere, quam iram, niſi ſe ſubjicerent;

rent; unus erat *Hieutu* nomine. Is filium ſuum *Geli* dictum ad Imperatorem miſit ut in urbe regia Sinicos mores, literas ac politiam addiſceret. Erat hic juvenis equorum amans; & more *Tartarorum* optimos aliquot alebat domi, queis pares non habebat regia. Sæpe etiam eques tranſibat palatium, unde conſpici poſſet ab Imperatore; cujus in ſe amorem facile trahebat. Erat enim ſtatura procerus, corpore robuſto, ſpectanda prorſus membrorum habitudine; &, quod magis eſt, amabilem quandam, gravitatem præferebat. Ob has dotes Imperator in aulam invitatum ſtabuli præfectum creat; addens illi Sinica nominatione *Kin* cognomen, ac ſi ex Sinica eſſet familia. *Tartari* vero ſola habent prænomina, pro quibus patris nomine utuntur, ut in ſacris literis in uſu fuiſſe apud Hebræos legimus. At longe pluris eum fecit in dies, poſtquam optimam ejus indolem, virtutem ac prudentiam cognovit. Ex quo, ut ſuo loco docebimus, ad ſummos in Imperio honores pervenit, adeo, ut non equorum modo, ſed & hominum fieret magiſter. Hic mihi videtur primus fuiſſe, qui familiam *Tartarorum* condidit; *Chinchi* M. P. Veneto dictam, *Chin* Italorum more perinde ut *Kin* ſcribenti. Hæc familia deinde Sinicum Imperium totum occupavit, ut fuſius ſuo loco, hoc eſt, cum ad *Iuenam* familiam nos deducet hiſtoria, favente Deo demonſtrabimus. Eodem tempore, quia Imperator maxime gaudebat equis, & his abundat *Van* regnum; inde juſſit adduci plurimos eoſdemque optimos, quos *Kino* ſtabuli præfecto tradidit alendos.

Supra diximus, quemadmodum quam plurimi è *Tangu* regno *Tartari* ſalutem in montibus invenerint. Ibi ergo latitantes viribus crevere paullatim, iterumque in planitiem deſcendere ſunt auſi, non quidem Sinam verſus, ſed ultra montes, qua reſpiciunt Boreum mare. His motibus auditis Imperator tres Legatos (ii *Suus Xingus* & *Hocius* fuere) miſit ad eorum regem, qui pacem illis ac quietem promitterent, ſi ſe vellent Imperatorem agnoſcere. Rex *Tartarus*, cui *Suui* virtus animique magnitudo perſpecta, optabat

eum ad ſuas partes ſequendas tranſire. Id negotium *Guelio* Sinico duci datum, qui jam ante ab Imperatore ad *Tartaros defecerat. Suum* itaque convenit *Guelius*, & magnos honores opeſque ſui regis nomine illi promittit. Sed is ut Imperatori fidiſſimus, non modo *Guelium* non audit, verum acriter atque increpans: *Tu vero perfide*, inquit, *poſtquam acceptorum ab Imperatore tuo beneficiorum oblitus, rebellionis adverſus dominum ac patriam tuam reus, parentibus tuis æque ac civibus inimicus factus es; adeo tibi frons periit, ut alios inſuper audeas in conſortium impietatis allicere? Ne id cœlum ſinat, ut tantum admittam piaculum! mihi quidem nil magis dolet, quam quod hominis tam perfidi aſpectu mihi oculos inceſtare contigerit.* De his ubi *Guelius* regem *Tangu* docuit, ſeque operam perdere; vehementer iratus, captis contra jus gentium legatis, *Suum* in ſubterraneam ſpecum detruſit, à cibo & potione abſtinendum. Scribunt eum aliquot diebus ibi famem pellibus ac pilis, ſitim vero nive depuliſſe. Pellibus autem animalium abundat ea regio; quibus ad veſtes, ocreas, ephippiaque conficienda utuntur *Tartari.* Qui proinde, unde inediam ſitimque toleraret, ignari ac velut rarum aut divinum ſuſpicientes eum extrahunt, & ad Boreum mare, quod *Han Hai* Sinæ indigetant, dimittunt, oviumque & caprarum, queîs ad ſacrificandum utebantur, paſtorem faciunt. Ibi novemdecim ipſos annos vixit; quibus exactis in Sinam, unde venerat, rediit. Ait hiſtoricus Sinenſis eum à *Tartaris* ſupra mare poſitum fuiſſe. Qui loquendi modus inſulam aliquam in mari denotat, vel in lacu illo magno, quem in ſuis tabulis etiam *Hanhai* Sinæ vocant. Fortaſſis eſt illa inſula, quæ Plinio *Tarata* dicitur. Ex his præterea, quæ cum hic tum ſupra de *Kiupingo* dixi, ad Boreum uſque mare perveniſſe; facile fortaſſe ſolvatur dubium illud, Vndenam fuerit navis illa *Indica*, quæ in *Germaniam* appulit, conſule in *Gallia Metello*, & collega *Afranio*. De cujus adventu Rex *Sueciæ*, miſſis etiam aliquot captivis *Indis Metellum* admonuit, ut refert *Cornelius Nepos*. Fortaſſe per *Anian* fretum *Hiaouus* Imperator ſupplementa

Legati fides.

è Duce paſtor.

Navis Indica olim in Germaniam appulit.

menta idque genus alia ſuis ſubmittebat; unde credi poſſit, aliquam navim vi ventorum abreptam fretum; quod Naſſavium vocant hodie Geographi, præteriiſſe, atque inde Samojedæ ac Ruſſiæ littus prætervectam in Sueciam appuliſſe. Pro certo tamen nihil affirmare ſuſtineam, ſitne fretum *Anian* in rerum natura, an ſecus. Sed ad noſtram redeamus hiſtoriam.

Imperator de captivitate legatorum certior factus, maximis viribus in *Tartaros* movet. Vndecim fortiſſimis exercitibus conſtabat hæc expeditio. *Tartari* tantam vim non ferentes ad montes iterum ſe proripiunt. Tunc Imperator terris eorum vaſtatis omnibus, dimiſſis libellis *Tartaros* ad pugnam provocat in hæc verba: *Ipſe ego Imperator adſum; pugnate mecum; ſi viri eſtis; me victo Imperium, quod adhuc toties vexaſtis, feretis præmium.* At enim cum videret, *Tartaros* cavernis ſuis ſe montibuſque tenere; domum rediit, ad reliquias belli relicto *Lao* duce *Liquangi* nepote. Referebat *Laus* uſquequaque ſuum avum, militum amans eoſque tractans liberaliter. Equitandi ac ſagittas emittendi peritia nemo par ei reperiebatur. Quibus ex artibus Imperator eum etiam fortitudine credebat avo æqualem fore. Ac primo quidem illius inſigne ſpecimen edidit, feliciter contra *Tartaros* pugnando; à quibus tamen denique captus eſt. In monte igitur *Siunkio* illos adortus tanta clade affecit, ut Rex *Tangu* jam de ſuis rebus deſperaret. Sed nimius ejus ardor ac vis inconſulta, qua premebat hoſtem, victoriæ curſum inhibuit. Illum namque per montes, qua impedimenta progredi non poterant, inſecutus, ſagittis tandem atque annona laborare cœpit. Quodque pejus fuit, nihil horum ſubvehi poterat, quo *Tartari* viarum peritiſſimi montes à tergo cuſtodiis clauſerant. Ea penuria primo *Quoncanium* Sinicum ducem, qui ad *Tartaros* transfugerat, advertit. Vnde collectis copiis ſuis omnia intercludunt montium itinera, Sinicumque exercitum in valle quadam coarctant; in quem ex alto ſagittarum imbrem, immunes periculi effundunt & victores modo milites difficili loco deprehenſos truci-

Vndecim exercitus in unum hoſtem.

Sinarum clades.

trucidant, invitantes interim eos, ut ſeſe dederent. Multi ducum elegêre potius fortiter pugnando mori, quam ſe *Tartaris* permittere. *Laus* tamen ſuos allocutus, *Ad Imperatorem*, inquit, *victus redire non audeo; & hîc, ubi defenſioni non eſt locus, miſere perire velut oves non convenit. Brevi fortaſſis affulgebit occaſio, qua de* Tartaris, *inter eos agens vindictam ſumam.* Ita ſe cum ſuis, qui ſupererant, dedidit.

& deditio.

Hæc clades Imperatorem jam ſenem fregit, abſiſtentem *Tartaros* ultra montes perſequi. Terris tantum intra montes Sinicumque murum optime providit, ut ab illorum incurſionibus tutum ſaltem ſervaret Imperium. Sub hæc *Cienus* ſummus tribunorum militarium præfectus, *Lai* amicus, documentum dedit, quam periculoſum iratos Principes alloqui. Nam cum rumor de *Lai* ad *Tartaros* defectione, ad Imperatorem allatus eſſet; ipſe forte adſtans & amico favens *Novi*, ait, *adhuc* Laum *parentibus ſuis ſemper obſequentiſſimum fuiſſe. Non raro etiam pro Imperatore fortiter egit, vitamque ſuam magnis periculis expoſuit. Qui talis eſt, perduellis eſſe non poteſt. Nec ejus ego malitiæ, ſed neceſſitati factum iſtud imputo. Quin illud fortaſſe meditatur, ut deluſis ſpecie deditionis* Tartaris, *ſuum dedecus illorum cæde aboleat.* Hæc loquentem Imperator iratus duci in carcerem jubet, multarique pœna, quam *Fuhing* appellant, abſciſſis illis corporis partibus, quas natura velavit.

Excuſatio amici graviter caſtigata.

Dum hæc agerentur, Imperium frequentibus latrociniis infeſtum eſſe cœpit in iis maxime oris, qua Sina Orientem ſpectat. Plebs enim ab iis, qui reditus ac tributa exigebant, opprimi ſe queſta, ſeceſſione arma induerat. Sed hæc peſtis in quibuſdam locis brevi ſuppreſſa eſt. Cum enim ſine duce eſſent & armorum tractandorum imperiti, facile victi ſunt rebelles. Tantus autem deletus eorum eſt numerus, ut ipſum etiam Imperatorem ſeveritatis pœniteret, dolentem de obtenta victoria, in qua ſibi victo ſimilior videbatur, quam victori. Verum ut in poſterum his populi malis mederetur; optimas ac ſeveriſſimas leges tulit, quibus exactorum ſævitiam reprimebat. Et quia multi adhuc

Rebelles deleti.

rebelles

rebelles ſupererant in aliis locis; edixit, ne quem milites vel Præfecti necarent, niſi ubi plures quam duo millia in armis eſſent. Deinde omnibus ad ſe redeuntibus culpam condonabat. Quo factum, ut omnes à ſe mutuo diſtraherentur tum metu, tum remiſſæ pœnæ ſpe allecti, ac domum redirent. Hac arte & Imperium à latronibus perpurgavit, & populum Imperio ſervavit.

Anno ante vulgarem Chriſti Epocham octogeſimo quarto è concubina *Filingum* filium alterum ſuſcepit Imperator, poſtquam priorem *Guejum* appellatum è legitima conjuge ſuſcepiſſet, & alios è concubinis. Hunc *Filingum* natum ſcribunt poſt decimum quartum à conceptione menſem, quod Imperator in optimum omen accepit, & hanc ob cauſam illum ſemper unice dilexit. *Iaum* enim alterum futurum ſperabat; quem antiquiſſimum juxta & ſanctiſſimum Imperatorem poſt totidem à conceptu menſes in lucem editum ſcripſimus ſuo loco. Sed omen illud ſiniſtrum fuiſſe Imperatori eventus oſtendit. Hic enim ejus amor, quo in *Iaum*, & *Chiungi* Præfecti cujuſdam odium, quo *Guejum* principem proſequebatur, turbas in Imperio excitavit. Nam ab his duobus initiis profecta calamitas *Guejum* Principem Imperatoremque vexavit.

proles nata poſt 14. menſem à conceptu.

Accidit enim, ut in urbe regia multi ac præcipue mulieres maleficis artibus carminibuſque plurimum ſe dederint; quibus virorum præſertim animos excantabant, ſeque venuſtiores quam erant mentiebantur. Ex his nonnullæ in *Gueii* Principis irrepſere palatium, ſed ignorantis; quippe quem bona indole ac pium ſcribunt fuiſſe. Sed cum jam ad virilem ætatem perveniſſet, his præſtigiis faſcinatus totum ſe voluptatibus dedit. Inter reliqua memoriæ proditum eſt, inventam hîc medicinam fuiſſe, *Kuam* Sinis dictam, quam ſiquis forte propinatam ſumeret, ita mulieris propinantis amore capiebatur, ut ſine illa eſſe non poſſet. Varias etiam ægritudines imo & mortem efficere, queîs vellent, poterant. Hac medicina *Lium* Imperatoris filium è concubina genitum ei novemdecim non amplius annos nato, cum uxore, filiis ac filiabus, ſalvo duntaxat uno nepote, interiiſſe reperio. Cauſam tot funerum referunt

Præſtigia ac philtra apud Sinas.

runt in ſimultates, quæ *Lium* inter & *Guejum* erant,& præcipue in mulierum æmulationes; inde *Lium* à fautricibus *Gueii* toxico ſublatum, *Gueio* tamen, ſi fas eſt credere, inſciente. Ajunt præterea ligneas quaſdam ſtatuas ab his magis eſſe defoſſas, quibus ſupra terram, ubi latebant, ſacrificantes, præſertim mulieres meliorem locum ac ſortem petebant. Inde tamen inter ipſas veneficas nata eſt diſcordia, cum quæque alteri invideret, quod ipſa non poſſet obtinere. Hinc rixæ, hinc æmulationes, hinc mutuæ demum accuſationes Quæ res poſtquam ad aures Imperatoris pervenit; cum eam primo nullius eſſe momenti putaret, nec fidem nec remedium adhibuit. At ſubinde cum ſecundum quietem ligneas magno numero ſtatuas baculos manibus tenentes videret, à quibus vapulabat; expergiſcens tanto affectus eſt horrore, ut ægritudinem inde conceperit, ex qua nunquam poſtea bene convaluit.

Odium cauſas accuſandi ſubminiſtrat.

Chungus Gueii capitalis adverſarius,hanc illius perdendi occaſionem nactus, Imperatorem conveniens, *Nullum mihi dubium eſt,* inquit, *quin tibi, ô Imperator, propinata ſit peſtilens medicina. Suadeo proin, ut his tam perniciosis artibus obviam eas, ne majoribus in dies augeamur damnis.* Hoc audito Imperator ei dat negotium, ut ſecretiſſime inquirat, in conſcios animadvertat,& tandem, qui quævecunque noxias artes ſequerentur, exſtinguat & funditus deleat. *Chungus* nulli operæ parcens, denique palatium *Gueii* Principis ingreditur; ubi multas & ſtatuas & ſagas reperit. Vnde ad Imperatorem rediens. *Nuſquam,* ait, *plures ſtatuæ inveniuntur & ſagæ, quam in Principis palatio.* Addidit inibi *Kuæ* quoque medicinæ ſe reperiiſſe officinam. Se autem ad eam rem conferre non audere majorem diligentiam, ne in Principem malum redundaret, in quem nihil juris haberet. Interea tamen Principem arctiſſima tenet cuſtodia, omneſque vias intercludit ei, ne qua elapſus ad Patrem,tuta fide rem aperiret. Non fefellit Principem ea machinatio. Quare non mediocriter verens *Ghungi* nequitiam, peſſimum accipit ab ira conſilium; illumque ad ſe vocatum cum Præfectis ei faventibus,quibus hujus inquiſitionis cura demandata erat, omnes per famulos

Malum in authorem redundat.

mulos ſuos necat. *Chungum* vero ſua ipſe manu obtruncat, ita prius increpans. *Perfide! non ſatis tibi erat hucuſque in Imperio contra patrem meum multa nequiſſime machinatum fuiſſe, niſi etiam diſcordias illum inter & me ſereres? Morere, perfide, morere! à multo jam tempore vivis, indignus vita, morte digniſſimus.* *Suuenius* unus è Præfectis ſolus evaſit incolumis, & Imperatori rem omnem expoſuit. Princeps interea, quo patris vitaret iram, primum profugit è palatio. Imperator multos miſerat, qui eum ad ſe vocarent. Sed, ut erant à *Suuenio* edocti, omiſſa legatione, ad Imperatorem redeunt, nunciantes *Gueium* rebellem copias cogere, queîs regiam urbem capiat. Imperator miſſo juſto exercitu ex urbe regia; imperat ut filium capiant vivum, ſi poſſint; ſin, eum una cum ſuis necent. Facile illis militibus fuit, paucos Principis ſervos & inermes in fugam dare; ſed ab iis captus eſt nemo, nec ipſe Princeps. *Confictum ſcelus.*

Tres interea ſenes Philoſophi ac Præfecti ad Imperatorem ſchedium dant, in quo tota hujus tragœdiæ luculenter exponebatur hiſtoria. *Chiungi* nequitiam ac malas artes deteſtantur; Principis vero factum, ut erat, explicant. Negant ab eo militem ullum colligi aut collectum eſſe; rebellionis crimen ei nunquam in mentem veniſſe, nec alieno unquam à patre fuiſſe animo; quicquid fecerit, neceſſitatis crimen eſſe, non voluntatis; nec aliud ſpectaſſe, quam, ut odia *Chiungi* vitaret ac fraudes, qui falſis Principem circumveniebat criminibus, nulla purgandi ſui relicta facultate, ne ad patrem adiret, impediens; ſeque à multo tempore ſcire liquido, *Chungum* ac Principem ſimultates & odia exercuiſſe; quæ vero per magos agebantur, illo neſciente acta, & mulierum, non Principum eſſe crimen. *Pugnatur à Philoſophis.*

His utcunque placatus Imperator deſiit filium perſequi; non tamen ad ſe vocavit, nec indubitanter innocentem data venia pronunciavit; quod eum illa caritate, qua debebat, haud diligeret, in *Filiugum* omni affectu tranſlato. *Guejus* videns, ſe non admitti nec revocari, ſibi guttur ipſe præſcidit, ut verior eſt opinio; licet alii ſcribant ad *Tartaros* profugum ſalutem ſuam in tuto poſuiſſe. Quippe mortuo Imperatore quidam è *Tartaria* *Mors ultronea filii.*

taria venit, qui ſe *Guejum* ferebat, ut in ſubſequenti Imperatore narrabo. Imperatrix audita filii morte, ſuſpendio vitam finiit, dolori ſuccumbens, & amiſſo filio ſupereſſe nolens, ne alteri ex concubinis, cujus filius imperium obtineret, ſubjicere ſe cogeretur. Interea de magis ſevera inſtituitur inquiſitio; reperiuntque præfecti, *Guejum* carere crimine, atque à *Chungo* in multis falſo accuſatum & nequiſſime læſum fuiſſe. Quam ob cauſam Imperator cognita ejus nequitia, quod in illum jam mortuum animadvertere non licuit, totam ipſius ſtirpem delevit; *Suuenium* vero conſcium vivum exuri juſſit. Deinde, ut *Guejum* filium fleret, in quodam palatii lacu domum exſtruxit, in qua eodem fere modo, quo *David* filium *Abſolonem*, queſtu defunctum proſequebatur. Ex quo deſiderii & exſpectationis domus eſt nominata. Imperium quoque univerſum, nunciata *Gueii* Principis ſorte, luxit.

& Matris ob filium.

Domus deſiderii.

Poſt hæc Imperator etſi valetudinarius, anno ante obitum tertio, abjectis aliis curis, agriculturæ ſe dedit. Ibi terram ipſemet ferro ſubigere, glebas frangere, jactare ſemen ad Imperii totius exemplum. Tum agri colendi peritiores undique conquirens, per totum Imperium ire jubet, ac reliquis vera agriculturæ præcepta tradere. Illi opportuniora inſtrumenta habilioraque ad rem agrariam repererunt, multaque alia præclara, quæ ad agriculturam ſpectant, ſub Imperatore agricola, inventa ſunt. Vt jam mirari deſinam, ab aratro quondam ſordidatos aliquos ad Imperium aſcendiſſe, cum videam Imperatores ab Imperio ad aratra deſcendere, imo cum ipſo Imperio aratrum etiam gubernare.

Agricultura ab Imperatore exculta.

Fuit, cum convocatos magiſtratus ac Præfectos omnes alloqueretur in hunc modum. *Nihil non expertus ſum*, inquit, *eorum, quæ vitæ mortalium evenire ſolent. Bella multa confeci, regna obtinui; ſed ſine dubio cives interim meos in multis offendi vexavique. Vix enim fieri poteſt, ut bella reges gerant, quin ſuos vexent, etiamſi occupent aliena. De me quidem fateor, in multis me deliraſſe. Verum quæ facta ſunt, quæ revocentur & infecta fiant, via nulla retro eſt. De his modo loquendum non eſt, ſed dolendum. Cur vos adeſſe velim, illud eſt, ut plane atque ex animi*

Studium audiendi veritatem.

animi ſententia, procul aſſentandi obſequio dicatis, num quid adhuc fiat in Imperio, unde populus opprimi ſe, jure queri poſſit. Hoc, inquam, libere mihi dicatis velim; ut, ſi quid eſt, quod emendatione indigeat; id quam primum aboleam. Hic unus è primis Præfectis *Cincineus* nomine, *Multos non modo audis*, inquit, *verum etiam alis, qui de proganda vita præceptis diſputant. Hoc ô Imperator, probare non poſſum. Quantum in hoc laboraviſti? quantos ſumtus feciſti? Minimo tamen minus adhuc effectum eſt; quin imo mendaces & impoſtores fuiſſe vel ipſe nunc agnoſcis. Ætas te tua, jam decrepita, jam morti vicina moneat, ut his tandem finem facias. Hoc nihil gratius nobis potes facere, nihil quod optemus magis.* Tunc Imperator, *Sic eſt, ut ais*, ſubjicit; *adhuc ab iſtis impoſtoribus deceptus fui, ſed mea culpa nimium illis credentis. Nunc experimento plus uno fraudes eorum ac mendacia deprehendo. Iam proxime abſum à morte, quam vitare poſſe ſperabam. Multum in hoc deliravi; maximos ſumtus feci; quibus hoc unum conſecutus ſum, ut à canis meis ægritudinem hucuſque arcuerim. Et in hoc valere hanc artem non dubito; ad immortalitatem vero comparandam minime. Quanquàm ne ſic quidem culpa careo, qui, cum unus artis magiſter ſuffeciſſet ad tuendam valetudinem, magnis impenſis eorum greges aluerim. Sed nunc, ut ſuades, hos impoſtores miſſos faciam; neve alii me decipiant, eorum arti per Imperium nec locus nec uſus eſto.* Itaque interdixit omnibus, ne illa uſquam uterentur; ſed penitus delere non potuit. Nam hodieq; fidem apud Sinas habet.

Inter hæc *Tanus Yenis* regni regulus Imperatoris frater, videns eum eſſe jam ſumma ſenectute, nullumque habere filium id ætatis, quæ ad gerendam remp. maturuiſſet; miſſa legatione petiit, uti ſe ad mitteret in palatium, quod idem erat atque imperii ſucceſſionem expetere. Imperator petitionis inſolentiam indignatus, fratris legatos necari jubet. In ipſum porro nihil molitus eſt; ſed ut omnem faſtigii ſpem ei præſcinderet, *Filingum* filium ſeptennem, ſucceſſorem declarat. Nam hunc, uti dictum, amabat impenſe, & quia in eo ætatis flore jam robuſto erat corpore, firma membrorum conſtitutione, optimoque ingenio, ab omni-

Legati ambitioſi fratris necati.

omnibus amabatur. Rei cardo in eo verſabatur, ut bonum ac fidelem tutorem illi reperiret; & quoniam à multo jam tempore *Quangum* noverat *Kiupingi* fratrem, fide ac prudentia inſignem, hanc ei tutelam decrevit. Quod ut fieret rectius, totam *Cheucungi* qui ſub *Cheua* familia, ut diximus, optimus Imperatoris *Chungi*, tutor fuerat, hiſtoriam in cubiculo, in quo ſomnum capiebat, depingi curat. *Keuyam* deinde *Filingi* matrem de multis criminibus fictis veriſque increpitam addixit morti, quam ipſa ſibi conciſceret. Admirantibus qui aderant, inſolentiam hujus judicii, quo filius imperare, mater mori juberetur; Imperator ita reſpondit: *Quod modo ago, poſt intelligetis. Vſque ad hoc tempus, ut noſtræ narrant hiſtoriæ, ſæpe turbatum eſt à matre pueri Imperatoris, imperium. Tales feminæ plerumque inſolenter efferentes ſeſe puero contemto ſibi arrogant imperium, voluptatibus ſerviunt, omnia pro libidine agunt. Nemo eſt, qui eas coërcere poſſit. An* Liuheuæ, *quæ atavi mei conjunx fuit, hiſtoriam ignoratis? Moriatur igitur hæc, ne turbet imperium.* Adeo nec proximi ſanguinis commiſeratio barbaros movet.

Filius regnum obtinet, mater mori jubetur.

Ceterum ingraveſcente jam morbo, *Quangus* ad Imperatorem viſendum ingreſſus, & animo commotus acerbiſſime flevit. Tum inter lacrymas eum affatus, *Nihil, ut video, jam eſt,* inquit, *quod ſperes. Ad eum namque rerum tuarum articulum veniſti, quem nec tua virtute, nec totius Imperii potentia mutare potes, ineluctabili reip. malo. Hoc unum ſupereſt, ut nobis dignum te, dignum imperio ſucceſſorem relinquas.* Tunc Imperator in ipſa morte ſui ſimilis decretique conſtans. *An hic denuo depictam hiſtoriam contemplatus es?* inquit; *ecce* Filingum *filium imperii heredem eſſe jubeo, tu tutor eſto; quod omen Cælo placeat! alterum* Choungungum *futurum credo.* Cujus verba *Quangus* excipiens, *Meliorem*, ait, *me quære; neque hunc erit operoſum invenire.* Kin Gelius *eſt ille; huic munus iſtud debetur, qui virtute ſuperior eſt omnibus.* Forte *Gelius* adſtabat, & ad ſui commendationem præfractus, *Id ego vero nullo pacto,* inquit; *admittam. An ignoras me non Sinam ſed exulem eſſe* Tartarum? *Cujus rei fiducia Sinis me præferri patiar* ſapien-

ſapientibus? Imperator amborum modeſtia lætus, mox *Filingum* imperii ſucceſſorem pronunciat, qui modo ætatis octavum expleat annum. *Quangum* vero ſumma donatum præfectura, dat filio tutorem; *Gelium* ſupremum militum ducem creat. Ita duobus his Præfectis optimis filio contraditis ſatis cautum credebat; ipſi poſterus dies ſupremus fuit. Erat *Hiaouus* Imperator nulli ſane ſecundus in Sinis; ſed in ſectandis longioris vitæ præceptis pluſquam aniliter ſuperſtitioſus. Cujus adipiſcendæ cauſa illis hominibus qui æternum victuri dicebantur, ſumtuoſiſſima templa non modo intra fines imperii, ſed foris etiam conſtruxit. In quibus *Camboyanum* illud eminet, ſexies mille conſtans columnis lapideis, ab hoc, niſi me conjectura fallit, etiam Imperatore exſtructum. Scribunt enim Sinæ, ad Libycum ab eo ſtructam eſſe magnificam ædem, pro qua ſinguli Præfecti ſingulas columnas miſerint ex eodem ſaxo, eademque magnitudine, ornatas croceo ſerico, quo magis Imperatori arriderent. Hinc Imperator iſte nulla ſua injuria idololatriæ apud Sinas autor dici queat; licet ea ſecta, quæ apud Sinas etiam nunc hæret ac metempſychoſim, ſive animarum ex uno in aliud corpus tranſitionem admittit, poſt Chriſtum natum in Sinam infuſa ſit. Sed de hac in ſecunda Decade, Deo favente, plura. Ante hunc autem Imperatorem apud Sinas erat una omnium communis religio, quam literatorum ſeu Philoſophorum vocant. Non quod à *Confutio* ſit inventa, quia multo ante hunc Philoſophum exſtitit; ſed ab illo compoſita. Nulla idola agnoſcebat ea ſecta; unum & ſolum numen venerabatur. *Xanti* nominatum, ut jam docuimus. Exin paullatim in errores lapſi Sinæ multos homines colere cœperunt, ut Heroas. Præterea montium fluviorumque ac rerum aliarum ſpiritus tutelares venerabantur. Ac primum quidem homines non è vulgo, ſed facinore aliquo inclytos exſtructis fanis proponebant in exemplum, ut etiam nunc faciunt; non tamen inſtar Numinum eos adorabant. Etſi poſtmodum aliquid numinis antiquis ſtatuis ineſſe credens poſteritas, eis Numinum honorem habuit. Parentibus etiam atque

Templum miræ magnitudinis.

Parentibus mortuis habiti honores, ſed non divini.

cognatis ab hujus gentis incunabulis hucuſque templa ſemper exſtruxere, *Sutang* dicta; nulla tamen impoſita ſtatua vel figura. Id eo fiebat, ut ex obſequio, quod vita functis impenditur, diſcerent filii; quo modo parentibus vivis eſſet obſequendum. Nullus ibi Numinis cultus, ſed tantum civiles ceremoniæ. Id adeo patet vel ex ipſo Confutio; qui pluribus locis boni regiminis formam ex his cerimoniis pendere docet; ex ordine autem, qui in illis ſervatur, ordinem inter principes, Præfectos ac ſubditos colligit; è ritibus ritus, quibus regnum gubernandum; ex obſequio obſequium, quo parentes, ac majores noſtros afficere Principeſque debemus. Affert id genus alia multa; ex quibus ſatis conſtat, Sinas non adeo hebetes eſſe, ut paullo ante mortuum avum vel patrem matremve, filium, fratrem aut ſororem vel denique alium quemcumque conſanguineum, ut Numen venerentur. In aula vero illa (ſic Sinæ nominant) omnium ſunt ſcripta nomina totidem tabellis, quot ſunt mortui ex una quapiam familia; non unius tantum aut alterius. Vnde potius grati animi memoriam his cerimoniis ſe referre docent. Neque vero eſt ſimile, omnes ſuos ab illis Numinis loco coli; cum iſtæ jam aulæ fuerint, quo tempore nulla dum admittebant idola, quæ nec jam ſecta Philoſophorum admittit.

SINICÆ HISTORIÆ LIBER NONVS.

VII. Imp. HIAOCHAUS.

Imperavit annis XII.

Cyclo 44 *anno* 32 *ante Chriſtum* 86.

HVjus Imperatoris etiamnum pueri mira indoles ac præcipue ſupra ætatem prudentia ac perſpicacitas fuiſſe ſcribitur ab hiſtoricis Sinenſibus; adeo ut dicere audeant vix aliquem ex Imperatoribus ſuperioris memoriæ parem his dotibus habuiſſe.

habuiſſe. Sed ut plerumque fit, magna non ſeneſcunt, & præcocia non durant. Id expertus eſt hic Imperator; qui anno imperii duodecimo fatis conceſſit, toti Imperio magnum ſui deſiderium relinquens. Nonum attigerat ætatis annum, cum ad clavum accederet reipublicæ, licet in tutela *Guangi* eſſet. Initium principatus, matris honores fuere; quam vita functam Imperatricis titulo ſtatis ceremoniis ornavit. Mox capitalibus cauſis *Payum* præfecit, aptiſſimum ad hoc munus virum. Quo munere ita functus eſt, ut ab omnibus laudaretur. Iuſtitiæ tenax fuit inprimis, ſeverus, at non crudelis. Multum ad hoc ei mater profuit; quæ quotidie interrogans domum redeuntem, quot homines vivos emiſiſſet è carcere, quo plures audiebat, eo lætior filium amplectebatur. At ubi ſecus factum comperit, & aliquos affectos ſupplicio; cibum ei negabat, *Iudices oportet*, inquiens, *hominum ſervare vitam, quoad ejus fieri poteſt, nec reum morti addicere; quæ tum demum erit pro ſupplicio, cum reliqua remedia improbitas vicerit. Facile namque hominem mori; at naſci difficile, difficilius creſcere.*

Matris Imperatoris clementia.

Primo Imperii anno quidam adfuit veſtitu & inſignibus *Gueii* Principis ſuperbus; qui ſe *Guejum* ipſum Imperii heredem jactabat. In confinibus *Tartarorum* primum viſus, inde Sinas ingreditur. Nemo tamen eum, Imperatoris metu, excipere audebat vel admittere; ſed nec omnino ſpernebatur. Re ad *Puyum* tandem delata, *Gueius* ſive fictus ſive verus capitur. Nec mora; fert ſententiam in eum *Puyus*, ut medius ſecetur. Sententiæ cauſam mandavit verbis hujuſmodi. *Profugiens filius patrem maximo mœrore affecit utique non ob aliud, quam quia illum offenderat. Nam cur clam aufugit? cur triſtiſſimo ipſius cauſa parenti nullum de ſe indicium fecit? Credatne quiſquam eum vivere, de quo tot annis nihil unquam auditum? quem Imperator, quem Imperium univerſum luxit, ut mortuum? ſed vixerit adhuc ſane; ſi vere mortuus non eſt, mortis tamen jam reus eſt, quod tam tarde rediit, patremque juſto ſolatio privavit. Quam ob rem necandum cenſeo pronuncioque; verus an fictus ſit, ſcelere non vacat.*

Quidam pro Imperatoris filio reduce ſe vendens.

Morti adjudicatur ut impoſtor.

Anni ejuſdem menſe nono diem obiit ſupremum

Gelius

Gelius ſummus militum Præfectus magno cum Imperatoris dolore; qui duos ejus filios ob patris merita inſigni præfectura ornavit. Vnus *Xangus*, *Kienus* alter appellabatur. Eodem vero menſe probis ac doctis aliquot viris ſummo ſilentio totum Imperium luſtrandum commiſit, diligenter juſſis inquirere, ſi quid uſpiam eſſet correctione dignum; præcipue ſi quid noxium populo vel grave judicaretur. Anno ſecundo *Quangum* fideliſſimum tutorem ſuum, Regulum ſibi tributarium creavit *Poloum* dictum.

Magna Imperatoris in egentes cura.

Tertio ejuſdem anni menſe, quod annonæ ſterilitas inceſſerat Imperio, edixit, ut quibus res lauta domi alimentaque plura, quam quæ habebant neceſſaria, ſuppeterent, egentibus mutuam oryzam darent; quantum victui ſementique ſatis foret; hac lege tamen, ut meſſis tempore, quæ acceperant, cum fide reſtituerent. Quod ut melius fieret, prohibuit, ne quis venderet oryzam aut emeret, ſed mutuam tantum darent & acciperent. Vbi autem meſſis tempus advenit, quis acceptam oryzam redderet, edixit; ſe namque ſolutionis loco tributa omnia ex agris pendenda omnibus remittere. Ita præclare pauperum neceſſitati per divites providit, ea tamen moderatione, ut nec iſti conqueri poſſent ſibi aliquid ademtum, & illi nihilominus ſe accepiſſe gauderent.

Supra de *Suuo* à *Tartaris* ad Boreum mare vel lacum *Han* tranſmiſſo docuimus Ibi multum ab iis vexabatur, ut vel ſic fidelem illius animum expugnarent, & ad ſua ſigna ſequenda traducerent. *Tanyu* præterea rex *Loum* ducem, quem ad *Tartaros* defeciſſe diximus, ad *Suuum* miſit, ut eum verbis exemploque ſuo ad defectionem ſolicitaret. Ad quem ubi pervenit *Laus*, ſic eum alloquitur. *Nemo miſer odit ſolatium; & facile, quaſi ros matutinus, excitatur, qui facet, ut vigere velit ac felix eſſe. Tu vere, dux optime, cur te ipſum ſic affligis? cur tam indigna pateris? cur virtutem tuam tenebris damnas, per quam apud* Tartaros *in luce verſari licet, opſeque ac magnos honores conſequi?* Cui *Suuus* ſumma fide, pari conſtantia, *Ego*, ait, *non ſecus ſemper in Sinicum Imperatorem pius fui, quam filius in patrem*

eſſe

eſſe debet. Atqui filio in patris cauſa non modo pati aſpera; ſed vel mori eſt dulce; non dolet, nec conqueritur. Motus hac conſtantia *Laus*, ab imo ſuſpirans, *O fidelem*, inquit, *& recti tenacem virum! nunc meæ perfidiæ crimen quantum fuerit agnoſco; cujus inſignis & manifeſta improbitas cœleſtem iram in me ultionemque laceſſit.*

Inter hæc Imperator legatos iterum ad *Tartaros* miſit, qui *Suuum* reducerent ac reliquos novem Sinas, ſimulque de pace cum *Tartarorum* rege tractarent. *Tanyus* rex remiſſis reliquis ne *Suuum* etiam reddere cogeretur, mortuum perhibuit. At unus ex adſtantibus ſecreto legatos monuit de loco, in quo *Suuus* attineretur. Tunc acutiſſime legatus ita regem affatur. *Imperator noſter nuperrime ſilveſtrem anſerem in venatione occidit, ſub cujus alis eſt inventa ſchedula* Suui *manu ſcripta, in qua Imperatorem docebat ſe in* Hanhai *paſtorem eſſe.* Obſtupuit ad hæc verba rex *Tartarus*; cumque *Suuum* occultare non poſſet amplius, illum quoque legatis tradidit. Ita *Sinas* inter ac *Tartaros* pax convenit; qua fruens Imperium ad ſtudia literarum ceteraque pacis ornamenta refloruit. Imperator redeuntes legatos lætus excepit. Cognita vero *Suui* fide atque conſtantia, veneranda canitie conſpicuum amplexus, quo præmium tantæ virtuti debitum tribueret, Regulum fecit, & tanquam Heroi ad aliorum exemplum ſummos honores habuit, vacca ſolitis cerimoniis ante illum occiſa.

Argutum commentum.

Vacca honoris cauſa occiſa.

Quangus autem etſi omnes fideliſſimi tutoris partes impleret, magna prudentia & æquitate rebus Imperii providens, puerumque Imperatorem ad omnia ſolertiſſime inſtruens; tamen, ut fit in magna fortuna, efficere non potuit, quin multorum & maxime ſibi ſanguine junctorum odia incurreret. Nam cum dignitates & honores ambirent, nec eum votis ſuis obſequentem haberent: quippe munera non ex ſanguine aut gratia, ſed ex meritis cujuſque diſpenſantem; iræ impotentes de *Quango* ſimul & Imperatore interficiendo quam poſſunt ſecretiſſime cum *Tano* tractant conſilia. *Yen* rex is erat, qui ſibi debitum Imperium credens, cogitationem illius turbandi nunquam depoſuit.

Invidia & æmulatio inter propinquos.

ſuit. Primo igitur *Quangum* apud Imperatorem in perfidiæ ſuſpicionem vocare per ipſum *Yenem* regulum aggrediuntur. Illius enim nomine litteras ad Imperatorem dant, inferentes *Quango* multa crimina, ſuper ſummum illud, quod in Imperatorem neſcio, quæ mala machinaretur. Non latebat *Quangum*, hanc epiſtolam Imperatori traditam fuiſſe. Quare poſtero die palatium ex more ingreſſus Imperatorem non convenit, ut debebat; ſed foris in prothyro quodam manet.

Imperatoris prudentia.

Imperator notatâ ejus abſentia, & ubi ſit *Quangus*, adſtantes interrogat. Aderat forte *Ganus* inter cæteros, *Guangi* gener quidem, aut unus è conjuratis. *Hic ergo, Quia ſcit,* inquit, *ſua crimina tibi à* Tano *rege detecta; idcirco apparere non audet, ſed foris rei exitum exſpectat.* Imperator confeſtim mittit, qui *Quangum* introduceret. Ille non aliter ac reus, ſine pileo, poſitiſque præfecturæ inſignibus ingreditur. Quod ubi notavit Imperator; *Veſtes tuas*, inquit, *ac pileum reſume. Hanc ad me datam epiſtolam ſuppoſititiam eſſe falſamque jam cognovi. Tu innocens es & mihi fidelis. Ficta vero eſſe, quæ hac epiſtola continentur, luce meridiana magis liquet.* Quo enim pacto in *Yen* regnum hæc ad *Tanum pervenire potuerunt, cum hic nonnulla legam, quæ nondum decem ab hinc dies contigerunt?* Erat tunc Imperator annos quatuordecim natus, & hoc ſagaci reſponſo admirationem omnibus movit. Aulicos deinde ſimul omnes allocutus, *Nemo* ait, *in poſterum audeat fidiſſimum mihi Præfectum à patre meo mihi tutorem datum accuſare. Qui enim fidelem accuſat, is eadem opera ſe prodit infidelem. Nunc quidem in iſtius criminis reos & autores non inquiram; ut inpoſterum quiſque ſibi caveat, ne præ vero ſit invidiæ.*

Detecta conjuratio.

Poſtquam æmulis *Quangi* hoc ſtratagema non ſucceſſit; aliud ordiuntur. Id erat hujuſmodi. *Quangus* ab Imperatoris ſorore invitatus ad epulum per occultos ibi ſicarios erat necandus; eodem dein impetu dejiciendus Imperator è ſolio, ſubſtituenduſque *Tanus.* Sed tantum ſcelus ac perfidiam famulus, cujus opera propudioſa mulier volebat uti, detexit; *Quangum*que

*gum*que de periculo commonuit. Quare conjurati capti ſunt omnes, commeritoque ſupplicio affecti. Soror Imperatoris de ſe ipſa ſtatuit, & *Tanus* laqueo ſibi ſpiritum exhauſit. In hunc modum eſt exſtincta ſimul cum conjuratis omnibus hæc conjuratio. Nimirum ſæpe ſibi ipſi nocuit improbitas. Subſcripſit autem huic conjurationi etiam Imperatoris ſoror, quia cum uno ex conjuratis impudice vivebat; à quo rogata convivium inſtruxerat, turpiſſimo amaſio quam fratri fidelior. Vt intelligamus nihil eſſe tam fœdum, ad quod impudicam mulierem effrenata libido non deducat.

Secundum hæc, portenta quædam nunciata ſunt, quæ mortem Imperatori ex vaticinantium ingeniis minabantur. In maximo illo monte, qui *Tuixan* dictus *Xantung* provinciam nobilem facit, ingens repente lapis emicuit, erectuſque ſua ſponte ſtetit. E ſalicum præterea foliis vermiculi ad modum cicadarum volatiles enati ſunt, qui Sinicam vocem emittere videbantur. Ejus autem vocis hic erat ſenſus, *Pingus* regnat! qua *Pingum* imperatorem futurum demonſtrabant. *Hiaochaus* quidem imperator juvenis moritur, cum imperandi deberet initium facere. Nullum filium heredemve reliquit Imperio, ſed magnum ſui ob egregias naturæ dotes omnibus deſiderium.

Omina mortis.

Vermes loquentes.

VIII. Imp. HOUS.

Imperavit menſes VII.

POſtquam igitur *Hiaochaus* genito ex ſe ſucceſſore caruit; omnium ordinum conſenſu ad patruum ejus devolutum eſt imperium. *Hous* is fuit; qui vix principatum adierat, cum eo ſe indigniſſimum oſtendit. Nulla boni regiminis ei, nulla publicæ felicitatis cura; ſolis voluptatibus ac libidini ſervire, compotationibus totos dies inſumere. Dixiſſes ideo regendum imperium ſuſcepiſſe, ut depravaret, ſceleribus flagitiiſque uſque adeo contaminatus, ut nec adeſſet, non ſine ſummo omnium dolore ac ſenſu, cum *Hiaochao* juſta perſolverentur. Sero pœnituit *Quangum* cete-

Cyclo 44. *an.* 44 *ante Chr.* 74.

Imperator indignus imperio.

cæteroſque Præfectos talem elegiſſe; maxime dolentes & incertos, quid in tam inclinata republica caperent conſilii. Tandem *Quangus* ex intimo animi ſenſu *Tienyenum*, amicum ſuum ſalutans conſulit, quanam ratione ſit eundum obviam huic malo. Cui *Tienienus*, *Tu*, inquit, *in Imperio primas tenes; tu fulcrum Sinarum es & columna. Si ſe facit indignum* Hous *imperio; quemadmodum eum elegiſti, ſic rejice ac meliorem ex* Hana *familia ſubſtitue. Recordare, quid olim* Iynus Taikiao *Imperatore fecerit. Et tamen tantum abeſt, ut aliquis factum reprehendat, ut potius fidelitatem omnes laudent. Hunc imitare ſi Imperii, ſi* Hanæ *familiæ felicitas, ſi denique tui nominis gloria cordi eſt tibi. Sic enim* Hanæ *familiæ* Yynus *es futurus.* Tum *Quangus* nobiliores Præfectos convivio excipiens, & è re nata eos alloquens, *Omnia*, inquit, *iniquiſſime agit* Hous *ac perturbate. Quid fiet Imperio? profecto & illud perturbabit, & noſtram imperatricem familiam funditus exſtirpabit. In hoc diſcrimine quid agendum putatis, poſtquam ſalutaria non admittit monita?* Diriguere omnes ad hæc verba; & nemine loqui auſo, *Tienyenus* è menſa denique ſe proripiens, gladium, quo cinctus erat, ſtringit, & ad *Quangum* verſus, *Hiaouus Imperator Hiaochao te*, inquit, *tutorem dedit, ut Imperio provideres, illudque tua fide ac virtute pacatum conſervares. Quibus artibus ſi unquam alias, nunc certe opus eſt maxime. Vides enim totum Imperium periclitari; nec ab alio magis quam abs te remedium exſpectat. Si non mederis his malis; quâ fronte moriens* Hiaovuum *imperatorem ſub terra convenies? Hujus diei conſilium dilationem non patitur; nunc eſt conſtituendum, quid fieri placeat, ne majores turbas cieamus. Quiſquis huic meæ petitioni, juſte ſine, non reliquit locum, quæ unum ſpectat Imperii bonum; ſciat ille ſe hoc gladio periturum.* His dictis animati, ſimul omnes *Kingum* ſummum Palatii magiſtrum adeunt, exponentes conſilium. Hæſit ille primum attonitus; at unus omnibus reſiſtere non auſus, in eorum ſententiam concedit. Mox Imperatoris ſigillum ac cetera, quorum curam gerebat, illis tradit. Quo facto una omnes interius palatium ingreſſi, *Houm* imperatorem amiculo

Conjuratio procerum.

amiculo comprehendunt, nulla tamen affectum injuria moleſtiave; ſed honorifice palatio eductum, ad proprium *Chamye* regnum deducunt, hoc omnes uno ore profeſſi, ad hoc faciendum ſibi neceſſitatem impoſitam, quia tantum dedecus ferre non poſſet Imperium. Omnium autem erga malum Imperatorem odium effecit, ut nullus omnino motus exſtiterit; nemine illum auſo defendere. In hunc modum ex Imperatore regulus iterum tributarius factus eſt.

IMP. IX. SIUENIUS.

Imperavit annis XXV.

FVit *Siuenius Hiaoui* Imperatoris nepos, *Pingus* dictus; cujus patrem, matrem ac ſorores peſtilenti illa medicina exſtinctos eſſe diximus. Infans adhuc cum matre, quæ magiæ quoque arceſſebatur, conditus in carcerem eſt. *Hiaouus* enim cum ægro corpore eſſet, iratiſſimus magis non illos modo, qui eam artem exercebant, ſed & affines morti addixit; nec Imperatoris filiis aut nepotibus parcens.

Cyclo 44. anno 45. ante Chriſt. 73.

Imperatoris in infantia varium diſcrimen.

Dum in carcere cubaret *Pingus*; mors ei matrem abſtulit, quippe jam infectam toxico. Ibi ſine dubio moriendum infanti fuiſſet, niſi *Kieſinius* carceri præfectus cognoviſſet *Lium Pingi* patrem perinde ac matrem vacaſſe culpa. Quare illius commiſeratione motus, infantis curam ſuſcipit; & quia non licebat ſine conſenſu Imperatoris eum emittere ex carcere, mulierem intromiſit, quæ alimenta lactis ei daret. Neque hîc infantis ſeu periculum ſeu felicitas ſtetit. Nam regii mathematici Imperatorem admonuere, viſa ſibi ſupra carcerem ſigna regia & vapores ejuſmodi, qui prænunciarent intus aliquem eſſe, potiturum olim imperio. Fidem invenit apud Imperatorem prædictio; nec dubitans ex his aliquem ibi eſſe, cui cælum ac ſidera deſtinarent culmen, ſubito impetu omnes attentos in carcere mactari jubet. Adſunt carnifices; quos tamen *Kieſinius* ingreſſu prohibuit, cauſatus multos inſontes intus eſſe, quos occidere nefas, impium atque injuſtum. Satellites Imperatorem de repulſa monent;

Prudens factum Kieſinii.

nent; qui tum collecto ex præcipiti furore animo impium mandatum reſcindit, ac rem penitius conſiderans, *Si Cælum*, ait, *alteri ſceptra deſtinavit; quicquid agam fruſtra ero, nec unquam fata mutare potero.* Ita *Pingus* jam ſecundo ſervatus, ac poſtea tandem emiſſus è carcere, literis ac philoſophiæ Sinicæ egregie ſtuduit. Erat, cum *Hous* exueretur imperio, natus annos octodecim.

Itaque cognita illius doctrina & virtutis amore, omnium ordinum ſuffragiis adeptus eſt imperium. Erat ſuaviſſimis moribus, quieta placidaque indole; ac talis, qui miſericordiam adhibere poſſet ſuis. Quippe variis fortunæ caſibus jactatus, ſubditorum calamitates miſerari ſciebat, quia præſenſerat. Hic eſt ergo, quem in ſalicum foliis vermiculi prædicebant, ut Sinenſis ſcribit hiſtoricus.

Imperator ſuſurrones non audit.

Vt primum acceſſit ad gubernacula, non defuere, qui *Guangi* laudibus apud eum obtrectarent. *Houm* ab illo dejectum faſtigio contra leges, contra obſequium, quod Imperatori ſubditus debeat. Tali viro parum fidendum, qui tanta eſſet potentia, tantaque audacia. Proinde caveret ſibi *Quangum*que reprimeret, magnopere ſuadebant. Pronis quidem auribus hæc accepit Imperator, probe intelligens illud Principatus arcanum, Neminem aliquem magnum facere vel pati, cujus fortunam in poteſtate non habeas; verum, licet ei *Quangus* eſſet in metu, noluit tamen quidquam adverſus eum agere, multo minus ab officio depellere. Noverat illius virtutem ac fidem jam inde ab avo ſuo *Hiaouo* ubique celebratam; exemplum in amoto anteceſſore viderat, quod cum illis artibus pugnare videbatur. Itaque ſpem inter ac metum diſtractus elegit ſapientiſſime, timere potius, ut ſancte honeſteque viveret. quam ut à *Quango* ſecurus bonos dediſceret mores. Cujus tamen ingenium ut periclitaretur; noluit ejus filiam in uxorem, ſed tantum in concubinam accipere. *Hiuam* vero aliam adoleſcentulam matrimonio ſibi conjunxit uxorem. Hanc filiæ repulſam æquo animo tulit *Quangus*, ſeque totum ad Imperatoris voluntatem conformavit. Erat enim vir vere

Sapientiſſimum ejus conſilium.

bonus,

bonus, & Imperatori ante omnes fidiſſimus, qui nihil in Imperatoribus non amabat præter vitia. Vxor autem ejus nequiſſima & ambitioſa mulier marito uſquequaque impar, filiamque ſpretam indigne ferens multas turbas concitavit, ut in loco memorabimus.

Addunt Scriptores Sinici; quoties Imperator avorum aulam ingrederetur, comitante *Quango*, &, ut mos eſt, manibus ſyrma colligente, tam inſolito affectum horrore, ac ſi à tergo inſtaret aliquis, qui ferrum ei minaretur; alio vero id muneris obeunte Præfecto, metus omnis expertem inceſſiſſe. Præſagire videbatur animus, quanta calamitas eum à cognatis *Quangi* maneret. Nec fallebat ipſum hæc Imperatoris ex timore nata titubatio. Vnde ſummo ſe magiſtratu abdicandi domumque redeundi copiam petiit; quam tamen haud impetravit. Vt mirari ſane ſubeat, quo præſente paveret, eſſe ſine ipſo tamen noluiſſe. *Suum Præfectum metuit & retinet.*

Ex quo, ut diximus, illa contra *Hiaochaum* Imperatorem & *Quangum* orta ſeditio, ſeveriſſime hucuſque in conſcios ac rebelles inquirebatur. Multi ſpecie Imperatori ſerviendi privatas ulciſcebantur injurias. Quo factum, ut æque innocentes ac criminum conſcii necarentur. *Siuenius* ubi regnare cœpit, inquiſitionem continuo ſuſtulit, omnibus conceſſa præteritorum venia, ne quis in poſterum officio deeſſet ſuo; exhortans omnes ad concordiam & fidem. Præterea judices non paucos mutavit; eos dico, quos juſto ſeveriores cognoverat. Comperto autem *Hoangpum Honanæ* provinciæ præfectum mitem eſſe ac miſericordem, qui populum ſibi ſubjectum ſola virtute imperandique ſuavitate perbelle regeret, procul terrore pœnarum; in regiam advocatum ſummum tribunalis ejus, in quo capitales aguntur cauſæ, Præfectum creavit, etiam atque etiam monitum, ut, quantam poſſet cunque ſubditorum miſericordiam caperet. *Nam & ego*, ajebat, *inter meos ſubditos jam ſubditus fui, carceremque ab incunabulis expertus, ſcio, quantis malis vexentur ſubditi; quorum proinde convenit maxime miſereri.* Multa alia decrevit bono publico; non ignarus, quid ſit *Ejus clementia.*

parere dicto, quid imperare. Ac ſane optandum eſſet, ut omnes Principes, qui aliis imperant, quid ſit obedire, dignoſcerent. Si enim calamitoſam ſæpe ſubditorum ſortem intelligerent aut experirentur ipſi; vel ego fallor, vel illi ſuos magis amarent, quid enim dicam, minus vexarent aut opprimerent?

Avaritia punita ab ipſo reo.

Anno imperii ſecundo fortiſſimi cetera vir animi *Tienyenus* ſeipſum, & auri cupidinem vincere non potuit. Cum enim, regiorum ſepulcrorum exſtruendi atque ornandi eſſet ei mandata cura; multa numorum millia ſubjectis expenſarum falſis rationibus ſurripuit. Criminis erat manifeſtus; cumque id apud Sinas eſſet capitale, miſſus in carcerem, carnificem exſpectabat. Adjunctus tamen à duobus amicis, ut de Imperatore legendo benemeritus, vitæ gratiam obtinuerat. Quippe Sinicæ leges hoc præclaris olim in rempubl. meritis dabant, ut admiſſum poſtea forte crimen eſſet impune. Duo igitur amici culpæ gratiam nunciaturi tendunt ad carcerem. At *Tienyenus* eorum aſpectum non ſuſtinuit; neve illos videns, pudore confunderetur, laqueo ſibi ipſi jus dixit, bis mori dignus, qui ſe quoque judice indignus erat vivere.

Ambitio aliena Imperatrici mortem acerſit.

De *Quangi* virtute ac fide multa diximus; ſed uxorem habuit *Hienam* nomine, faſtu nequitiaque nulli ſecundam. Hæc, ut dictum, filiæ repulſam non ferens, ut illam diadematam videret, *Hiuam* Imperatricem parabat è medio tollere. Occaſio erat ex difficultate partus, quo *Hiua* tertio iſtius Imperatoris anno filium *Hieum* enitebatur. Omnes quotquot erant in regia medici, pro ſalute Imperatricis vocantur in conſilium. In his erat *Ienus*, unus è *Quangi* domeſticis atque intimis familiaribus. Hunc igitur *Hiena* ſolicitat magnis promiſſis præmiis, ut Imperatrici venenum cum pharmaco propinet. Ille ſpe felicitatis, quæ offerebatur, victus, Imperatrici medicatum miſcuit poculum ejuſmodi, ex quo in mœrorem lapſa, denique moreretur. Idque tali arte fecit, ut ne ſuſpicio quidem eſſet, illam veneno periiſſe. *Quangus* autem id medicis haud impune volebat eſſe, tanquam in paranda medicina peccaſſent. Iamque in eo erat, ut hac de re quæſtio-

Scelus uxoris ignaro marito.

quæſtionem haberet; cum illius uxor veniam eis & impunitatem depoſcit ac rogat, ut ſaltem in *Ienum* nihil triſte ſtatuat. Suboluit *Quango* fraus uxoris ex importuna petitione deprehenſa; nec multum aberat, quin eam quæſtioni ſubjiceret. Verum quia tale crimen totius familiæ interitum merebatur; ſibi ſuiſque rebus timens, ultra ſuſpicionem non proceſſit. Sed quia nihil adeo eſt occultum, quod ætas non in apertum proferat, præcipue ſi eſt è muliere profectum crimen; poſt *Quangi* mortem fraus detecta, totaque illius eſt exſtincta familia. *Excidio familiæ punitum.*

Interim, quod nequiſſimis artibus quærebat, *Hiena* vidit. Nam Imperator filiam ejus uxorem accepit, ornavitque diademate. Atque ut totum Imperium exhilararet, è carceribus captivos omnes more gentis emiſit.

Scribunt hiſtorici Sinenſes, anno quarto hujus Imperatoris (fuit is ante Chriſtum ſeptuageſimus) menſe quarto, tantos terræ motus in Sinis factos eſſe, ut montes aliquot evulſi ſua mole corruerint, majori tamen hominum terrore, quam damno. Quod ſane mirum eſt, quia Sinicam terram raro nec niſi leviter moviſſe conſtat. Sinæ, ut ſunt pronis ad ſuperſtitionem animis, ex hujuſmodi prodigiis interitum ominantur Imperio; quia irati cæli ac minacis ea ſigna eſſe autumant. *In Sinis terra motus.*

Paullo poſt *Quangus* fato conceſſit eximia in Imperatorem fide memorandus; ſubductus terris ante, quam ſuæ cognationis interitum videret. Ad ægrum ipſe Imperator humaniſſime inviſit. Cujus ut in ſe Imperiumque univerſum merita grata memoria proſequeretur; *Iuum* ejus filium ſummum dextro cornu ducem præfecit, paternum quondam munus. *Xangum* vero illius ex fratre nepotem Regulum creavit. Multos inſuper è *Quangi* familia extulit ad honores, ſed valde caducos ut videbimus. *Quangus moritur Imperatori fidiſſimus.*

Mortuo *Quango* Imperator ipſemet omnem regiminis curam ſuſcepit; novum Præfectum inſtituit, quem admonitorem Imperatoris vocabat, eumque libere, ſi alicubi peccaret, admonere licebat. Quod *Monitor Imperatoris eligitur.*

exemplum reliqui deinceps Imperatores ſecuti ſunt. Illud in hoc Imperatore eximium fuit, quod ſeveriſſime Præfectis invigilabat, de moribus eorum agendique modo inquirens. Populi vero gubernandi perquam liberalis ac ſuavis ratio. Quinto quoque die publice ſui copiam faciebat; quo die omnibus & præcipue viduis, pupillis ac pauperibus patebat aditus. Præfectis autem edixit, ut in poſterum omnibus & præcipue viduis, pupillis ac pauperibus patebat aditus. Præfectis autem edixit, ut impoſterum omnes cauſas ſcripto traderent, ut melius conſideratis omnibus etiam ſcripto reſponderet ipſe. Non raro enim contingere dicebat, ut loquaciores fucis verborum ac lenociniis extorquerent omnia quæ conceſſiſſe, fruſtra deinde pœniteat. Hic mos etiam nunc apud Sinas viget; quo fit, ut, licet Reges Sinarum raro ſe publice videndos indulgeant populo, continuo tamen revera cum eo verſentur. Et plane magis ita cum ſuis agunt ſecreta negotiorum omnium cognitione, quam illi, qui aſſiduo ſuorum colloquiis ac familiaritate utuntur, negligentes interim eorum negotia. Non enim regum facies à populo quæritur, ſed favor, neque pedes, ut ajebat ille, ſed caput imperat.

Omnia ſcripto aguntur apud Sinas.

Suſceperat jam duos filios Imperator; quorum primus *Hieus*, de quo ſupra dictum, hoc anno declaratus eſt heres Imperii atque Succeſſor. Alter *Kinus* è concubina fuit; quem hoc eodem anno *Hoaigan* regem eſſe juſſit. Ea res vehementer uſſit *Hienam* Imperatricis matrem. Hoc enim pacto, ſi pareret nepotem filia, non Imperatorem, ſed regulum tantum fore videbat. Quam ob rem fit autor Imperatrici, *Hieum* veneno tollat. Nec inobſequentem filiam habuit ſcleroſa mater. Namque Imperatrix in omnem exin occaſionem intenta; qua privigno propinaret venenum, eum ſæpe ſimulato matris affectu ad convivium invitare, nec quidquam eorum omittere, quæ ad ipſius interitum ſpectare videbantur. Sed incaſſum omnia. Nam nec puer Princeps, in recenti adhuc magorum memoria quidquam comedebat, niſi à miniſtris prægustatum; & neſcio quo modo in regia increbuerat,

Machinatio feminea ambitionis.

crebuerat, *Hienæ* ſcelere *Hiuam* Imperatricem veneno ſublatam eſſe; Ac licet Imperator huic ſuſpicioni prorſus abrogaret fidem; ſeveriſſime tamen edixerat Principem cuſtodientibus, ut cibum potumve, priuſquam porrigerent, cum cura explorarent. Gliſcente tamen interea rumore, propinatum eſſe manu medici, venenum ab *Hiena* Imperatrici; paullatim Imperator omnes è *Quangi* familia præfecturis majoribus privavit. Advertebatur id à *Xango*, *Iuo* ac reliquis; qui proinde cum *Hiena* de ipſius etiam Imperatoris nece conſilium agitabant. Sed detecto prius, quam perfecto ſcelere, capti omnes conjurati cum tota ſtirpe deleti ſunt. Hic etiam *Hiena* commeritas pridem pœnas dedit. Imperatrici ſoli facta vitæ gratia; ſed ab Imperatore repudiata, quod reliquum illius erat, vidua & ærumnis deformata traduxit. Tot malorum cauſa fuit unius mulieris ambitio. Sed quæ malis artibus honores familiæ quærebat, optimi *Quangi* familiam ſimul ac ſe perdidit.

Poſtmodum Imperator ad Imperii leges & jura ordinanda animum applicavit. Variæ quippe leges à variis Imperatoribus latæ in immenſum excreverant; quibus, non dico, intelligendis, ſed vix legendis unius hominis vita ſufficeret. Quare qui aliquam ante ceteros earum cognitionem ceperant, alios fraudes ex fraudibus texendo facile decipiebant; unde multa tribunalibus negotia, multa iniqua lucra provenere. Itaque illas ad pauca capita redegit, non omnes, ſed meliores duntaxat, antiquatis reliquis, Iuſtiniano noſtro non abſimilis. Quanta vero moderatione ab judicibus eſſent homines addicendi morti, hac lege monſtravit. *Volumus, ut judices potius in leges peccent, quam ut cauſa non probè liquideque cognita quemquam morte multent. Eſt enim hominis vita rerum omnium in terrarum orbe maxima. Magna proinde adhibenda eſt cautio, ne vel unus homo temere occidatur.*

Legum multitudo

reſtricta.

Vita hominis quanti facienda.

Etſi vero *Siuenius* in hunc modum utilitatem reipubl. ſibi propoſuit; efficere tamen haud potuit, quin exiſteret alicunde rebellio. Provincia *Xantung* ea calami-

lamitate potiſſimum infamis fuit; initio ab annonæ penuria orto. Plebs enim fame ſtimulante furens undique prædari cœpit, emiſſaſque ab Imperatore copias magna clade affecit. Imperator, ut huic malo, antequam corroboraretur ac manaret longius, iret obviam; *Cumſuum* hominem probum rectique amantem cum novo milite contra furentes emiſit. Qui cum abeundi veniam ab Imperatore peteret; interrogatus ab eo; ecquo modo illos cogitaret reprimere, reſpondit, eo modo ſe repreſſurum eos, quo intricatum funem ſolvimus, qui quo magis adſtringitur, eo magis implicatur. *Laxandus eſt*, inquit, *ut ſolvatur. Exercent latrocinia, quia penuria laborant, & à Præfectis tributa ſtrictius quam par eſt, exigentibus vexantur. Contra tuos etiam milites arma ſumſere, vim repellendo. Illam ego non adhibebo, ſperans eos bonis verbis ac rationibus, comitate denique pacari poſſe. Non viribus agam, ſed arte.* Quæ locutus, in provinciam ſuam abiit. Iam ad principem urbem rebellatricem pervenerat; cum rebellium exercitum audit obviam in pugnam procedere. Quare, ne vim inferre velle videretur, gradum cum ſuis reduxit. Miſſis dein diplomatis ubique cavit, ne quis latronem aut rebellem caperet niſi armatum. Si quis caperetur, eum volebat inviolatum & incolumem ad ſe adduci. Vulgavit præterea Imperatoris nomine, ſe omnibus præteritæ culpæ gratiam facere, ſi quieti redirent ad ſua; imo & alimenta de publicis horreis promittebat. Dimiſſis igitur quoquoverſum literis, ipſe curru vectus ad eam, de qua dictum eſt, urbem ſolus tendit; in quam admiſſus omnibus quietem ac pacem ſuaſit, non armis, ſed verbis eos domans. Cumque ſua cuique liceret arma vendere vel cum inſtrumentis ad agriculturam neceſſariis commutare; dearmatis annonam regiam diviſit, & ſementi faciendæ, quantum cuique ſatis, attribuit. Ita ſine ſanguine conſedit hæc ſeditio. Cujus generis calamitates ſemper Sinicis Imperatoribus formidoloſæ fuere; quod hinc plerumque vaſtitas Imperii conſecuta ſit atque mutatio. Quippe latronum duces paullatim vires colligunt ex perditis hominibus, niſi mature retundantur; eiſque

Sapiens dictum ac ſimilitudo.

Prudentia ducis in compeſcenda rebellione.

eiſque creſcit animus ad ipſum etiam Imperium occupandum. Attulimus hujus rei exempla nonnulla ſupra; neque pauca infra afferemus.

Sub hæc tempora *Chuyeus* Philoſophus diem ſuum obiit, vir ſumma virtute præditus, divitiarum contemtor, adeo juſtus, ut nec amicorum precibus, nec parentum unquam affectu motus, vel unguem latum à recti tramite diſcederet. Ad magnas Præfecturas eum extulerant mores ſui; & tamen in tanta paupertate deceſſit, ut ſumtus, queîs terræ mandaretur, haud reliquerit. Quo audito Imperator, illius filio centum auri libras donavit, ut ex eo & patri juſta perſolveret, & ipſe de reliquo vitam toleraret. *Chuyei Philoſophi moderatio.*

Neque hujus tantum, ſed etiam *Kieſinii* virtus clara fuit, illius, qui hunc Imperatorem aluit in carcere, ſummoque in diſcrimine ſalutem ei dedit. Ingens hoc beneficium vel ignorabat Imperator, vel non meminerat. Neque *Kieſinius* illius unquam memoriam uſurpavit, nec Imperatorem, etiam cum res ac tempus ferret, admonuit; contentus præfectura ſua. Iam aliquot annis imperium tenuerat *Sivenius*; cum mulier una ex iis, quæ in palatio ſerviebant, Imperatorem accepti beneficii commonefecit. Obſtupuit ille cognita *Kieſinii* modeſtia; maximique poſt eum faciens, collaudatum Reguli dignitate ornavit. Non tamen paſſus eum abire, velut patrem nutricium apud ſe detinuit; & virtutem illis ex uſu quotidiano magis magiſque ſuſpiciens, adjutorem Imperii fecit ac Præfectum ab Imperatore proximum.

Duo Philoſophi Principi præceptores erant dati, qui bonis moribus eum ac Philoſophiæ præceptis imbuerent. Alteri *Suquangus*, alteri *Xeus* nomen erat. Inter hos forte requietis & otii mentio verſabatur; cum *Suquangus*, *Auditione*, inquit, *accepi, quietis amantem tuto & procul humanæ vitæ caſibus vivere; nec infamiæ periculis obnoxium, qui ſciat cupiditatibus & habendi deſiderio modum ponere. Iam uterque rem fecimus; nec minus honoribus, quam divitiis abundamus. Ex doctrina noti clarique, bonam famam conſervavimus. Hæc ſi nobis non ſufficiant; timeo, ne poſteà perdamus omnia, pœniteatque* *Kieſinius beneficium in Imperatorem a ſe collatum tacet.*

 non

non ſecutos honeſtum otium. Sub hæc dicta conveniunt inter ſe, ſeniumque & ægritudinem excuſantes, ab Imperatore abeundi veniam petunt. Quam is, licet invitus, dedit tamen, ſingulosque duobus aureorum millibus donavit. Princeps quoque ſingulis aureos quingentos numerari juſſit, curribus & famulis additis, qui eos domum deducerent. Quo poſtquam rediere; maximam pecuniæ partem famulis à quibus erant deducti, partiuntur. Quicquid reliquum erat, inſumſere ſtruendis conviviis, ad quæ ſuos cives invitabant, nil reſervantes ſibi. Aderat unus è *Sunquangi* affinibus, qui eum admonuit, ut illa pecunia emeret agros filiis ac nepotibus relinquendos. Cui Philoſophus, *Habeo,* inquit, *ab anteceſſoribus meis fundum mihi relictum; qui, niſi filii ac nepotes mei deſides erunt & marcebunt otio, in victum veſtitumque facile ſufficiet. Arent ipſi & ferant. Opes nimiæ ſapientum etiam animos depravant, malorum hominum vitia augent impelluntque ad pejora. Sin a me nolent virtutem diſcere; ſaltem id non relinquam eis, per quod pejores fiant.*

Philoſophorum ſapiens dictum & factum.

Anno ante vulgarem Chriſti epocham ſexageſimo decreverat Imperator *Tartaris* bellum inferre. Namque in futurum ſolicitus, cum eos accepiſſet iterum viribus pollere ac robore, plurimaque loca ſub *Hiaouo* intra montes amiſſa recuperaſſe; volebat illos armis antevertere, ne, ſi ad priſtinam potentiam excreviſſent, Sinicum Imperium denuo vexarent. Sed à ſummo Præfecto, quod arma cogitaret, reprehenſus ab incepto deſtitit. Eum porro ſic locutum ferunt. *Quid, ô Imperator, de exteris invadendis cogitas cum domi multa non deſint, quæ correctione indigent? Hoc anno, quod adhuc inauditum, filius patri; & minores natu fratres ſeptem, fratribus majoribus omnino viginti quinque mortem intulere. Sunt hæc inſignia non ferenda protervitatis argumenta, morumque nocentiſſimam in Imperio mutationem portendunt. De hoc eſt dolendum; his vitiis applicandum præſentiſſimum remedium; quibus ſi non ſit in Imperio locus, non erit quod* Tartaros *timeamus. At niſi à te quam primum præcautum & proviſum erit; timeo, ne non modo in Imperium, ſed in ipſum quoque penetrent*

Bellum in exteros prudenter diſſuaſum.

netrent palatium. Has igitur ob cauſas dilatum eſt bellum *Tartaricum.*

Ceterum Indiæ regna quædam ab *Hiaouo* in deditionem redacta rebellarunt.. Imperatorem de pœna deliberantem cum alii, tum etiam Præfecti retinuere, dicentes: *incongruens eſſe, ſuos perdere, ut alienos ſubjicias. Multa quidem occupata fuerunt Imperatore atavo tuo regna; ſed majore damno noſtro quam emolumento. Infinitus eſt enim Sinarum bellatorum numerus, qui periere. Solum à Sinicis Imperatoribus exigitur, ut ſuis juſte & legitime imperent; ſin animus eſt Imperii ampliſſimi proferre fines, ſine vi, ſine armis alliciant ad obſequium ſola virtutum fama aliena regna. Quæ ſi nolint Imperatorem noſtrum dominum agnoſcere, noſtra nobis Sina ſufficiet.*

Haud multo poſt *Hieus* Princeps patrem offendit. Nam in convivio, multis Præfectorum accumbentibus, Imperatorem auſus eſt arguere, quod indoctis etiam hominibus præfecturas committeret. Imbiberat *Hieus* cum Sinica Philoſophia ſcitum illud: nec probum nec juſtum eſſe poſſe, qui Philoſophiam non didiciſſet. Vnde Sinis idem eſt amare literas ac bonum eſſe. Iratus Imperator filio reſpondet, ſeveriſſime paternum ultus ſupercilium; &, *Ex quo*, inquit, Hana *familia noſtra rerum potitur, fatale ſemper ei fuit, à ſucceſſore filio moleſtias experiri. Sed ubinam ſunt modo tot Philiſophi, qui totius Imperii præfecturis ſufficiant? An ignoras literarum ſtudia paullo ante nos poſtliminio ad nos rediiſſe? Iſta ſapienti dico; imo vero ne plus te ſapere credas, quam ſapis, cupio.* Poſt hac Imperatoris erga filium uſque adeo exolevit favor, ut parum abeſſet, quin exheredato illo, *Kinum Hoaigam* regem ſucceſſorem declararet. At continuit ſe tamen; cum quia ſciebat Præfectos id non permiſſuros, tum inprimis, ut levitatis notam effugeret. Nam eum nunc rejicere, quem paullo antea ſucceſſorem deſignaverat, probroſum videbatur. Hæſit tamen alto pectore fixa vulneris illius cicatrix; cujus vindicandæ quærebatur undique occaſio. Poſtea vero, quam *Hieus* filium è conjuge ſuſcepit, odium repente in amorem vertit. Tanta enim

Sinarum axioma de Philoſophia.

enim lætitia perfuſus eſt *Siuenius*, ubi nepotem vidit, ut jam nullum niſi *Ilieum* vellet ſucceſſorem. Quin etiam tradunt Imperatorem ſuis ſæpe manibus nepotem excepiſſe, cum eodemque luſitaſſe poſita interim majeſtate.

Legatio Tartarorum ad Sinas.

Anno ante vulgarem Chriſti epocham octavo & quinquageſimo *Tartarus Tangu* rex legatos ad Imperatorem miſit, per quos eum dominum ſuum agnoſcebat tributarium ultro ſe faciens, ac promittens ſucceſſores ſuos deinceps in Sinici Imperatoris ſemper clientela fore. Variæ fuerunt hac de legatione Præfefectorum opiniones. Alii dicebant hoc *Tartaros* agere, ne à Sinis invaderentur, utque in tuto collocati antiquas vires reciperent. Alii contra ſuſpicabantur eos hoc prætextu Sinam explorare, quidque agatur, ſcire velle. Fuere, qui legatos ne audiendos quidem putarent. Vicit demum illa ſententia, ut admitterentur, & tanquam amici regis legati tractarentur. Hac occaſione ſæpe deinceps irrepſere Sinicum in Imperium ficta legatione uti commercia ſua tuto exercerent. Afferebant *Ginſem* radicem illam, quæ una Sinis plurimi æſtimata quantovis emitur pretio. Afferebant præterea pelles pretioſiſſimas martium, caſtorum, & Zibelinas quas vocant, quarum in *Tartaria* magna copia et uſus. E Sinis invicem res alias in *Tartariam* avehebant. Hujuſmodi legationes nunc in *Mogoria* Turcæ ſubornant, faciuntque cum Sinis commercia, ut fuſius in Atlante meo narro. Erit hac de legatione inferius agendi locus. Namque *Tartari* vere quondam Sinicum Imperatorem ſuum agnoverunt.

Haud multo poſt hanc legationem *Siuenius* eſt mortuus; cujus imperium ſatis felix & pacatum fuit. Nam quod ab eo nonnulla regna defecerint, illa velut extera ſuique animi magnitudine indigna tam facile quam animoſe ſprevit. Præfectos habuit ac Philoſophos non paucos, homines præclaros, quorum egregia uſus eſt opera. Succeſſorem reliquit *Hieum* filium, quem nunc dicere aggredior.

SINICÆ HISTORIÆ LIBER DECIMUS.

I. Imp. IUENUS.

Imperavit annis XVI.

IUenus dictus eſt, cum gubernare cœpit; Imperator philoſophus; doctorum hominum amator & ipſe doctrinæ avidus. Sed in adminiſtranda republ. non perinde prudens, documento fuit, non ſemper, qui doctiores ſint, eoſque & prudentiores eſſe. Præter frugalitatem & ſumtuum moderationem multæ aliæ virtutes egregiæ in eo laudabantur; ſed quas exigua in diſcernendis ac cognoſcendis rebus prudentia fœdabat. Loquaciores, à quibus verborum ſpecie ac fucis decipiebatur facillime, ad honores evehebat, ejuſque modi homines idcirco reliquis credebat meliores, quia ſublimius de virtute diſſererent. Horum itaque multi phaleratis dictis amplos dignitatum gradus adepti, cum deinde fœdiſſima quæque facinora facerent; mox ob eorum contentiones & æmulationes Imperii ſtatus in pejus ruere cœpit. Nec illud tacuerim, hunc Imperatorem tardum & parum efficacem fuiſſe; animi præterea inſigni mollitie ac lenitate minime laudanda. Vnde nullum unquam opportunum remedium negotiis adhibuit. Certe Sinici ſcriptores etſi animi moderationem in eo laudant, ac multas alias virtutes; ab illo tamen *Hanæ* familiæ perniciem ortam affirmare non dubitant. Sic illa familia, cujus parens & conditor excellebat maxime hominum cognitione, ab illo eſt affligi cœpta, qui eos minime cognoſcebat.

Cyclo 45. anno 10. ante Chriſtum 48.

Imperator philoſophus non item prudens.

Primo imperii menſe poſtquam paternis manibus parentavit, *Cieyuam* uxorem ingenti pompa Imperatricem declaravit. E cujus amicis atque cognatis in Imperio multæ poſtea perturbationes & rixæ ſunt ortæ, ut in proximo Imperatore docebimus. Eodem die

Ejus moderatio in tributis & œconomia.

Gaum

Gaum filium, quem ex *Cieyua* ſuſceperat, heredem ac ſucceſſorem regni pronunciavit.

Tum Præfectos ſuos allocutus, *Scio*, inquit, *Imperium uni præ reliquis à Cælo dari, ut provideat omnibus; non ut ſuis tantum rebus ſtudeat, ſuas utilitates voluptateſque venetur, ſed ut cunctorum ſubditorum commodis utilitatique pareat, unus omnibus proſit. Quare ut munus mihi à Cælo impoſitum expleam, ex antiquorum optimorumque Imperatorum decretis, eorum ſequens veſtigia, omnia tributa remitto, præter illud, in quo è decem unum ſolvitur. Palatii ſumtus, equorum famulorumque numerum imminui volo. Frugalis menſa ſufficiet, miſſo ſplendore; nec ad pompam vel faſtum equos & famulos alam, ſed hac in re ſolam neceſſitatem ſpectabo. Sic & populum mea benignitate lætum ſervabo; nec mihi paucis contento quidquam deerit.*

Invidia malum aulis familiare.

Siaouangus erat Imperatoris cariſſimus præceptor, jam ſexagenarius philoſophus. Huic cum ſummæ præfecturæ munus mandare decreſſet; inter competitores & æmulos invidiæ continuo flamma exarſit. Multi ergo in eum conjurant, oblatoque Imperatori libello multa optimo ſeni crimina objiciunt ea arte, ut pro veris quidem non affirmarent, ſed tamen inquirendum eſſe dicerent. Mos erat, ut, cum Imperator accuſationem admitteret, illico comprehenderetur accuſatus. *Iuenus* ejus moris inſciens, de capite boni ſenis inquiri permiſit, non dubitans, quin poſſet eum dimittere. Carceri præfectus, unus ex conjuratis, quam primum *Siaouangum* capit, & male habet in vinculis. Ille hauſto ſua voluntate veneno ſeipſum necat, indignum eſſe dicens ſexagenario ſemel capto, licet innocens eſſet, pro vita diſputare aut pro ea multum agere, cui natura jam fere finem impoſuiſſet. Imperator audita philoſophi morte maxime indoluit; non tamen adeo ſagax fuit, ut rem cognoſceret, vel ſuorum calumnias deprehenderet. Ex quo Præfectorum aſtutiores eum parvi facere, in factiones diviſi ſuis rebus ac partibus ſtudere, æmulos aulicis artibus inſectari; quæ res Imperium ubique turbavit. Hæ factiones in Sinica gubernatione ſunt maxi-

Vltronea mors philoſophi.

maxime peſtiferæ, ubi omnia Imperator agit ex majorum Præfectorum conſiliis; qui cum ſuis favere volunt, bonum publicum omittunt, & pro affectu vel muneribus reſponſa venditant.

Sub hoc Imperatore *Quangtung* provincia *Quangſi*, & *Hainan* inſula defecerant, & immiſſas ab eo copias repulerant. Quare quantas potuit maximas vires contra rebelles parabat; queîs animus erat *Kiaſunum* philoſophum potius quam militem præficere. Ille arceſſitis è Sinica philoſophia rationibus Imperatorem ab hoc bello deterruit; *Et olim*, inquit, *Sinicum Imperium ad Orientem mari, ad Occidentem vero campis arenoſis montibuſque terminabatur; in Auſtrali parte* Kiang *maris filius limes erat. Sed hos fines paullatim extendit non magis armis, quam virtute. Hac Imperatores optimi allectos & ultro advenientes humaniter excipiebant; nec pauci fuere, qui comitate victi advenerint. Vi nemo ſubjiciebatur. Hæc igitur eſt ſumma conſilii mei, ut à bello abſtineas, & probos Imperatores ſecutus, gubernandi modum, quem illi, teneas. Nam rebelles populos virtutum ſplendor, non ſtrepitus armorum ſubjiciet.* Itaque fecit, ut ſuaſum erat, Imperator, damnatoque bello, eas regiones deſeruit, quæ in defectione occalluere.

Interim factioſi Præfecti acerrimis inter ſe ſtudiis certare pergebant, magno Imperii malo. Vnus inventus eſt *Lieus*, recti bonique communis amans; qui, quid ageretur, Imperatorem oblato libello monuit, æmulationis factionumque damna demonſtrans & concordiæ bonum. Hic ergo à ſociis, queis recti amor ante pravos affectus erat, animatus, poſthabito vitæ periculo Imperatorem, alloquitur in hunc modum: *Bonis, ô Imperator, integriſque magiſtratibus uti, ſicut eſt optimi regiminis fundamentum; ita contentionum fons eſt & initium malæ gubernationis, eos expellere. Si in ipſa regia urbe omnes Imperatori fideles ſint, ac multi amoris conſpiratione conſentiant; in provinciis vigente obſequio, recte atque ordine cuncta procedent. Qua ingenii perſpicacia præditus es, ô Imperator, opto ut rectum iter, fidis ac probis hominibus aperias, neu faciles aures fallacibus ali-*

Oratio Liei adverſus factiones.

quorum

quorum dictis præbeas, Vt facta cujuſque diſcutias, rogo; quo mali è collegio ſummi magiſtratûs ejiciantur, & viri probi meritos honores totius Imperii bono adipiſcantur. Vt inter ſe tui congruant, unaque mente vivant, da operam; in eos, qui factiones ac partium ſtudia ſectantur, inquire, atque ut merentur, tracta. Id facies cum Hanæ *familiæ tuæ ſummâ ſalute in multos annos conſervatione.* His auditis exhorruere ſcilicet factioſi Præfecti; &, quamvis nullum nominaret *Lieus*, Imperatorem tamen plura ſuper his rebus rogitaturum haud ambigebant. Quare *Lieum*, quique cum eo ſtabant omnes omnino perditum ire decernunt, antequam exerceretur hæc ab Imperatore quæſtio. *Hienus* ergo factionis unius dux *Kimuoum Liei* amicum, quia coram Imperatore de ſe quoque male locutum ſciebat, hac necavit arte. Quippe cum *Hienus* maxima præfectura gauderet, ab Imperatore non difficulter obtinuit, ut *Kimuoum* extra regiam Præfectum juberet eſſe talem hominem tali provinciæ neceſſarium eſſe dicens. Quanquam hoc conſilium inſtar imperii fuit. *Hienus* namque ſua dexteritate, dicam, an loquacitate? Colai ſummam dignitatem indeptus, quos vellet, in præfecturas inferiores mittebat. Itaque *Kimuous* aſſignatam ſibi provinciam adiit. Verum vix in ea menſem exegerat, cum in eum, ut æmulum, apud Imperatorem tradito libello multa crimina, vera an ficta, parum referebat, *Hienus* intendit. Omnes quidem actiones illius diligenter per coricæos notârat; quas ſiniſtre interpretatus, etſi forte quædam in provincia male ab eo acta non deeſſent, munere ſimul eum ac vita privavit.

Fraude ſublatus innocens.

At non multo poſt unus è Præfectis etiam *Hieno* apud Imperatorem multa maximaque crimina ſcripto intulit. Sed incallidus Imperator *Hieni artibus* infatuatus nullam adhibet libello fidem; imo ſtultiſſime *Hieno* illum oſtendit. Is, ut erat aſtutiſſimus, hac occaſione in rem ſuam uſus, hujuſmodi verbis in illius animum irrepit. *Adhuc, ô Imperator, nihil antiquius mihi fuit, quam ut bona fide tibi ſervirem. Sed enim, quia me licet immerentem ante ceteros in hoc ampliſſimo ſtatu collocaſti; ſuperior tamen eſt invidia,* qua

Imprudens factum Imperatoris.

qua ſola armati hoſtes mei me apud te accuſant, in perniciem meam intenti. Nec vident, cum obtrectant mihi, à ſe accuſari beneficium tuum, quo me minimum affeciſti. Quid faciam? invidiæ uſquequaque ardeo; nec tuorum ſubditorum illi facient ullum criminandi finem. Sed bene ſe res habet, quod undique deſerto mihi ſpes eſt omnis repoſita in judicis mei gratia & favore. Quare unice te rogo, ne committas, ut plus apud te malevolorum poſſit invidia, quam calamitas mea. Meum erit, fidei erga te & obſequii conſtantia, me tibi ante ceteros probare. Quas artes in me ut ſemper expertum eſſe te confido; ſic iterum atque iterum rogo, ne des faciles aures æmulis, & honorem, quo me proſecutus es, invidentibus.

Facile fuit, Imperatorem, plus fidei dictis quam factis habentem fallere. Vnde jam *Hieni* potentia Præfectis erat omnibus formidabilis; Imperatore non modo nullam accuſationem contra ipſum admittente, ſed ipſos etiam accuſatores ei palam monſtrante. Qui proinde quam plurimos attrociter ultus, variis artibus perdidit; alios raſo capite velut mancipia ſtruendis mœnibus onera comportare cogebat; ſuos ſuarumque partium aſſeclas elevabat. Hinc tantus omnes illius pavor cepit, ut jam plus, quam Imperator timeretur.

Inter hæc Imperatoris duces, quibus erat commiſſa muri magni cuſtodia, commoditatem rei ſecuti, amicitiæ jure perfide violato, *Tartaros* reges duos, qui in montibus vicinis animi gratia venabantur, captos plectunt capite. Deinde tanquam magnum quid pro Imperio feciſſent, impudenter ab Imperatore petunt præmia. Cumque is ex Præfectorum ſententia pœnas potius debuiſſet ab illis expetere; ad Regulorum dignitatem eos extulit. Duorum vero regum capita juſſit ad *Tartarorum* terrorem in regni confinibus ſuffigi. Nec puduit Imperatorem varias habere conciones, quibus oſtendebat reges mortem meruiſſe, atque à ſe mandatum eſſe, ut caperentur. *Hienus* vero, qui alterum ex illis ducibus, ut alienum à ſua factione, odio proſequebatur, Imperatori ſuadebat, ut eorum perfidiam puniret; alioqui timendum eſſe, ne

Tartari perſequentes injuriam, Imperium invadant. Sed non paruit Imperator ejus conſilio; necem *Tartarorum* rem levem eſſe dictitans, nec fidem barbaris illis ſervandam, niſi cum prodeſſet Sinis. Adeo Sinæ alias nationes præ ſe ſpernunt. Poſtea vero quam *Huhanſienus* novus *Tartarorum* rex bellum ultionis petendæ cauſa Sinis intulit; tum primum intellexit Imperator, quantum peccaviſſet. Itaque ut pacem impetraret, è regio ſanguine uxorem ac magnas opes ei dedit. Quibus *Tartarus* pacatus, à bello abſtinuit.

Porro factiones Præfectorum adeo intumuerant, ut jam in apertas ſeditiones erumperent. Verum Imperatoris mors magno Imperii commodo interveniens illam tempeſtatem ſedavit. Cui cum filius natu major ſuccederet, omneſque ſub novo Principe meliora ſperarent; à vi temperatum eſt.

IMP. XI. CHINGUS.
Imperavit annis XXVI.

Cyclo 45. *anno* 26. *ante Chriſt.* 32.

IN vinum veneremque penitus immerſum hunc ſcribunt Imperatorem fuiſſe, gubernationis cura maternis conſanguineis permiſſa. E *Vanga* familia, ex qua *Cieyua* mater oriunda, permultos ad ampliſſimos honores provexit; neſciens, quantum ſibi ſuiſque malum compararet. Regulos primæ dignitatis creavit avunculos quinque; regem unum. Is *Mangus* erat, ex eadem ortus familia; regnum *Sintu* dictum, erat in ea *Suchuenæ* provinciæ parte, ubi modo *Chingtu* eſt urbs princeps. *Hienus* hæc videns, nec ignarus, quam potentes haberet æmulos & hoſtes, abeundi copiam petiit, facile factam ab Imperatore. Verum vix urbe regia domum petiturus exierat; cum in ſicarium incidit imminentem ejus jugulo, nec ſine Imperatoris conſenſu, quod omnes ſuſpicabantur. Tum exſtincta cum autore ſuo factione primaria, etiam reliquæ evanuere. Viguit una *Vangi* familia; quæ turbas tamen ingentes excitavit, ut videbimus.

Denſa nebula.

Quarto primi anni menſe in Majum noſtrum inciderat uda denſaque nebula, quæ magno cum omnium terrore

terrore Sinam omnem intexuit. Interrogati aſtrologi, quid ea res portenderet? negarunt ex artis ſuæ ſecretis quidquam certi affirmare ſe poſſe. Admonitor autem regius ita rem explicavit, ut hoc prodigium ideo prædicaret oſtentatum à Cælo, quod Imperator contra Imperii leges ac ſtatuta majorum avunculos nil tale meritos ad Regulorum dignitates extulerat. Vera loquebatur; ſed Imperator in ternis precibus retentus noluit *Vangam* familiam offendere, vel non intellexit, quanta mala poſſent hinc exiſtere. Suorum quidem parentum & anteceſſorum exemplis non ſapuit; vel in tantum vitiis ſe dedit, ut & hæc neſciret. Vnde non mirum, ſi turbis deinceps excitis, poſtmodum tertium ab hoc Imperatorem interfecerint, & maximam Sinarum partem occupaverint. Quæ hîc attigiſſe ſufficiat; nam ad ſecundam decadem, quæ res poſt Chriſtum natum in Sinis geſtas proſequetur, hæc ſpectant.

Anno imperii ſecundo poſtquam *Chingus Hiuam* conjugem ſuam imperiali corona redimiverat; quarto ejuſdem anni menſe nix ingens cum in Regia, tum in circumjectis regionibus cecidit. Rara utique ac Sinis inviſa res. Aſtrologi ariolique interrogati, quid hæc novitas ſibi vellet, varii varia finxerunt. Imperator à philoſophis etiam exquirit, ab illis præſertim, quibus figurarum liber, *Yeking* dictus, quo de libri primi principio egimus, legendo intelligendoque familiarior, ut ſcripto, quid inuſitatum prodigium moneret, exponerent. Aliqui ob *Fungi*, qui erat ex *Vanga* familia, nimiam potentiam iratum dixere Cælum; nec dubitabant Imperio ſecuturas calamitates minari. Vera dicebant; quamvis hoc ex nive non conjicerent, ſed ex *Vangæ* familiæ faſtu ac potentia, quæ omnino, cum nimia eſt, in ſeditiones facile erumpit. Quo audito *Fungus* ipſe ſumma, quam gerebat, præfectura cupiebat abdicare ſe; cujus tamen votis haud aſſenſus eſt Imperator. Vnus inventus eſt *Soyungus*, qui *Fungo* adulatus, quippe à quo multa ſperare poterat, in eam partem explicavit portentum, ut bonum eſſe omen prædicaret. Nec abrogavit ei fidem Imperator; amplexus repudiata vera falſam unius ſententiam. Id quod

Nix rara apud Sinas.

ſæpe contingit, ut nos ipſos nimium amantes, nec, quod bonum eſt, intelligentes proſequamur materiam noſtri mali; ex quo neceſſe eſt ſummam denique perniciem exiſtere.

Obeſt nimia unius familia potentia.

Sed ut iſtius Imperatoris in hac re magis error appareat; narrandum eſt, quod *Lienchiangus* non infirmæ ſortis Præfectus egit. Librum compoſuit undecim capita complexum optimo ſtylo & exquiſitis rationibus explicata; quibus, quantum efficere poſſet nimia unius familiæ potentia, demonſtrabat. Ac licet familiam diſſimularet; minime tamen Imperatorem fefellit, eo libro familiam *Vangam* peti. Laudavit autoris ingenium, eruditionem, fidelitatem, ſimplicitatem, omnia. Nec immerito. Namque prorſus erant è majoris nominis virtutiſque philoſophis depromta; non tamen ad flectendum Imperatorem, ut optima ſuadenti pareret, efficacia.

Hæc autem iſtius philoſophi ſinceritas fecit, ut *Hingus* ejus filius etſi literis inclytus, nunquam præfecturam adeptus ſit, quamvis à Præfectis bene multis deſtinaretur. Namque delapſus huc erat Imperator, ut inconſulto *Fungo* nihil ageret. Ab hoc enim uno ac privato homine totius Imperii pendebant negotia; cujus unicus nutus pluris erat nimium lento Imperatori, quam multorum Præfectorum conſenſus.

Ingens imbrium inundatio.

Anno imperii tertio *Xenſi* provinciam, in qua ceteroqui raro pluit, imbres in Autumno continui ſic inundavere, ut ſpeciem diluvii præberent. Loca plurima ſimul & homines aquarum moles involuit. Ipſa etiam urbe regia uſquequaque pluviis merſa incolæ mœnibus altis vitam tuebantur; Imperator ſibi ſuiſque in palatio commorantibus ſalutem conſcenſis navibus invenit.

Vangi Colai proceritas regi formidabilis.

Anno octavo *Tanyu* rex *Tartarus* ad amicum Imperatorem inviſendum adfuit. Eo tempore ſummo Colai munere fungebatur *Xangus* quidam ex *Vanga* familia vir procero, robuſto ac præpingui corpore, vultuque ac capite tam grandi, ut gigantem eſſe crederes. Ad hunc, ut mos eſt, etiam *Tanyu* rex inviſit; cujus forma ſic exhorruit, ut pedem referret præ ſtupore. Admonitus ea de re Imperator gaudebat;

&,

& , *Tales , oportet eſſe , quibus Imperii Sinici ſumma committitur ; ut ſola forma Barbaris terrorem incutiant.* Hinc illum apud Sinas morem invaluiſſe putem , ut primum militarem ductorem , cujus erat in trium annorum examine primum nomen , depingant armatum , excelſa vegrandique ſtatura , & ad vicinas circum nationes exteras dimittant , exiſtimantes ejuſmodi pictura terrorem exteris ab ſe inferendum ; utique ſi viderint talem in Sinis militiæ ducem ſeu ſpectrum potius eſſe.

Exſtincto ſub hæc *Fango* in ſumma militum præfectura ſucceſſit *Imus* ex eadem *Vanga* familia. Matris precibus id Imperator dedit , cui nihil unquam negavit, in omnibus obſequentiſſimus.

Rarum hic narrant hiſtorici Sinenſes modeſtiæ muliebris exemplum. Habebat Imperator inter alias concubinas unam ante ceteras cariſſimam ſibi , *Panam* nomine ; omnibus & corporis & animi dotibus inſignem. Sunt autem intra Imperiale palatium non Imperatrici tantum , ſed ſingulis etiam concubinis apud Imperatorem magis gratioſis attributa ſingula palatia , in quibus ſeparatim habitant. Igitur *Panam* Imperator in palatio minore , in quo vivebat illa , non contentus inviſere , jam volebat in ſuo ſecum palatio commorari. At eum honorem recuſavit *Pana*, & modeſtia , in muliere præſertim , rara & memoranda, *Ex antiquis picturis noſtris* , inquit , *etſi literas neſciam, didici tamen nonniſi fide ac prudentia claros bonis Imperatoribus adſtare Præfectos ; malis vero mulieres appingi, à quibus ad peſſima quæque facinora inſtigantur. Tu nunc, poſthabita Imperatrice, me vis tibi conſueſcere. Vide, quæſo , ne hinc malorum Imperatorum inſiſtendi veſtigiis initium facias. Ego quidem , quæ te plurimum amo, faveoque laudibus tuis , nihil optans impenſius , quam ut virtute magis ac magis excellas , hoc piaculum admittere non poſſum ; ne & tu peſſimorum Imperatorum , & ego malarum mulierum numerum augeamus. Imperatricem habes germanam primamque conjugem tuam ; cum hac eſt habitandum tibi. Ego tantum utriuſque ſum famula.* Sapientem hanc repulſam Imperator laudavit plurimum,

Rarum modeſtiæ muliebris exemplum.

Et prudens admonitio.

rimum, & multo magis Imperatrix; quæ, re cognita, maximas *Pana* gratias egit. Verum venereus Imperator in majora poſtmodum ſcelera delapſus eſt. Cum enim muſica delectaretur ac theatris; inter cantatrices, quæ placebant in comœdiis, venuſtiſſimam puellam ſæpe audiens, ac tandem ejus amore captus victuſque advenit illuc, ut ipſam cum fratre ſimul adhuc puero in ſuum reciperet palatium. Ibi puellam gynæcéo præpoſuit, totumque amoribus ſe tradidit. Imperatrix peræpre ferens, ignobilem puellam apud Imperatorem tanta eſſe caritate; cum forte res ac tempus ferret, eum hujus facti graviter increpuit. Imperator, qui fœdiſſimo puellæ amore inflammatus ferebatur, impatiens probri, vehementer excanduit, & ex amantium ingenio, cæco impetu abreptus, *Hiuam* Imperatricem à ſe repudiavit. Ita cui primum velut primæ conjugi debebatur palatium, ei ne locus quidem in palatio fuit. Spem tamen in *Pana* modeſtia & bonitate collocans ad eam venit; à qua benigne accipitur & humaniſſime.

Damna comœdiarum.

At non hic quievit Imperatoris in ſaltatricem amor dicam, an furor. Adeo namque illius amore provehebatur paullatim, ut tandem veram ſuam uxorem eandemque Imperatricem nominarit. Et primo quidem illius patrem levem comædum regulum creat; credo, ut hac dignitate inſignis & ſuam vilitatem tegeret, nec ille diceretur comædi filiam in uxorem accepiſſe. Non tulere Præfectorum aliqui hanc Imperatoris ſui nequitiam; ſed oblatis libellis acriter arguunt. Fidelitatis pretium mors fuit; Imperatoris juſſu mactatis omnibus. Quotquot enim erant ex *Vanga* familia, aſſentandi fœda libidine, Imperatori quidvis licere perſuaſerant. Hinc ſpes eis oſtendebatur, in Imperio turbas futuras, è quarum occaſione rei, quam machinabantur, exitus pendebat. Mirum dictu! vilis cantatrix Imperii Sinici, quin & ipſius Imperatoris ſe dominam videt; tanto ſecurius, quanto magis Imperatoris animum amor occæcarat.

Ex comædo regulus.

Imperator itaque cum fautores ex *Vanga* familia Præfectos haberet; penitus veneri ſe ac vino dare, totas noctes

Imperatoris pravitas.

noctes comeſſationibus, conviviis, comœdiis tranſigere. Picturas etiam obſcœniſſimas per palatium undique appendi jubet, ac præſertim *Takiæ* cum *Cheuo* fœdiſſime acta. Non defuere quidem è Præfectis, rei turpitudinem ſcripto damnantibus; ſed nihil effectum. Laudabat ſalubria monita, ſed non ſequebatur; agnoſcebat errores, ſed non emendabat; tanto alienior à recto, quanto ejus ſcientior.

Annum imperii decimum octavum, qui fuit ante Chriſtum decimus quintus, ſecundo menſe, qui fere in Martium noſtrum incidit, ſolis defectio in Sinis viſa nobilitavit. Addit autor Sinicus, multas tenues ſtellas de cælo cecidiſſe, quaſi plueret ignibus. Anno præterea vigeſimo primo, quam *Chingus* imperare cœpit, ante Chriſtum duodecimo, cometa viſus eſt octavo menſe, id eſt, ſub Octobrem noſtrum, quem obſervarunt in loco ſideris, quod *Cing* vocant, qui locus hodie Cancri totum ſignum occupat. Solicitus Imperator, quid hæc monſtra portentave (nam talia credebat eſſe) ſibi vellent; omnibus copiam fecit, quid ſuper iis ſentirent, explicandi. *Soyungus* doctiſſimus philoſophus idemque amans reipubl. coram Imperatore recitavit hæc è libello. *Quod omnes boni optamus, eſt illud Imperator, ut iis maxime rebus operam naves intendaſque animum, quæ ad optimi Imperatoris munus probe implendum conducunt. Id vero facies, ſi juſte tuos populos regas, ſi bene illis provideas, ſi regiam priſcis moribus renoves & ornes, antiquando, quicquid vitioſa conſuetudo quondam invexit. Calamitates, quas Cælum minitatur, effugiendi, ne dubita, facillima hæc eſt via, ſi vitiis extricati virtuti demus operam; illæ ſunt inevitabiles, quas vitiis ipſi nobis facimus. Inſolita ſunt hæc monſtra, fateor, & ſine dubio magnum aliquid portendentia, neque ad intelligendum humanis ingeniis promta; ſi tamen eſt homini fas de cæleſtibus conjicere, crediderim* Hanæ *familiæ, niſi reſipiſcat, exitum ab irato Cælo pronunciari.* Fulminatus eſt Imperator hæc audiens, nec ullum locutus verbum, confeſtim ex aula ſe proripuit in palatium. Ad frugem tamen animum haud applicuit.

Stellæ de Cælo lapſæ.

Cometa viſus.

Celebre tunc erat *Changyui* philoſophi nomen,

quem Imperator ut præceptorem non vulgari caritate diligebat. Cum hoc, à quo Sinicam Philoſophiam didiciſſet, de pleriſque negotiis conferebat conſilia. Sed erat nomine magis quam reapſe philoſophus. Nam licet ex doctrina nobilis eſſet & clarus, virtute tamen carebat; aulicisſque imbutus artibus Imperatori adulans, *Vangæ* familiæ gratiam venabatur. Igitur è re nata quidam, qui cometam ſtudioſius obſervarant, Imperatori libellum obtulere ſuppreſſis nominibus, in quo planis ac Sinicis verbis iratum *Hanæ* familiæ Cælum aſſerebant & in illius perniciem intentum ob nimiam *Vangæ* familiæ potentiam, à qua Imperium quoque perdendum ominabantur. Multa in eo libello à *Vangæ* familiæ Præfectis perpetrata ſcelera narrabant. Eapropter Imperatorem à ſe admoneri, ut rebus ſuis proſpiceret. Imperator jam de *Vanga* familia, quam tot omina devoverent, addubitare cœperat. Sed hunc timorem temperavit habita cum *Changyuo* conſultatio. Qui cum legiſſet libellum; veritus offenſam & Imperatoris ejuſque matris & multo magis *Vangæ* familiæ, quam timebat; ita de hac re cum Imperatore tractavit, ut oſtenderet eſſe difficillimum cæleſtia prænoſcere. Illos adhæc ſiderum ſtudioſos altius æquo de ſe ſentire, ſi futurorum intelligentiam ſibi arrogarent. In his enim errare proclive admodum eſſe; imo fortaſſe hæc illos finxiſſe, quia ſingulari odio *Vangos* perſequebantur, cumque alia via non poſſent ex iis ultionem petere, voluiſſe fidos Imperatori Præfectos infames inviſoſque facere; queîs propterea nil temere quidquam credendum.

Imperator, qui nihil non matris cauſa faceret, *Vangæ* familiæ cæco amore captus, eum tanquam ſapientem ac fidelem laudat; & quam forte ſuſpicionem periculi traxerat è familiæ *Vangæ* potentia, deponit. Hanc proinde reprimere & coërcere neglexit; Præfectis, quibus conſtabat adhuc fides, non parum indignantibus. Ex his unus *Chuyunius* rarum dedit ac vix auditum conſtantiæ exemplum. Præfectus idemque philoſophus erat haud ignobilis; ſed à vera germanaque virtute nobiliſſimus. Hic tantam *Changyui* aſſentationem

Rarum conſtantiæ exemplum.

tionem ac perfidiam non ferens, contemto vitæ diſcrimine, quod vel ab Imperatore vel *Vanga* familia impendebat, forti conſtantique animo audientiam apud illum ſibi fieri volens; habere ſe profeſſus, quæ afferret in bonum Imperii. Vbi colloquendi poteſtas fuit; in Præfectorum omnium corona Imperatorem ſtrictim affatus, *Omnium primo peto*, inquit, *ut mihi gladium concedas, quo hic, coram te loquacis & oſtentatoris hujus caput amputem.* Imperatore, quiſnam eſſet ille, interrogante; Changyuus *eſt impoſtor ac perfidus ille*, ſubjecit Chuyunius, *quem dignum putem, cujus, te præſente, caput cervicibus abſcindam.* Imperator audito ſui præceptoris nomine nimium quantum ira efferbuit; eaque mox in rabiem verſa imperat, ut *Chuyunium* ad ſupplicium abripiant. Adſunt apparitores è veſtigio, ſimul & è palatio ejecturi. At is aulæ podia crateſque manibus adeo fortiter tenuit, ut, cum divelli non poſſet inde, nec illi quidquam in eo abſtrahendo remitterent, podia rumperentur. Interim ita *Chuyunius* vociferabatur. *Quam bene mecum agis, ô Imperator? quod optabam concedis. Nunc moriar demum, & quidem libens moriar. Malo enim ad fidos Imperatorum Præfectos iniquiſſime à te tuique ſimilibus tyrannis contrucidatos moriens ire, quam vivus apud te turpem ſervitutem ſervire, qui aſſentatores amore, fidos autem ac ſapientes odio proſequeris. Hoc unum dolet mihi, te adeo hebetem eſſe, ut non intelligas, quantum te, quantum* Hanam *familiam maneat malum; te vero inprimis, quando ſaluberrima tuorum conſilia reſpuis, ſolos aſſentatores auſcultas. Dixi, quæ dicenda putabam; tu modo de me age, quod lubet; & quodcumque necis genus tibi furor ſuggeſſerit, occide.* Obſtupuere Præfecti, qui permulti aderant, hac conſtantia; & flexis de more genibus Imperatorem rogant, ut ei vitam daret. *Si enim*, ajebant, *in publicum conſuluit, hoc eſt, tibi; puniendus non eſt, ſed laudandus. Sin aliquid erravit, tanquam phrenitide laboranti ignoſce. Talia namque nemo loquitur tanta conſtantia, niſi vel fidiſſimus, vel prorſus amens.* His auditis Imperator, ira conſeneſcente *Chuyunium* dimitti juſſit; ac

 præ-

præterea, poſtquam ad ſe rediit; ut fractas crates nemo reficeret, monimento futuras, ex quo noſceret poſteritas, ipſum etiam vera loquentes ac fidos habuiſſe Præfectos. Felix reſpublica, in qua Principes nolentes volentes coguntur audire, quæ minime volunt; at multo felicior, ubi poſito metu Præfecti ſuos Principes libere culpant, haud ferentes, cum ſuos dominos à recto virtutis tramite aberrare vident. Vtrum impenſius mirer conſtantiam Præfectorum, an Regum plurimorum patientiam, neſcio. Præfecti quidem inter fidelitatis arcana in Sinica Philoſophia recondita, ſed in cælum uſque tollenda laudibus, illud non infimo loco ponunt, ut Principes ſuos omni abjecto metu, ſalutaribus monitis ad virtutis tramitem reducant. At Imperatores ex adverſo meliores, iique non pauci talium Philoſophorum conſtantiam amavere. Quod magis in hac, qua de loquimur, familia elucet. Nam hic quidem Imperator, ut reliquos Præfectos admonitionum licentia prohiberet, admonitorem Præfectum induxit unum. At non ideo tamen reliqui tacebant Præfecti, ſi viderent admonitorem officio ſuo deeſſe.

Sinarum in monendis Imperatoribus libertas.

Licet autem *Chingus* plurimas amaſſet mulieres, immerſus libidinibus; nullum tamen ſuſcepit filium. Quo factum, ut *Hingum* nepotem ex fratre *Tingtao* Rege in ſucceſſorem declarari vellet; quem apud ſe in palatio non ſecus ac filium habuit.

In hoc ſtatu res erant, cum fato concedit Imperator, eo anno, quo Martem in loco ſtellæ; quam *Sin* vocant, obſervarunt Mathematici; qui locus, ut jam dictum, noſtris temporibus à gradu ſecundo ad vigeſimum uſque ſagittarii extenditur. Hæc autem Martis conjunctio cum tali ſidere Sinis ſemper formidoloſa fuit.

Mors ſubita Imperatoris.

Deceſſit autem morte repentina, nulla ægritudine præeunte, cum pridie læte cœnatus, ſummo mane ad multa negotia pertractanda decreviſſet ſurgere. Ac luce quidem poſtera ſurrexit è lecto; ſed dum induit ſe veſtibus, repente mortuus concidit. Regina mater *Chaum* quemdam venenum ei miſcuiſſe credidit; *Mango* conſanguineo in eum juſſo inquirere. Quo *Chaus* audito

dito mortem ſibi concivit, noxius, an ſecus, ignotum. Tribunali ſaltem ſe non ſine ſceleris relicta ſuſpicione ſubduxit. Ceterum Imperator, ut initio dictum, veneri vinoque plus nimio deditus fuit; ex quo perperam & injuſte facta ſceleraque conſecuta ſunt multa. Matrem nimium amavit; à qua vitæ licentia permittebatur ei, quo ſuos interim conſanguineos elevaret. Quod huic mulieri perquam promtum fuit, cum, quidquid optabat, hac arte ab Imperatore obtineret, & ad turpiſſima quæque facinora facem ei præferret.

XII. Imp. NGAYUS.

Imperavit annis VI.

VT diximus, *Ngayus* antecedentis ex fratre nepos fuit. Acceſſit ad gubernacula juvenis admodum, rexitque ſatis bene; moderatus ſumtuumque parcus. Sed quod eſſet ætate tantis rebus nondum pari (quippe natus annos non plus unde viginti) omnino, quod optabat, efficere non potuit. Multos Præfectorum mutavit, & *Mangum* familiæ *Vangæ* principem ſumma præfectura ſpoliavit. Sic illius familiæ inſolentiam aliquo modo repreſſit, & fortaſſe, ſi diutius imperare contingeret, exſtinxiſſet omnino. Sed proſperis conatibus immatura mors interceſſit, ad implendam ſequentis proxime Imperatoris tragœdiam familia ſuperſtite.

Cyclo 45 anno 52. ante Chriſtum 6.

Anno imperii primo vitæ diſcrimen ingens adiit. Cum enim animi gratia, ſolis mulieribus, quæ de more ſerviunt Imperatori, comitatus, deſcendiſſet in caveam, in qua tigrides, urſi, feræque alebantur aliæ; forte urſus per podii crates nixus in ambulacrum evaſit. Ibi ceteris evidenti periculo perterritis & fuga ſalutem quærentibus; una ſtetit *Funga*, quæ pluſquam virili animo, ſolis armata veſtibus urſum excipiens atque ſtrangulans, ab Imperatore imminens atque adeo præſens periculum avertit. Hanc deinde mulierem ſumma ſemper caritate dilexit; ſed ut ſæpe fit, ſumma invidia comite: quam, quæ urſum domare potuit, ſuperare non potuit. Namque ab Imperatrice vexata propte-

Rex morti ereptus à famula,

Audaci facinore.

propterea, quod à marito præ ſe amaretur; qua manu ſervarat Imperatorem, eadem ſibi vitam exhauſit.

Annum imperii quintum, qui fuit ante vulgarem Chriſti epocham ſecundus, anni Sinici menſe dieque primo ſolis defectio inſignem fecit. Sub idem tempore audita vox eſt in palatio prorſus inſolita, pulſati tympani ſonum referens, adeo vehementem, ut ad extremam uſque palatii portam ſe diffuderit. His portentis anxius Imperator, quid ſignificaret, è Mathematicis quæſivit. Illi magnam in Imperio rerum converſionem atque rebellionem adeo fore reſpondent; id enim voce, quæ audiatur ſine figura loquentis ac ſpecie portendi.

Vox ominoſa.

Hoc eodem anno *Tangu* rex *Tartarus* legationem miſit ad Imperatorem, ejus ſalutandi copiam petitum. Fuere, qui non admittendum dicerent, quo ſumtibus parceretur. In hujuſmodi namque legationibus magni ſemper à Sinis fiunt ſumtus, non modo cum exteri reges adſunt, ſed etiam, cum eorum legati. Qui advenientes ex Imperii finibus ad regiam uſque publicis ſumtibus magno cum ſplendore deducti, eodem modo vivunt inibi, de publico item, palatio viſendo, Præfectoque uno è præcipuis, cui mandata exterorum cura, iis attributo. Legatione geſta, reducuntur ad uſque regni confinia eadem pompa, qua excepti erant. *Ianghiungus* tamen haud infimæ autoritatis Præfectus, ut admitteretur *Tartarorum* rex, Imperatori ſuaſit; &, *Nihil optabilius*, inquit, *Imperio Sinico poteſt accidere, nihil opportunius, quam illos amicos admitti, quos hucuſque ſemper pro hoſtibus habuimus. Ecquid aliud optarunt Imperatores priores, quam ut tot bellis ac ſumtibus* Tartari *vel ſubigerentur, vel volentes nolentes in amicitiæ jura concederent? Nunc ubi pacem expetunt amicitiamque noſtram ultro hoſtes noſtri; ſumtus cur timemus? quid ſi repulſam paſſi bellum moveant? an non plures nobis erunt neceſſarii ſumtus, ut vim repellamus? ut taceam noſtra contumacia magnis difficultatibus atque periculis Imperium involutum iri.* Motus his dictis Imperator *Tartarum* regem ſuperbo apparatu excepit. In hunc modum inter acerrimos tot, annis

Tartarorum rex magnifice à Sinis exceptus.

annis hoſtes pax coaluit authore Deo, paullo poſt homine futuro, &, ut Angelorum habet camen, in terra pacem hominibus allaturo.

Anno ſequenti poſt *Tartarorum* adventum, firmatamque pacem Imperator diem obiit ſupremum; nulla re memorabilis, niſi quod ejus mors in illum annum inciderit, quo Decembri menſe, vitæ parens & humani generis vindex Deus Iesvs Christvs ex Maria Virgine natus eſt, cum totum Sinicum Imperium altæ pacis gaudio frueretur. Eſt & hoc ad memoriam illuſtre, quod Imperator non *Ngayus* dici voluit, ſed *Pingus*; quod *Pacificum* ſonat. Mirabili Dei providentia, ut, quo tempore Chriſtus Rex vere *Pacificus* in terras venit, etiam Sinicus Imperator *Pacificus* cognominetur.

Rex Pacificus.

Tungyenus erat Præfectus apud *Ngayum* gratioſus inprimis. Elegans in eo forma, corporiſque dignitas; comitas affabilitaſque ſermonis magna; ſed multiplex ingenium & tortuoſum. Quibus rebus ad Imperatoris gratiam ſic adrepſerat, ut præ omnibus amaretur. Verum calliditate avaritiaque cum eſſet inſignis, abutens Imperatoris gratia, plurimos vexavit. Audita igitur ejus morte, ſuorum ſibi criminum conſcius, ne ſecuturo Imperatori meritas daret pœnas, eodem die, quo ille mortuus eſt, ipſe de ſe ſtatuit.

Atque hæc eſt prima Decas, quam promiſeram. Hanc ſi lectoribus meis gratam intellexero, ad reliquas abſolvendas ex moleſtiſſimis Sinicis characteribus, mihi animus erit.

Ad Majorem Dei ac Matris
Virginis Gloriam.

INDEX

INDEX

Rerum, quæ hoc libro continentur.

A.

Abjectio magna victi Imperatoru. 263. *Acus nautica vetus Sinarum inventum.* 106
Aditus ad Imperatorem præcluſus. 255, 260
Admonitiones olim à Sinarum Imperatoribus & regibus flexis genibus exceptæ. 208
Admonitio prudens concubinæ Imperatori facta. 405
Adulatores dominati. 67, 84. *Probum Regem decipiunt.* 110. *Adulatio vana.* 322, 359. *Adulator philoſophus.* 408
Adulteri vocantur à Sinis, qui Dominos mutant. 164
Æmulorum artes. 167. *ſucceſſus.* 168
Æmulus mirâ humanitate factus amicus. 178
Æmulatio propinquorum. 380
Agricola fit Imperator. 42
Agriculturæ octo terræ partes aſſignatæ. 18. *aratri inventio.* 24. *Agricultura reſtituta.* 329. *ab Imperatore exculta* 374. *Agriculturæ magna apud Sinas peritia.* 49. *ſtudium.* 107, 108, 139
Agricolarum vindicta in Imperatorem venationi nimis addictum. 108
Agrorum pars nona Imperatoris. 139. *communi opera excolitur.* ibid.
Albus color Sinis in luctu. 44, 333
Alba gallina munus regium. 106
Ambitio inſana. 239. *Ejus tragica machinatio.* 343
Ambitio aliena Imperatrici mortem accerſit. 388. *ambitionis fœmineæ machinatio.* 390
Amici fides. 116, 211. *Amicus uſque ad aras.* 141
Amicitia lapidea. 203. *Amicitiæ jus violatum.* 401
Amici vera & ſincera objurgatio. 203. *objurgatum facit victorem.* 204
Amor in ingratam patriam. 205
Angelos bonos & malos credunt Sinæ. 11. *etiam Tutelares.* ibid. *cur?* ibid. *Eis templa dicant.* 12
Animal rarum captum. 360
Animalia non niſi adulta occidunt Sinæ. 178
Animi generoſi putavit eſſe Chinyus, ſtrategemate non uti. 283
Annus, quo moritur Imperator ex eadem familia, totus ei attribuitur. 49
Anni Bellorum. 159
Annus à venatione nominatus. 360
Apoſtolorum numerus a Confutio Philoſopho adumbratus. 140
Aqua Mercurio ſubjecta. 20
Aquarum deductiones in Sinis. 39, 46
Cur in Aquario Sinis anni exordium. 34
Arbores in agris non ſerendæ. 178
Arca aurea divinationes continens. 105
Arithmetica Sinenſium. 27
Arma nulla licet in Aulam Imperatoris inferre. 226
Armis virtus potentior. 328
Aſtutia in explorandis hominum judiciis. 261
Atramentum Sinarum. 334
Avaritia cauſa tyrannidis. 113. *ab ipſo reo punita.* 388
Audacia legati. 216. *Audax feminæ facinus.* 411

Aves

Aves civilium magiſtratuum inſignia. 32. *cur,* ibid.
Avis ſolis, boni ominis. ibid. *quanam illa ſit.* ibid.
Aves novem unâ jaculatione confixa. 60
Aulici probi faciunt probum regem. 110
Aulam male moratam philoſophi fugiunt. 144. *idcirco objurgantur.* 145
Aureum ſeculum. 18
Aurifodina à Tango Imp. populo conceſſa. 74
Aures tres hominis. 193

B.

Bacillis in menſa utendi ratio quando cœpta. 91
Bellum primum. 25. *diſſuaſum.* 110
Belli cauſa equorum immodicus amor. 109
Bellum in venationem mutatum. 110
Bella inter fratres. 123. *cum patre.* 157
Bellorum anni. 159
Belli bene geſti præmium regnum promittitur. 257
Beneficia & injuriæ beneficiis compenſata. 302
Beneficium collatum à conferente diſſimulatum. 393
Benignitas Imperatoris in ſenes. 326
Blaſi ducis diſerta fides. 310
Bombycum ſerici uſus ab Imperatoris conjuge doctus. 38, 108. *à Sinis in Europæos propagatus.* 38

C.

Cadaver regis vindictæ ſtudio conciſum. 142
Cædes diſſuaſa. 124
Cæde uxoris quæſita dignitas. 166
Cædes regis inſontis ſuaſu feminæ. 312. *cædis cauſa ſuperbia.* 335
Cælum quando creatum. 13. *Cæli numerus impar.* 16
Calumnia ab amico propulſata. 211. *in authores redit.* ibid.
Calumnia ab hoſte in ducem belli cuſa. 225
Cæmentarius ad præcipuam Sinarum præfecturam aſſumitur. 85
Canis aut draco à Sinis creditur in Eclipſi ſolem aut lunam devorare velle. 58
Cantu galli fuga adjuta. 192
Captivi liberati, cur? 108
Carceri incluſus juvenis Imperator, fit melior. 76
Carnea ſilva. 68
Caſtus Imperator. 155
Cervus Imperatori oblatus pro equo. 261
Changi reguli virtus. 82. *regimen felix* ibid.
Changleangi peritia militaris in tribus conſtitit. 253. *ejus modeſtia.* 266
Chaocaus Colaus Imperatorem deſtruit. 305. *fraude perſuadet ei, ut publicum vitet.* 255. *ſocium ſceleris perdere laborat.* 256. *Imperatorem è medio tollit.* 260. *ſcelerum pœnas dat.* 261. *memorabilis illius nequitia occaſione cervi.* 252
Chaocungi mira in Imperatorem fides. 114, 115
Chaos origo rerum. 13
Characterum Sinenſium initium & figura. 22. *ſex in iis obſervanda.* ibid.
Charitas ducis in milites. 204, 363. *fugitivi in patriam.* 205
Chaus Imp. a ruſticis occiſus ob agros venatu deſtructos. 108, 109
Cheungi Colai in Imperatorem agrum pietas. 103. *ſtudium inſtituendi Imperatoris.* ibid. *premitur invidia.* 104. *reſtituitur.* 105
Cheus Imp. venationis amans inermi manu feras cepit. 91. *eburnea vaſa uſurpat primus.* ibid. *bacillis inter edendum primus utitur.* ibid. *uxorius eſt.* ibid. *gentem tributis onerat.*

rat. ibid. *turrim ingentem ædificat.* ibid. *convivium centum viginti dierum dat.* 92. *ejus crudelitas.* ibid. *bene monentem occidit.* 94. *& puellam ſtuprum recuſantem.* 92. *prægnantes occidit.* 94. *ejus crudelis curioſitas.* ibid. *ſeipſum occidit.* 100

Chimici Sinenſes immortalitatem ſpondent. 355

CHRISTVS à Confutio futurus homo agnitus. 149

CHRISTO Nato Sinarum Rex Pingus, id eſt, Pacificus dictus. 413

Chumkingi Imp. prudentia. 57

Chungius philoſophus omnia ait timenda. 180. *ejus philoſophia à matre explosa.* ibid. *& à Mentio philoſopho.* 181

Civilium magiſtratuum inſignia ſunt aves. 32. *Clades ingens,* 100, 191, 194, 213, 227, 228, 286

Clementia mira matris Imperatoris. 379. *Imperatoris Siuenii.* 387. *Iueni.* 397

Cochinchina legatos mittit ad Imper. Sinenſem. 106. *cur?* ibid. *ejus regni felicitas unde?* ibid.

Cohabitatio turpis. 68

Colai dignitas quæ. 40

Color cæruleus & luteus Imperatoribus Sinenſibus familiaris 29. *color candidus Sinis in luctu conſuetus.* 44. *color pro venere ſumitur à Sinis.* 267

Cometa viſus. 407

Commeatus intercluſus. 337

Communia omnia eſſe voluit Hiuhingus philoſophus. 181. *Comœda puella fraude in reginam aſſumpta.* 230

Comœdiarum damna. 406 *ex comœdo regulus.* ibid. *Conchæ cum pelagiâ ave certamen.* 224 *Concubina mortua a mago repræſentata Imperatori.* 364

Confeſſio cogitati ſceleris. 309

Confutius philoſophus natus. 137. *uxorem dimittit: cur.* 139. *quot diſcipulos habuerit.* 140. *ejus magiſterium & labores.* 142. *honeſta fuga.* 143. *philoſophia contemta.* 144. *ejus doctrina.* 147. *mors.* ibid. *dogma vere Chriſtianum.* 148. *Deum videtur agnoviſſe.* 149. *& Chriſtum futurum hominem prævidiſſe.* ib. *ejus exiſtimatio.* 150. *honor poſthumus.* 151. *diſcipulorum de eo judicium.* 152. *librorum ejus æſtimatio.* 241

Conjunctio planetarum memorabilis. 33

Conjugia à Fohio Imp. introducta. 23. *Conjunx ad frugem revocat maritum Imper.* 116

Conſilium prudens. 161, 201, 204, 213, 243, 253, 264, 288, 305, 314, 346, 347, 348, 386, 394, 399 412. *conſilium malum.* 165, 246, 272, 277. *conſilium anceps.* 171. *conſilium conſulenti peſſimum.* 173, 353, 372, *conſilium cautum male neglectum.* 227

Conſpiratio. 162. *detecta.* 382. *alia in ignarum Imperatorem.* 384

Conſtantia in fide. 195. *rarum ejus exemplum.* 408

Conſtellationes apud Sinas viginti octo. 50

Contemptus opum. 320, 393

Convivium diuturnum. 92

Coquus Imperator. 61

Cordis ſeptem meatus ingenii nota & laus apud Sinas. 94. *Cor evulſum.* ibid.

Cranium hoſtium pro poculo. 163

Croceus fluvius unde dictus. 64. *ejus curſus.* ibid. *ab eo natum proverbium.* ibid.

Crudelitas ingens. 92, 94, 113, 117, 254, 269

Crudelitas in regiam familiam. 226, 229. *Imperatricis in concubinam.* 318. *regni abdicatione à filio damnatur.* 319

Crudelitas in reos. 335

Cungkia Imperator luxui vacat. 66. *adulatores fovet.* 67

Cuprea vaſa novem omina imperii. 50

Cuprea turris, & ejus uſus. 356
Curioſitas crudelis. 94
Curribus in bello uſi Sinæ. 174
Cyclus ſpatium ſexaginta annorum quando Sinis inchoatus. 26, 30

D.

Damna Comædiarum. 406
Dedecus facit meliorem. 274
Delatio iniqua. 169. *graviter punita.* 170
Deliciæ militibus perniciosæ. 280
Dei nomen Sinæ non habent. 11
Deum tamen agnoſcunt. ibid.
Devotio ſui pro ægro Imperatore. 103
Diligentia mira Yui aquas in Sina coercentis. 46. *cur tanta.* ibid.
Diligentia filii natu minoris regnum obtinet. 160
Diluvii mentio apud Sinas. 12, 39
Dignitas cæde uxoris quæſita. 166
Diſcipulo peccante præceptor punitur. 104, 172
Diſcipulorum CHRISTI numerus à Confutio adumbratus. 140. *Diſcipulorum de Confutio exiſtimatio.* 152
Diſciplina militaris. 174. *reſtituta.* 166
Diſcordia fratrum regnum periclitatur. 129
Divites ignavi contemti. 172
Dolus in bello neglectus nocuit. 130
Dominum non mutare, apud Sinas magnus honor. 164
Domus deſiderii. 374
Draconis dorſum cauſa myſticarum linearum apud Sinas. 22
Draco Sinis felicitatis omen. ibid. *inſigne imperii Sinici.* ibid.
Draco in Imperatoris inſignibus quinque habet pedum digitos, ceterorum quatuor tantum, idque ſub capitis pœna. 22
Draco in veneratione Sinis. 118
Draco vel canis in eclipſi à Sinis creditur velle Solem ac Lunam devorare. 58
Draconis ſpuma ſacra. 118. *fecunda.* ibid.
Ducis bellici in milites charitas. 204, 363
Dux volans. 354. *Dux fit paſtor.* 368

E.

Ebrietatis mala ingentia & varia. 335
Eburnea vaſa quando primitus in Sina uſurpata. 91
Eclipſis ſolis memorabilis. 58. *eam quod Mathematici non prædixerint, occiſi.* 58. *ſuperſtitio Sinenſium circa illas.* ibid.
Electio Imperatoris apud Sinas tranſiit in ſucceſſionem. 48
Elementa quinque apud Sinas. 19. *cur.* ibid. *Planetis applicata.* ibid.
Epicuri ſecta ante Epicurum in Sinis. 133
Equorum nimius amor belli cauſa. 109. *equorum amor.* 112. *oſſa eorum magno pretio emta.* 190
Equiſo factus dynaſta. 112
Equus cervus. 261
Equum velocem cur Venius Imperator recuſarit. 326
Excubiarum fides & conſtantia. 331
Exempli vis mira. 97
Exilio multatur potus Sinici inventor. 54
Exilii tria genera à Xuno ſtatuta. 45
Exercitus undecim contra unum hoſtem. 369
Exercitus ingens. 222, 227
Explorata miniſtrorum fides. 169

F.

Fabrilis & figlina ars inventa. 29
Fabri cæmentarii fortuna & ſapientia. 86, 87. *ad Præfecturam aſſumitur.* ibid.
Fabula de origine Laotani philoſophi. 134
Famæ apud poſteros ſtudium. 137
Famula regem à morte eripit. 411
Fancii legati eloquentia remunerata. 206. *invidiam ei parit.* ibid. *publico ma-*

eo malo. 207. *ejus fuga.* ibid. *conſilium,* 208. *fit Colaus.* 209. *ejus diſſimulatio.* 210. *veſte donatur ignotus.* ibid. *vindictam petit.* ibid.
Faſtus regis repreſſus. 160
Faus Imperator adito imperio nomen mutat. 161
Femina ab hoſte per ſpeciem amicitiæ donata Imperatorem & regnum perdit. 68. *femina male regno conſulit.* 211. *Sinis imperat.* 322
Ficta legationes. 65. *fictus Imperatoris filius.* 379. *morti adjudicatur.* ibid.
Fides Chaochungi mira in regem. 114, 115
Fides amici. 116. *legati.* 368. *Ducis* 379
Fides præfecti in regem. 142
Fides hoſti ſervanda. 126
Fides matronæ in regem rem reſtituit. 195. *innocentis exulis in regem.* 205. *excubiarum.* 331
Fides & mors ducis Imperatorem ſervat. 290
Fides ab hoſte præmio donata. 304
Fides in defunctum Regem. 312. *Imperatori inviſa* 313. *ob libertatem animi ab eodem remuneratur.* ibid.
Figuli habitu fortunam fugiens. 154
Filium Iaus vetat in imperio ſibi ſuccedere. 41
Filiorum poſt mortem parentum triennals luctus. 43. *eo tempore magiſtratu ſe abdicant.* ibid.
Filios non habere, ingens apud Sinas malum. 44
Filii à Xuno in ſucceſſione imperii præteriti. 46
Filia patri pro cibo appoſita. 92
Filii inſignis in patrem pietas, ac fides in Imperatorem. 98
Filius, patris hoſtis. 131. *vincitur & necatur.* ibid.
Filius aut uxor non luunt crimen patris vel mariti. 139
Filius in patrem rebellis. 138, 140, 157
Filiorum indoles explorata. 159. *diligens regnum obtinet.* 160
Filius à patre ſtudio pacis occiſus, nullo fructu. 226
Filii apud Sinas, ne ſint patre majores, honores ſuos ei etiam mortuo adſcribunt. 243
Filiorum hæreditas virtus patris. 320
Fimi ad ſtercorandos agros apud Sinas varii. 49
Fluvius croceus unde ſic dictus. 64. *ejus curſus.* ibid. *ab eo natum proverbium.* ibid.
Fœdera epoto galli ſanguine icta. 216. *fœdus violatum.* 353
Fohius I. Imperator poſt diluvium ſine patre natus. 21. *quomodo fuerit conceptus.* ibid. *aſtrologiæ peritus.* 22. *leges & mœnia condidit.* ibid. *veſtium inter viros & feminas diſcrimen invexit.* 23. *conjugia inſtituit.* ibid. *muſicum inſtrumentum invenit.* ibid.
Foliis inciſa ſtylo ferreo hiſtoria prima Sinarum. 40
Fons vini. 366
Fortitudo duplex. 179. *militaris.* 300. *forte facinus famulæ.* 411
Fortunæ faventis fuga. 154. *fortunæ ſævities.* ibid.
Fratres & parentes, Xuni humanitate revocati ad frugem. 47
Fratrum inter ſe bella. 123, 156
Fratrum duorum lis laude digna, uter imperet. 97, 136
Fraus legati. 188. *æmuli.* 196. *Imperatricis.* 321. *magi.* 364
Fraude ſublatus innocens. 400
Frugalitas Imperatoris. 326
Fuga Imperatricis prudens & regno ſalubris. 116
Fuga ſuaſa. 171. *ſero perſuaſa.* ibid.
Fuga galli cantu promota. 192
Fugæ cauſa præmii oblatio. 217. *fuga honoris.* 376. *Fuga ſubductis navibus a duce prohibita.* 259. *Furor victoris.* 269

G. *Galli-*

G.

Gallina alba munus regium. 106
Gallina, ſi galli munus & vocem occupet; ruina domui imminet. Proverbium Sinicum eſt. 100
Galli cantus portæ urbis aperiendæ ſignum. 192. *fugam juvat.* ibid.
Galli jugulati ſanguis in fœdere adhibitus, 216
Gemmæ ſunt boni regum miniſtri. 174
Genibus flexis a Sinarum regibus admonitiones auditæ, 208
Geometriæ initia. 18. *eam callet Yuus Imperator.* 50
Grando ingens. 112
Gratitudo Imperatorum in Conſutium. 151
Gratitudo filiorum in parentes. 43, 99, 243
Gratitudo diſcipulorum in magiſtros. 104

H.

Habitationi è novem terræ partibus una conceſſa. 18
Hanſinii fortiſſimi ducis ortus. 273. *inertia dedecore excuſſa.* ibid. *fit mortis reus.* 274. *evadit, emergit, otium fugit.* ibid. *militiæ præficitur.* 276. *prudens ejus conſilium.* 277. *Guei regem vincit & capit.* 282. *hoſtem ſervat, ejuſque conſilio utitur.* 286. *propter muſicam urbi parcit.* 301. *beneficia & injurias remuneratur.* ibid. *capitur.* 304. *abſolvitur.* 305. *ejus labefactatur felicitas.* 307. *ejus gloria perfidia corrupta.* 311. *obtruncatur.* 312
Hanzous duos imperatores necat, 59. *occiditur & ipſe.* 62
Herbarum vires ab ipſo Imperatore exploratæ. 24
Herba in aula Imperatoris nata malorum hominum index. 29
Hereditas filiorum, virtus. 320
Heres ſuppoſititius ab Imperatore occiditur. 322
Hereditas æqualiter diviſa. 354
Hiangius præ animi ſtupore nec literam addiſcit. 251
Hiuhingus philoſophus laborioſam philoſophiam tradidit. 181. *voluit omnia eſſe communia.* ibid. *refutatur a Mentio.* ibid.
Hiſtoria Sinenſis quanta diligentia continuata. 20
Hiſtoricus ob veritatem necatus. 137
Hiſtoria Sinenſis primo foliis inciſa. 40
Hoaius Imp. luxui deditus. 63
Holoſerici laceratio Imperatrici in deliciis. 119
Homo apud Sinas primus, quis. 13. *unde natus.* ibid.
Homo quando conditus. ibid.
Honor triſtis ultroneæ mortis. 155
Honoris fuga. 376
Horæ Sinarum fabuloſæ. 13
Hora mundi nona rerum in orbe perturbatio. 14
Hora noſtri ævi quænam juxta Sinas. ibid.
Horarum apud Sinas ratio. 17
Hoſpitii jus læſum. 339
Hoſti vita ſervata. 124. *ſervanti profuit.* ibid.
Hoſti ſervanda fides. 126
Hous dux belli creatus in Chai regis exercitu diſciplinam reſtituit. 166. *occiditur.* ibid.
Humanitas mira Xuni de vita periclitantis. 47

I.

Iapones à Sinis orti. 237
Iaponiæ rex è nauclero quo aſtu factus. ibid.
Idololatria in Sinas quando invecta. 11
Ignis è ligno. 19. *Marti ſubjectus.* ibid.
Imber maximus. 404
Ignis loquens. 99
Immortales aliqui Sinenſium opinione. 30
Immortalitas hujus vitæ ab Impoſtore Imperatori promiſſa. 356

Ejus apud Sinas ſtudium. 356. *error hic exemptus.* ibid.
Immortalitatem Chimici Sinenſes promittunt. 355
Imperator Sinarum ſimul eſt Sacerdos. 33
Imperator coquus. 61
Imperatores Sinarum deliciis vacant. 63. *agunt negotia per libellos.* ibid. & 390. *raro è gynæceo prodeunt.* 63
Imperator voluptatis mancipium. 246. *magna ejus devicti abjectio.* 263
Imperator pro ducibus feſſis excubat. 280
Imperatori pietas regno ſit potior. 295
Imperator è latrone. 317
Imperator futurus, in carcere ſignis oſtenditur. 385
Imperator Iuenus philoſophus, non item prudens. 397
Imperium oblatum Sangous reſpuit. 41 *in alium rejicit.* ibid.
Imperium venando amiſſum. 55
Imprudentia Imperatoris adverſus ſimulatorem. 400
Incendia magna, 37 269
Indoles filiorum explorata. 159
Indulgentia parentum in liberos noxia. 340
Ingratitudo. 279
Inique delatio. 169. *graviter punita.* ibid.
Initium anni apud Sinas. 34. *non ſemper fuit idem.* ibid.
Injuria beneficiis compenſata. 302
Innocens fraude ſublatus. 400
Inſidiæ eluſæ. 201
Inſignia officii abijciebant Sinenſes magiſtratus, ſi monentes Imperator non audiret. 215
Inſigne imperii Sinenſis, Draco. 22
Inſignia magiſtratuum diverſorum diverſa. 32
Intercalaris menſis apud Sinas inventus. 30
Invidia. 32, 196 *fidos miniſtros regi eripit.* 196, 207. *aulis familiaris.* 398
Invidiam virtus parit. 411
Ira Imperatoris ab uxore prudenter correcta. 52
Ira facit fortem. 296
Iridis colores in ſuperciliis Imperatoris Iai. 39
Itius philoſophus ſtatuit æqualem in omnes amorem. 182. *refutatur à Mentio.* ibid.
Iuſtitia Sinarum quid ſit. 96
Iuſtitia regi regnum ac vitam ſervat. 132
Iuſtitiæ comes lucrum 177. *Ius amicitiæ violatum.* 401
Iynius præfectus imperatorem carcere triennali emendat. 77. *liberato regnum reſtituit.* ibid.

K.

K*alendarium Sinarum.* 31. *Chriſtianis accommodatum.* ib. *primo publicatum.* 33. *qua pompa publicetur.* 35
Kangus Imperator agricultura ſtudet. 107
Kiaus ingentis roboris. 60. *navem ſolus per terram trahit.* ibid. *Siangi Imperatoris ſtirpem prope exſcindit.* 61
Kieus ſceleratus Imperator. 68. *ejus robur.* ibid. *uxoris amore inſanit.* ibid. *ejus luxus.* ibid. *a magiſtratibus reprehenditur.* 69. *ſævit in monentes.* 70. *regno pulſus pœnitentiam ſimulat.* 71. *moritur in exilio.* ibid.
Kilin quale animal. 149
Kua potio amatoria. 371

L.

L*aborioſa philoſophia.* 181
Laceratio holoſerici Imperatrici in deliciis. 119
Lacus vino impletus. 68
Latandum quando Principi. 107
Lapidis pretioſi petitio eluſa. 199
Lapidea amicitia. 203

Lapis ſua ſponte erectus mortis omen. 383
Latro fit Imperator. 317
Legationes ficta apud Sinas. 65. *legati apud eos liberaliter habentur.* ibid.
Legati fraus. 188. *audacia.* 215
Legatio diſſuaſa. 218
Legatus occiſus. 294, 375. *Legati fides.* 368
Legatio Tartarorum ad Sinas 396
Leges, muſica nomine appellata. 138
Legum multitudo reſtricta. 391
Legio Sinica quot militibus conſtet. 335
Lenitas Imperatoris. 25. *ſubditos devincit.* ibid.
Liberis carere, miſerum apud Sinas. 44
Liberalitas offuit Imperatori. 306. *liberalitas ducis.* 363
Libertatis pretium puella. 118
Libido excidii cauſa. 69 111
Libri Sinici exuſti. 239, 241. *quidam ingenio ſervati.* 240
Librorum Confutii honor. 241
Libri, præda gratiſſima. 264
Lignum apud Sinas elementum. 19. *ex eo eliciunt ignem.* ibid.
Lignei capuli Sinarum, quos vivi magno pretio comparant. 177
Lii Imperatoris tyrannis. 113. *loqui inter ſe ſubditos vetat.* ibid.
Linearum vario ductu varia Sinarum arcana ſignificantur. 15, 16
Literæ. Vide *Characteres.*
Literis Imperatoris honor habitus. 128
Literæ ſagitta ex urbe emiſſa. 251
Literam unam addiſcere Hiangyuus nequivit. ibid.
Lucrum juſtitiæ comes. 177
Luctus fratrum. 56
Luna habitari credita. 364
Luſus regum ſerius. 106

M.

M*Agiſtratuum civilium inſignia ſunt aves, militarium dracones & feroces beſtiæ.* 32
Magiſtratuum in monendo Imperatore libertas. 69, 93, 94, 97, 110, 114, 203, 233, 235. *Punita.* 70, 93, 94
Magiſter docilem diſcipulum non omnia docet. 169
Magus Sinas nefanda ſacrificia docet. 32. *Magus pro Deo habitus.* 88. *occiſus.* 89
Magus Imperatorem mire ludit. 364
Maoci philoſophi in monendo Imperatore libertas. 233. *inconcuſſa poſt mortis minas.* ibid. *tandem vincit.* 234
Mariti crimen uxores non luunt. 139
Martis ſidus in gratiam regis retrocedens. 157. *ignis ei ſubjectus.* 20
Mater ſine patre, a veſtigio hominis concepit. 21
Matris crudelitas à filio modeſte reprehenſa, regni abdicatione. 319. *Matris pro filia captivæ audax facinus.* 278
Maternus amor in filium. 341
Matris Imperatoris mira clementia. 379
Matrimonia quando Sinis cœpta. 23. *nefas apud eos, nominis ejuſdem puellam ducere.* ibid.
Matronæ in regem fides rem reſtituit. 195
Matheſis apud Sinas antiquiſſima. 13. *& prima.* 17
Mathematicam Yaus Imp. calluit. 38
Mathematici occiſi, quod futuram eclipſin non prædixerint. 58. *ſolent etiam hodie.* ibid.
Memoria ultionis inculcata. 146
Mendici valentes ad laborem damnati. 172
Mentii philoſophi dicta. 176, 177. *tria præcipua.* 179 *dogmata.* 180. *alios refutat.* 181
Menſis intercalaris, inventum Sinarum. 30
Mercurio aqua ſubjecta. 20
Metallum apud Sinas elementum, 19. *veneri ſubjectum.* 20
Metus armorum fecit oblivisci. 226

Metempſycoſis apud Sinas author Xaca. 109
Militum modeſtia. 72
Militum ludificatio Imperatrici grata. 119. *Imperatorem perdit.* ibid
Militis ſapiens dictum. 167
Militaris diſciplina. 174
Milites generoſi non occidendi. 274
Militibus deliciæ pernicioſæ. 280
Militum ſtudia explorata. 323
Miniſtrorum in electione quid obſervandum. 165
Miniſtri ab Imperatore explorati. 169
Miniſtri boni gemmæ ſunt. 174
Miniſtri gloria in regem arte derivata. 204
Miniſtri fraudulenta cunctatione defectio procurata. 259,260
Miniſtrorum ingeniis recte uſus Imperator. 302
Miſerorum major habenda cura. 139
Moderatio Yai Imperatoris. 36, 37. *Siangii Colai.* 202. *Modeſtia Imperatricis.* 325
Monendi Sinarum Imperatores quinque modi. 52
Monendi Imperatoris ſublata libertas. 232. *ſed non adempta* 233,410. *viginti quinque bene monentes occiſi.* 233. *alterius calamitas.* 307. *Monitor occiſus.* 258. *Monitor Imperatoris conſtituitur.* 389,410.
Moi Imperatoris gnome. 110
Montes ponte juncti. 280
Mores Sinarum æquales. 34
Mors ultronea. 132, 175, 195, 131, 301,303,310,328, 331,338,341, 355,361, 363,373,398,410,413.
Mors ultronea oblata honoris ergo. 155
Morus intra ſeptem dies enata in Imperatoris palatio. 78
Mos abjiciendi inſignia officii, ſi monitores à regibus non audiantur. 235
Mulieris ambitioſa tragica machinatio. 343. *Muliebris modeſtiæ rarum exemplum.* 405. *& commotio.* ibid. *Mulier regem morti eripit.* 411
Mundus unde conditus. 13. *quo ordine.* ibid. *quando.* ibid. *ejus finis & interitus.* 14
Munera regia pariunt invidiam. 207
Munera recuſata. 305,325
Murus ingens Tartarorum exſtructus. 298. *ejus opera.* ibid. *fundamenta.* ibid. *cuſtodes.* ibid. *quando abſolutus.* 239
Murum Sinicum Tartari ſuperant 307
Muſicum primum inſtrumentum à Fohio inventum. 23
Muſica inventa. 28. *per Muſicam leges intellectæ.* 138
Muſica, dum pluvia cadit, boni ominis. 164
Muſica indicium bene moratæ urbis. 301. *urbem ſervat.* ibid

N.

Nauclerus aſtu rex Iaponiæ factus. 237
Naves primo factæ. 29
Navis per continentem ab uno homine tracta. 60
Navis mala fide compacta. 108
Naves ſubductæ ad cavendam militum fugam. 259
Naves ab hominibus adverſo flumine, non a jumentis apud Sinas trahuntur. 281
Navis Indica olim in Germaniam appulſa. 368
Nebula denſa ominoſa. 402,403
Niger color Yuo Imperatori familiaris. 49
Nix rara apud Sinas. 403
Nomen initio imperii à Fao Imperatore mutatum. 101
Novercæ odia. 157. *tolerantia ſuperata.* ibid
Nox larga quæ. 92
Numeris arcana Sinæ explicant. 16
Numerus cæli impar, terræ par. 16

O.

Obediendum ſibi & aliis quando Xunus Imp. dixerit. 45

Objur-

Objurgatio proficua. 217
Obſervatio ſtellarum prima. 34
Odia orta inter ſceleris miniſtros. 231
Odia novercæ. 157. *tolerantia ſuperata.* ibid
Odoriferum palatium. 356
Omina virtuti non obſtant. 79
Omen bonum piſcis. 99. *à vaſis trementibus, malum.* 159. *bonum à pluvia, quæ inter epulas aut muſicam cadit.* 164. *omina mortis.* 383
Orbitas apud Sinas ingens malum. 44
Origo mundi, juxta Sinas, qua hora & ordine, 13
Oſſa equi magno emta. 190
Otioſi exagitati. 172
Otii fuga in Hanſinio belli duce. 275
Ovum hominis origo. 13. *& mundi* ibid
Ova duo a milite, ruſtico ablata, ingens quondam apud Sinas piaculum. 174

P.

P*Acificus dictus rex Sinarum Chriſto nato.* 413
Palatium ingens. 241, 242. *palatium odoriferum.* 356
Paoſua Imperatrix nunquam ridet. 119. *diſcerpto holoſerico delectatur.* ibid. *& militum ad pugnam evocatorum ludificatione.* ibid
Papyrus quando apud Sinas inventa. 334
Parentum indulgentia noxia. 340. *mortuis habiti honores, ſed non divini.* 377, 378
Paries pagellis obductus. 240
Partus poſt quatuordecim menſes editus. 371
Paſtor è duce. 368
Patris crimen filii non luunt. 139
Patri bellum cum filio. 157. *Patri honor habetur a filiis poſt mortem.* 243
Pauperes laborioſi in honore ſunt Sinis. 172
Pauperum cura Imperatoris ingenioſa. 380
Pax inconſulto emta. 206
Pacis victima filius, nullo tamen ſucceſſu. 226
Pax obtruſa capto avo & uxore. 295
Pax violata. 298
Pecuniæ ratio apud Sinas. 328
Pedes Sinenſium feminarum parvi unde 95. *eorum decus* ibid. *quam parvi ſint.* ibid
Pentateuchus Sinarum. 351
Perduellis perduellem decipit. 59
Perfidia 194. *punita.* 304
Periculum vitæ induſtria declinatum. 133
Periculum à fratre ingenio averſum. 319
Peritia ſagittandi. 60
Peritia militaris Chanleangi in tribus conſtitit. 253
Phaſiana alba munus regium. 106
Philoſophi aulam male moratam fugiunt. 144. *objurgantur idcirco.* 146
Philoſophorum prudens dictum ac factum. 394
Philoſophos Venheus Imp. amat. 164. *cum illis epulatur.* ibid
Philoſophia laborioſa. 181
Philoſophus & bonus apud Sinas idem. 395
Philtra Sinis uſitata. 371
Phyſiognomia imperii præſagium. 249
Pietas Sinenſium quid. 96, 130
Pietas regis in plebem. 156
Piſcis prope navem evertit. 53
Piſcis bonum omen. 99. *Piſcatio publici juris.* 139
Planetis elementa ſubjecta. 20
Planetarum memorabilis conjunctio. 33
Planetæ gemmis competentibus expreſſi, 44
Planetarum quinque concurſus novum Imperatorem portendit. 273
Pluvia pietate Imperatoris procurata, 75. *boni ominis inter epulas aut muſicam cadens.* 164
Poculum ex hoſtis cranio. 163

Pœna culpæ reſpondens. 60
Poëſis Sinarum. 111
Polygamia a Sinis cœpta. 35. *Regnis moleſta.* 343
Ponte montes juncti. 280
Poſteri meritis Confutii gaudent. 151
Potentia nimia unius familiæ obeſt. 404
Potus Sinicus primo inventus. 54. *ejus author in exilium miſſus.* ibid.
Præceptor peccante diſcipulo punitur, cur. 104
Præceptores mire à Sinis obſervantur. 104
Præda ſunt libri. 264
Præfectorum diverſorum diverſa inſignia. 32
Prægnans mater octoginta annis & uno. 134
Præmia laboris contempta. 217. *fugæ ſunt cauſa.* ibid.
Præmium belli bene geſti regnum promittitur. 257
Præſtigiæ magica Imperatori pernicioſa. 371
Privigni tolerantia novercæ amor conciliatus. 157. *de noverca privigni argutum dictum.* 158
Proceritas Colai regi formidabilis. 404
Proditio in Imperatorem. 225. *quo prætextu.* ibid. & 256
Proverbia Sinarum. De re nunquam futura. 64
De impertoſa uxore. 100
De cauſis periculi declinandis. 162
De amantibus doctorum hominum. 165
De bonis Principum miniſtris. 174
De re, quæ fieri non poteſt. 193
De magno rei alicujus pretio. 200
De oppreſſione duorum inter ſe pugnantium. 224
De occaſione non negligenda. 347
Proſcriptio reguli prima apud Sinas. 152
Proovidentia divina eludi non poteſt. 385, 386
Prudentia Imperatoris in tuendo innocente. 382
Prudentia. 57. *in reprimenda ſeditione* 392
Puella ſtuprum recuſans ab Imperatore conciſa, patri comedenda apponitur, qui filiam ante ad ſtuprũ obtulit. 92
Puella dono oblata Imperatorem placat. 93
Puella libertatis pretium. 118. *belli occaſio.* 135. *exitiale donum.* 143
Puella comœda in reginam aſſumpta. 230
Pueri prudens oratio urbem ſervat. 292
Pulvis ſingulis menſibus evaneſcens. 28. *Lapſu lapidis excitatur.* ibid. *ejus impoſtura & ſuperſtitio.* ibid.
Pupilla duplex in oculis Xuni Imper. 44. *boni ominis habetur.* ibid. *alius quoque habuit.* ibid.
Putei ad ſummum exundantes. 78

Q.

Qvanlungus ob monendi libertatem occiſus. 69
Quieti imperii legibus conſultum. 354
Quotidiana ſui renovatio. 74

R.

Rebellio. 247. *oratione domita.* 133. *regiam familiam delet.* 155
Rebelles domiti. 370
Reges ſeptem una pugna victi. 338
Regnum ſcelere partum bene adminiſtratum. 26
Regni fuga. 97
Regnum bene adminiſtrati belli præmium. 257
Reguli ab Imperatore geniti abrogati. 243
Regulus ex comœdo. 406
Renovatio ſui quotidiana. 74
Reverentia literis Imperatoris exhibita. 128
Riſus provocatus ſerici & regni damno. 119
Ritus Sinarũm duplicis generis. 160

Robur ingens corporis. 60, 68
Ruditas morum & cultus initio apud Sinas. 18, 19
Ruſtica apud Sinas quotannis celebritas & jucunda. 329

S.

Sacci rubro liquore pleni, ſagittis petiti ad oſtentandam potentiam. 89
Sagitta in cælum jacta. ibid.
Sagitta literæ ex urbe emiſſæ. 251
Sagittandi peritia. 60
Sal publici juris apud Sinas. 329
Salix pro tribunali uſurpatur. 108
Sangous oblatum imperium reſpuit. 41
Sanguis galli epotus in fœdere. 216
Sapiens dictum militis. 167. *ducis.* 305
Saturno terra ſubjecta. 20
Scholarum cura. 178. *Schola juxta ſepulcrum.* 103
Scientia triplex apud Sinas. 148
Scripto apud Sinas omnia geruntur. 63 390
Secta Epicuri in Sinis ante Epicurum 133. *Deum agnovit.* ibid.
Sectæ tres præcipuæ apud Sinas. 134
Seditiones quomodo prudenter reprimendæ. 277
Serici uſus & officium à conjuge Imperatoris doctum. 38, 329
Seculum aureum. 18
Securitas regnorum in quo conſiſtat. 167
Senum miſerta Imperatrix. 326
Septem reges ſimul victi. 338
Serpens occiſus regni præſagium. 250
Siccitas ſeptem annorum. 75
Sicinii philoſophi faſtus. 182. *repulſa.* ibid. *vindicta*, *conſilium.* ibid. *Legatio.* 183. *interitus.* 184
Sidus Martis in gratiam regis retrocedens. 157
Sigillum Imperatoris occaſio ſtratagematis. 219. *& fraudis.* 244
Sigilli uſus famulo conceſſus malo eventu. 232
Silentium Imperatoris diuturnum. 84 *cur.* 85
Silentium triſte ſubditis impoſitū. 113
Silva carnea. 68
Similitudo de prudenti miniſtrorum delectu. 173, 174
Errorem etſi parvum, eſſe tamen errorem. 179
Conſilium mutare prudentis eſſe. 206
Sapientiam in uſum publicum proferendam. 215
Virtutem regum populos ad imitandum trahere. 347
Rationem debere ſibi ſemper eſſe ſimilem. 348, 349
De modo facili coërcendi ſeditiones 392
Simulatione doloris paratum clementiæ nomen. 279
Simulatio adulatoris detecta. 359
Sinæ nomen non habent in ſuâ lingua, quod Deum ſignificet. 11. *Deum tamen agnoſcunt.* ibid. & 48. *Angelos bonos & malos admittunt.* 11. *etiam Tutelares, cur.* ibid. *templa eis dedicant.* 12. *Diluvii meminere.* 12, 39. *Numeris arcana tribuunt.* 16. *Hora Sinarum.* 17. *ruditas morum & cultûs.* 18, 19. *quinque elementa.* 19. *Sinenſium hiſtoria quanam diligentia continuata.* 20. *Sinarum terra ante diluvium habitata* 21. *Sinarum inſigne Draco.* 22, 117. & *felix omen.* 22. *Sinenſium characterum initia.* 22. *quid in eis obſervandum.* ibid. *Sinici imperii antiqui fines.* 26. *Sinenſium arithmetica.* 27. *Sinæ aliquot homines immortales credunt.* 30. *à mago nefanda ſacrificia docentur.* 32. *Sinarum Imperator ſimul Sacerdos.* 33, 48. *Mores Sinarum & cultus æqualis.* 35. *Polygamia cœpta.* 35. *luctus triennalis in morte parentum* 43, 44. *in Sinarum luctu color candidus.* ibid. *cur triennium lugeant.* 44. *orbitas filiorum ingens apud Sinas malum, cur.* 44. 220. *ſublatâ electione Sinarum Imperator ſuccedit jure hæredita-*

*rio.*48. *Sinarum error circa eclipſes.* 58. *Sinarum Imp. deliciis vacant.* 63 *agunt negotia per libellos.* 63, 390. *Raro è gynæceo prodeunt.* 63. *Sinenſium antiquæ navigationes quouſque* ibid. *Ad Sinas ficta legationes.* 65. *Sinæ longos ungues pro ſigno nobilitatis habent.* 75. *Sinæ quid per juſtitiam & pietatem intelligant.* 96. *teſtudine ad auſpicia utuntur.* 100. *Sinarum in præceptores mira obſervantia.* 104. *Sinarum Poëſis.* 111. *Ritus duplicis generis.* 140. *Sinæ adulteros vocant, qui dominos mutant.* 164. *feretra vivi ſibi procurant magno pretio* 177. *Et hæc in vivis ſibi procurare, magnæ felicitatis habetur.* ibid. *Animalia tantum adulta occidunt.* 178. *Sinarum appellatio unde.* 223. *Sinarum nemo audet arma in aulam Imperatoris inferre.* 226. *Sinæ magni ſe ac ſua faciunt.* 237. *coloris nomine venerem ſignificant.* 267. *Sinæ ſubditi viliter ab Imp. habentur.* 315. *Pecuniæ ratio.* 328. *Sal publici apud Sinas juris* 329. *Ruſtica apud Sinas annua ſolennitas.* ibid. *Sinæ immortalitatis ſtudioſi.* 333. *eorum atramentum & papyrus.* 334. *Sinica legio quot militibus conſtet.* 336. *Sinarum diſciplina quinque libris comprehenſa.* 351, 352. *Axioma circa Philoſophiæ ſtudium.* 395

Sinlungus philoſophus ait tres homini aures eſſe. 193

Solis avis boni ominis. 32. *quænam illa ſit.* ibid.

Sol decem diebus non occidit. 37

Sphæra cœleſtis a Xuno Imp. è gemmis facta. 44

Spuma draconis ſacra in aureâ arca reponitur. 118. *fœcunda eſt.* ibid.

Stellarum prima obſervatio. 34. *ſtellæ de cœlo lapſæ.* 407

Sterilitas ingens malum apud Sinas. 219

Strategema. 175, 197, 212, 219, 228, 262, 282, 284, 289, 290, 296, 339.

Strategemate nunquam uſus Chinyus. 83

Stultitia ſimulata regulo vitam ſervat. 94. *Philoſopho bonam mentem.* 144

Stupiditas mira. 251

Subditorum mira charitas. 96

Succeſſio ex electione facta. 48

Succeſſio longa in Imperio. 101

Superbia cadis cauſa. 335

Supercilia inſtar Iridis in Yao Imperatore. 39

Superſtitione amiſſa victoria. 127

Supplex Imperator victori. 220

Suppliciorum quinque genera à Xuno conſtituta. 45

Suſurrones Imperator non audit. 386

T.

Tabula ſcelera Imperatoris exhibens. 70

Taikangus venando imperium amittit. 55

Taikieus Imp. in carcere fit melior. 76 *Præfecto in carcerem conjicienti non ſuccenſet.* ibid.

Taiuus Imp. Xenedochium ſenibus ædificat. 78. *juſtitiæ obſervans eſt.* ibid

Takia Imperatrix crudelis 92. *parvos pedes prima fecit eſſe in pretio.* 95. *ooccidítur.* 101

Tangi reguli moderatio eximia. 70. *Imperium ei defertur.* 72 *mire ab omnibus amatur.* ibid. *vult ſe regno abdicare.* 73. *ſed prohibetur.* 74. *aurifodinas populo utendas relinquit.* ibid. *in vaſis utenſilibus gnomas de moribus curat inſcribi.* ibid. *ejus in cives pietas.* 75. *ſui devotio ad impetrandam pluviam.* ibid.

Tartarorum prima in Sinas irruptio. 46. *repreſſa.* ibid.

Tartari bello petiti. 358. *tres exercitus in Tartariam à Sinis immiſſi.* 361. *quo ſucceſſu.* 361, 362

Templa Sinarum Angelis tutelaribus di-

dicata. 12. *ſine idolo.* ibid.
Templum miræ magnitudinis. 377
Terra quando creata. 13
Terra numerus par. 16
Terra Saturno ſubjecta. 20
Terræ motus in Sinis præter morem ingens. 389
Teſtudo Sinis auſpicata. 100
Timere omnia Chungius philoſophus jubet. 180
Tres aures hominis. 193
Tribunalia ſex ab Yao inſtituta. 40
Tribunal in ſalice. 108
Triticum ſeptem dierum ſpatio in palatio enatum. 78
Turris ingens à cervis dicta. 91
Turris cuprea & ejus uſus. 356
Turris ædificandæ ſtultum conſilium eluſum. 365
Tyrannis. 113

V.

V*Acca ad ſtrategema adhibita.* 198
Vacca teſtacea ingens. 330
Vacca fraudis magicæ miniſtra. 364
Vaſa cuprea pro numero menſium. 28. *trementia.* 159
Vaſa cuprea novem Geographica, omina imperii. 50, 133, 200
Vaſa utenſilia gnomis ſeu ſententiis ornata. 74
Venando imperium amiſſum. 55, 60. *Venandi ſtudium in Cheo Imperatore.* 91. *è venatione periculum.* 350
Venatio quæ Principem deceat. 98. *diſſuaſa.* 357
Venationis mala. 108. *Venatio poſt bellum.* 110. *Venatio nomen dedit.* 360
Veneri ſubjectum metallum. 20
Venus coloris nomine Sinis explicatur. 267
Ventus omnia erigens. 105
Veritas hiſtorico necem parit. 137
Veritatis audiendæ ſtudium. 374
Vermiculi loquentes. 383
Veſtes à Fohio feminis & viris diverſæ præſcriptæ. 23
Veſtis donata vitam donanti ſervat. 210
Veſtigio hominis conceptus Fohius Imp. 21
Vetula ab interitu ſervavit Sinicos libros raro invento. 240
Vexilla ſtrategematis occaſio. 262
Via occulta. 242
Via ſubterranea. 281
Victori ſupplex Imperator. 281. *Victoris furor.* 269
Victoria ſuperſtitione amiſſa. 127
Vihia uxor Kieo Imp. fraude obtruſa. 68, 69. *Imperatorem depravat.* 69. *humanas carnes & medullas edit.* 68
Vindictæ ſtudium. 142, 163. *ejus inculcata memoria.* 146. *in authorem redit.* 164
Vini uſus, laus, damna. 107. *Vini fons* 366
Virtus ſit ubique. 179. *armis potentior.* 328. *parit invidiam.* 411
Vita hoſti ſervata. 124. *ſervanti profuit.* ibid.
Vitæ propagandæ ſtudium. 345. *vitæ privatæ amor.* 350
Vita hominis quanti facienda. 391
Vltronea mors. Vide *Mors ultronea.*
Vlxius Imp. voluptatis mancipium. 246, *ejus oſcitantia ſupina.* 248. *aſtrologia delectatur.* 249
Vngues longi ſignum nobilitatis. 75
Volans dux. 354
Vuyeus Imp. ſceleſtus magum pro Deo vult coli. 88, 89. *eum dein jubet occidi.* ibid. *cælo iratus in illud ſagittas jacit.* ibid. *fulmine perit.* ibid. *cur ſuperis tam fuerit infenſus.* ibid.
Vutingi Imp. in patrem pietas. 84. *ſilentium diuturnum.* ibid. *a proceribus reprehenſum.* 85. *ab Imperatore defenſum.* ibid. *ejus de Præfecto deligendo ſomnium.* ibid. *metu mali ominis ſeipſum examinat.* 87. *rebellem devictumque regulum monitis emendat.* ibid
Vxores non luunt crimen mariti. 139
Vxoris cæde quæſita dignitas. 166

Vxoris

Vxoris ſcelus ignaro marito commiſſum, excidio totius familiæ punitur. 388, 389

X.

Xaca Philoſophus & Iaponum poſtea Deus quando natus. 109. *author metempſycoſis apud Sinas.* ibid.
Xaokangus à matre cadi ſubtractus. 61. *latet inter paſtores.* ibid. *fit coquus dynaſtæ.* ibid. *agnoſcitur Imperatoris Siangi ſoboles.* ibid. *parricidam vincit & necat.* 62. *imperium occupat.* ibid.
Xangti, quid ſignificet. 49
Xenodochium à Taivo Imp. pro ſenibus exſtructum. 78
Xunus agricola ad imperium attollitur. 42. *ejus parentes & fratres.* ibid. *ex omnibus ſtudet virtutem addiſcere.* ibid. *minori prius magiſtratu Yaus Imp. ejus experimentum capit.* ibid. *toto triennio abdicato imperio Yai defuncti Imp. ceu patris mortem luget.* 43. *ſphæram planetarum fecit è gemmis.* 44. *duplices oculorum pupillas habuit.* ibid. *in duodecim provincias regnum dividit.* 45. *agriculturam fovet.* ibid. *quinque ſuppliciorum genera decernit, tria exilii.* ibid. *vult tantum in bonis obediri ſibi.* ibid. *aquas deducit.* 46. *neglectis filiis, Yuum ſocium regni facit ac poſtea ſucceſſorem.* ibi[illegible] [illegible]*dhuc privati periculum.* i[illegible] [illegible]*nitas.* 47. *parentes & fra*[illegible]*ugem revocat.* ib.

Yangi Imp. docilitas. 170. *periculum, fortu*[illegible]*a, ſanctione.* 171. *magna ſui*[illegible] *eo gentis felicitas.* 172. *odium unde.* 173. *fatalis exitus.* ibid.
Yaus inſignis Imperator. 36. *ſuis civibus charus, venereas cantilenas odit.* 37. *Mathematicus fuit.* 38. *habuit ſupercilia varii coloris inſtar iridis.* 39. *ſex tribunalia inſtituit.* 40. *adulationem reſpuit.* 41. *filium male moratum ſuccedere in Imp. vetat.* ibid. *ſucceſſorem agricolam nominat.* 42. *putatur idem cum Iano imo Noë fuiſſe.* 40. *vivus cedit alteri imperium.* 41
Yeking liber arcanorum. 16
Yeus faber cæmentarius fit primarius præfectus. 85, 86
Yn & Yang quid ſit apud Sinas. 15
Ys perduellis. 59. *verſipellis.* ibid. *necatus à tyrannidis ſocio.* ibid. *ſagittandi peritus.* 60. *venationi deditus.* ibid.
Yuus imperium fugit. 47. *arguitur ceu nepotum & filiorum plus æquo amans, ſed male.* ibid. *gaudet colore nigro.* 49. *Eſt Geometra & Aſtrologus.* 50. *vaſa novem ex ære cyprio fundit Geographica.* ibid. *quæ qui deinceps habuit, Imp. habebatur.* ibi. *reprehendi ac moneri vult.* 51, 52. *quomodo.* ibid. *ejus impatientia ſemel in admittenda commonitione ab uxore aptè caſtigata.* ibid. *commiſeratione inſignis eſt.* 52. *ſibi aliena delicta imputat.* 53. *bene conſcius periculum non timet.* ibid. *ejus axiomata.* 53, 54. *ſub eo potus Sinicus inventus.* [illegible]

Z.

Zvus rex à ſubdito occiditur, [illegible] *prom*[illegible]
Zu regis f[illegible]

F I N I S.

Cum igitur in omni vitæ artiumque genere incredibilis utilitas ac delectatio ſit hiſtoriæ veritate ſubnixæ; penitus confido me operam minime perditurum, quin potius iis, qui aut hiſtoriæ aut chronologiæ ſe tradunt, rem omnino gratam hoc opere me facturum. Hic enim reperient, quæ cum temporum ſuorum ratione componant atque expendant. Deinde mirandos in remotiſſimo regno eventus ac mutationes rerum & fortunæ legent: id eſt, evaneſcentes tyrannorum technas, politiæ & gubernationis modos diverſos, imperiorum conſervationem aut ruinas, una cum interitus cauſis, familias ſubito in ſublime evectas aut everſas, heroum eximia facinora, ſingularum artium, virtutum ac vitiorum exempla deprehendent; è quibus ſeu fugiendis ſeu ſequendis, recte vivendi documenta ſumant.

Et hæc omnia uno velut intuitu perluſtrare in hac ſynopſi licebit; quam, uti dictum, ab origine Sinicæ gentis ad Chriſtum uſque natum, qua potui brevitate claritateque ex innumeris Sinicæ Hiſtoriæ libris ſtudioſe congeſſi. Quorum voluminum Scriptores conſtanti non minus fide quam labore hiſtoriam ità proſecuti ſunt, ut, etſi ea ſit una atque perpetua, plurimos tamen habeat authores, alios aliis antiquiores; à quibus ordine congeſta eſt. Neque enim Scriptori ſequentium temporum licet hiſtoriam priorem corrigere vel in dubium vocare; ſed id muneris habet, ut ex fide temporum ſuorum annales prioribus ſubtexat, eoſque Imperatoris juſſu continua ſerie proſequatur.

Hiſtoria Sinica quo pacto continuata.

In hoc itaque opere tam vaſto Herculeum laborem exantlaſſe mihi videor. Ea eſt enim Sinenſium literarum difficultas, ut earum cognitio humanas vires & ætatem ſuperare videatur. Continet characteres, aut verius hieroglyphica, ſupra ſexagies mille, omnes figurâ & ſignificatione diverſos. Nec enim, ut noſtrates, ex aliquo certo Alphabeti ordine vel methodo conſtant;

Characterum Sinicorum difficultas.

ſed res quælibet figuram habet, qua exprimatur, ab aliis diverſam, nulla arte vel norma compoſitam & velut caſu ſubjectæ rei attributam. Decem ipſos annos in hoc moleſtiſſimo ſtudio ita conſumpſi, ut præter libros, è quibus ſtatas preces recitabam, alium quam Sinicum in manus non ſumerem. Huic uni genti prodeſſe linguæ tam operoſæ peritia tunc ſtudebat animus, quod me nunquam rediturum in Europam, crederem. Poſtea vero quam reverti, Majorum authoritate ſum juſſus; hoc opus aliaque ſecutura ſuſcepi, ne meus reditus Europæis non prodeſſet. Si laborem hunc meum intellexero legentibus gratum accidere; ſtimulo id mihi erit, reliquam à Chriſto Nato hiſtoriam ad hæc uſque tempora pertexendi. Neque committam, ut aliæ binæ decades diu deſiderentur. Equidem nunquam hoc opus fuiſſem aggreſſus, niſi Atlanti Extremæ Aſiæ, quem paucis abhinc annis edidi, lucem apprime neceſſariam inde acceſſuram crediſſem. Ex utroque enim Imperii Sinici, de quo tam variæ tamque fabuloſa circumferuntur, exacta pendet ac vera cognitio.

Ceterum, quemadmodum Europam olim deſerui, ut Sinis ea, quæ nobis divinitus affulſit, veritatis luce carentibus, ejuſdem viam commonſtrarem; ita nunc Majorum juſſu remiſſus in Europam, maximi Imperii notitiam toties deſideratam Europæis denegare nolui. Horum enim gratia hunc laborem in ipſo reditu aggreſſus, longiſſimo duorum annorum & aliquot inſuper menſium itinere ad finem adduxi, ut ſimul utilitatem, ſimul delectationem antiquiſſimæ hiſtoriæ novitate legentibus afferrem. Quod ſi ſum conſecuturus; non hiſtoriæ, ſed bonorum omnium authorem Deum lauda, cujus beneficio inter maritimæ profectionis moleſtias moramque iſta lucubrare potui. Quæ qui leget, facile diſcet Numinis omnia rite conſtituentis ſapientiam; quæ ſibi ſemper ſimilis in orbis totius & ſingulorum regno-

regnorum gubernatione, ſemper ſumma, ſemper adoranda eſt.

Quod ad vocabulorum pronunciationem attinet; omnia quæ per ch *ſcribo, more Hiſpanico ſunt efferenda. Multa quoque per* ng *ſcribo, quæ alii per* m *expreſſere, uti Peking; ubi alii Pekim poſuere. Nam hæc litera* m *apud Sinas in fine ſyllabarum ore aperto, ut à Luſitanis efferri ſolet; alioqui Sinica pronunciatio haudquaquam exprimeretur, quæ potiùs in* ng, *quam* m *finitur.*

APPROBATIO
R. P. PROVINCIALIS.

EGo Georgius Muglinus Societatis Iesu per Germaniam ſuperiorem præpoſitus Provincialis, pro poteſtate, quam ab Adm. Reverendo P. N. Goſwino Nickel Societatis univerſæ præpoſito Generali accepi, permitto, ut Sinicæ Hiſtoriæ Decas prima, à P. Martino Martinio ejuſdem Societatis Sacerdote conſcripta, & à Patribus ad id deputatis lecta probataque, typis mandetur. Quorum fidem mea manu, & officii Sigillo confirmo. Auguſtæ 20 Iunii Anno 1658.

GEORGIUS MUGLINUS.

MAR-

Rigby - Phila.
11/4/22
$1.75

ALEPH 1639160 01-28747